# Ioannis Leonis AFRICANI, DE TOTIVS Africæ descriptione, LIBRI. IX.

*Quibus non solùm Africæ regionum, insularum, & oppidorum situs, locorumq́ interualla accuratè complexus est, sed Regum familias, bellorum causas & euentus, resq́ in ea memorabiles, tam à seipso diligenti obseruatione indagatas, q̃ in veris Maurorum Annalib. memoriæ traditas, copiose descripsit, recens in Latinam linguam conuersi Ioan. Floriano Interprete.*






ANTVERPIÆ
*Apud Ioan. Latium*, M. D. LVI.
*Cum Priuilegio.*

# Priuilegij sententia.

NE quis in Brabantiæ Ducatu præter Ioannem Latium, Descriptionem Africæ Ioannis Leonis Africani, recens à Ioanne Floriano Latina lingua donatam imprimat, vel alibi impressam inter promercales habeat, Serenissimi Philippi Regis Priuilegio cautum est. Velut fusius patet in Diplomate illi concesso Bruxellæ viij. Calend. April. M. D. LVI. Signatis

P. Lens.

# MAGNIFICO DOMINO
## D. Melchiori Scheto Coruino, Thesaurario præclaræ vrbis Antuerp. optimè merito, Ioan. Florianus.
### S. D. P.

VEtustissima consuetudine à multis retro seculis obseruata, receptum est, ornatissimè vir, vt qui vel proprio Marte, ingeniiq́ue fœlicitate libros conscripsissent, vel aliorum scripta in aliam linguam transtulissent, suas vigilias aut amicis, aut Magnatibus consecrarent, inscriberent atque nuncuparent. Hunc morem mihi etiam atque etiam imitatu dignissimum iudicanti; tu mihi omnium primus occurrebas, qui quidem egregiis parentibus, & honesta amplissimaq́ue familia ortus, propter insignes virtutes tuas animiq́ue dotes singulares nuper ad Rempub. admotus, atque ærario publico non sine summa laude atque gloria præfectus, dignissimus

*ſimus eſſe videbare, cui ceu Patrono æquiſſimo hanc noſtram qualemcunque opellam piis votis dedicarem, idque cum propter innatum tuum erga literatos candorem, tum quòd exterarum & maxima ex parte nobis incognitarum regionum deſcriptiones, ei potiſſimum conuenire putauerim, cuius nomen in exteris etiam regionibus, vtpote in Orbe nouo, notiſſimum eſſet. Cùm ante menſes aliquot in Ioannis Leonis Africæ deſcriptionum, rerumque in ea memorabilium libros, non lectu modò, verùm & maxima laude digniſſimos incidiſſem, non potui non seriò hominis ſummam hac in re mirari diligentiam. Imò mihi ingentem theſaurum inueniſſe perſuadebā, qui ſingulorum Regnorum, Regionum, Oppidorum, Populorum, Montium, & Fluminum exactiſſimam haberem delineationem. Nam ſi Pythagoram aliquando propter vnam à ſe inuentam figuram Geometricam, centum boues diis ſacrificaſſe conſtat, quantò magis ego gaudere debeo, qui de locis amplius ſexcentis veteribus incognitis, nactus ſim integram cognitionem? Reperitur quidem Africa, Ptolemæi tabulis Geographicis depicta, ſed ſi quis cum hac conferre velit, maximam atque adeò potiſſimam partem, vt*

*quæ per id tempus adhuc incognita esset, à Ptolemæo cæterisq; silentio prætermissam intelliget. Neq; est quòd quisquam Authoris nostri vigilias seu somnia vel figmenta criminetur: hic siquidem natione Granatensis, patria per Ferdinandum & Elisabeth Hispaniarum Reges expugnata in Barbariam profugiens, Fessæ literis Arabicis operam dedit, quibus & libris à se editis clarus euasit. Deinde variis iactatus profectionibus præter Asiam & Europæ partem à se perlustratam, Africæ Regiones, ac Prouincias, partim animi causa, partim legationem Principum gerens peragrauit, locorum distantias, nomina, situs, naturam, incolarum mores, & quæ in iis memoranda occurrebant, sedulò annotans. Postremò à piratis ad insulam Zerbi captus, Romamq; perductus, Leoni Pontifici eius nominis Decimo dono datus est: qui hominem Geographiæ peritum, humanissimè excepit, & celebre opus de Africæ Topographia conscripsisse atque circumferre intelligens, amplissima pensione ditauit, tandemque ad Christi fidem pertractum, imposito illi in fonte Baptismatis nomine, Ioannem Leonem appellauit. Post hæc Romæ aliquot annis remansit, vbi Italicam linguam edoctus, conscri-*

ptum Arabico idiomate opus, vertit: quod nunc Latinè versum sub tui nominis auspicio in lucem emitto. Non quidem ea persuasione fultus, vt ex hac versione vel dignitatis, vel ornamenti quicquam ad cumulum virtutum tuarum accessurum putem: aut quòd hîc quippiam sis reperturus, quod non per te ex autographo Italico facillime intelligere posses, sed potius vt huic versioni ex nominis tui patrocinio aliquid gratiæ concilietur. Quod quidem de tua humanitate plurimum confidens, attentarè præsumpsi, facilè me veniam consecuturum sperans, si nonnulla tui nominis dignitati minus responderint. Quare sic habeas velim, vt non munus ex re ipsa æstimes, sed potius offerentis affectum & voluntatem.

Bene vale integerrime Mecœnas,
tui Ordinis decus, & ornamentum.

Antuerpiæ ex Musæo nostro
Idib. Martiis Anno
restitutæ salutis.
M.D.LVI.

# INDEX IN IOANNIS Leonis Africani descriptionem, in quo Africæ Regna, Prouinciæ, Ciuitates, Insulæ, Deserta, Populi, Sectæ, Familiæ, atque adeò quicquid in ea memorabile est, Alphabetico ordine pertractatur.

*a priorem folij paginam, b posteriorem designat.*

Az-.

Ca-

*Dau*

*El-*

Hu-

*Nili*

Re-

Ser-

Ta-

Te-

Tu-

FINIS.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ rerumq; in ea memorabilium, LIBER PRIMVS.

## ¶AFRICA VNDE DICTA.

DIcta est Africa lingua Arabica Iphrichia, à verbo faraca, quod eorum lingua idem sonat, quod Latinis diuido: cur autem sic dicatur, duæ sunt opiniones, quarum prior hæc est: quòd ea terræ pars sit ab Europa mari Mediterraneo, ab Asia verò flumine Nilo separata. Altera, quòd hoc nomen ab Ifrico Arabiæ felicis Rege deductum arbitrentur, qui omnium primus hanc terram incoluisse fertur. Hic quum aduersus Assyriæ Regem bellum gereret, ab eodem tandem regno pulsus, cum toto exercitu Nilum transmisit, & Occidentem versus suas copias traducens, non prius quieuit, quàm in eam partem Carthagini vicinã peruentum est. Hinc est quòd Arabes solùm Carthaginis regionem, & eam partem quæ Occidentem respicit, Africam esse opinentur.

### ¶ *Africæ termini.*

HAbet Africa suum initium (si modò illius gentis scriptorib. sit fides habenda, qui & literati, & Cosmographiæ peritissimi sunt) à fluminibus qui ex lacu Gaogæ deserti effluunt, idq; ex Meridie. Ad Orientem terminatur Nilo flumine: extendit se autem Septentrionem versus ad Ægypti fines, vbi Nilus septem ostiis in mare Mediterraneum prolabitur: inde ad Occidentem, Herculeis columnis, deinde Nuno extremo mariti-

ritimoque Libyæ oppido clauditur. Ex Meridie verò, porrigit sese supra mare Oceanum, quod vsque ad deserta Goagæ, totam cingit atque complectitur Africam.

¶ *Africæ diuisio.*

TRadunt nostri scriptores Africã in quatuor diuidi partes, Barbariam, Numidiam, Libyam,& Nigritarum terram. Barbaria initium sumit a monte Meiete, qui extremus punctus Atlantis est, distatq; ab Alexandria trecentis ferè miliarib. Ex Aquilone, finit ad mare Mediterraneum, assumendo montis Meietis initium, diffunditque sese ad fretum vsque Herculeum. Ad Solis occasum, terminatur iam dicto freto, atque transiens mare Mediterraneum, finitur postremis Atlantis punctis: hoc est, ad id caput occidentale, illi oppido vicinum quod Messa appellatur. Ad Meridiem finitur ea Atlantis facie, quæ Mediterraneum mare respicit. Hæc est nobilissima totius Africæ regio, hanc homines subfusci coloris inhabitant, qui & ratione,& præscriptis quibusdam vtuntur legibus.

Secũda Africæ pars Latinis Numidia, Arabibus verò Biledulgerid nuncupatur: hæc ea regio est quæ dactylos producit. Habet suum ex Oriente principium ab Eloacato vrbe, quæ ab Ægypto centum distat miliaribus, extenditurq; Occidentem versus ad Nunum vsq; maris Mediterranei oppidum. In Septẽtrione Atlante clauditur, ea nempe mõtis parte, quæ Austro exposita est. Ad Austrum verò, terminatur Libyæ deserto arenoso. Arabes eam vno nomine omnes terram appellitant da-

dactyliferam: eò quòd hæc sola Africæ regio dactylos habet.

Tertia pars quæ Libya Latinis, Arabica lingua non aliter quàm Sarra appellatur, quæ vox idem quod desertum significat, exorditur ad orientem Solem à Nilo, hoc est ab eo loco qui Eloacato oppido confinis est, extenditq; sese in Occidentem ad mare Oceanum. Septentrio eam Numidia claudit, in Meridie Nigritarum regioni iungitur, ex Oriente Gaogæ regno inchoatur, diffunditq; sese Occidentem versus ad regnum vsque Gualatæ, quod mari Oceano adiacet.

Quarta Africæ pars, quam Nigritarum terram vocant, ex Oriente initium habet ad regnum Gaogæ, inde Occidentem versus ad Gualatam vsque extenditur. Septentrio eam Libyę deserto claudit, terminaturq; ad Meridiem mari Oceano, locis nobis incognitis: verùm mercatores q inde ad Tombutti regnũ indies proficiscuntur, satis nobis illius regionis situm describunt. Habet hęc Nigritarum terra fluuium, qui à regione sibi nomen assumens, Niger appellatur: sumit suum ex quodam deserto initium, quod Seu apud illos dicitur, atque hoc ex Oriente. Alij volunt hunc fluuium suam habere ex quodam lacu scaturiem, seseque Occidentem versus voluere, donec in mare Oceanũ delabitur. Affirmant nostri Cosmographi, Nigrum fluuiũ è Nilo deriuari, quẽ sub terra sese condere volunt, vnde tandem huiusmodi lacus nasci videtur. Sunt præterea qui dicant iam dictum fluuium in Occidente ex quodam monte scaturire, atq; Orientem versus fluendo maximum tandem lacum illic effi

cere: quod quidem verisimile non est, nam ex Oriente nauigatur à Tombutto Occidentem versus vsq; ad regnum Gineæ, aut etiam ad regnum vsq; Melli: quæ duo si Tombutum respicias, in Occidente sunt: neq; habet hæc Nigritarum terra vlla regna, quæ cũ his loci amœnitate certare possint, quæ ad iam dictum fluuium sita sunt. Aduertendum autem est, quòd (vt volunt nostri Cosmographi) ea Nigritarũ regio, per quam Nilus fluere dicitur, hoc est pars Occidentalis illa, quæ ad Orientem vergit ad mare vsque Indicum, & quæ in Septentrione aliqua sua ex parte mari rubro confinis est, id est, ea regio quæ extra fretum Arabiæ fœlicis est, non sit Africæ pars dicenda, idq; multis rationibus, quæ in longo hoc opere latius explicatæ reperientur: Latini eam partem Æthiopiam vocant. Inde veniunt religiosi quidam fratres, qui faciem habẽt igne signatam, videnturq; per totam ferè Europam, & Romæ potissimùm. Habent illi Imperatorem quendam, quem Pretum Ioannem dicunt, atque maiorem illius regionis portionem Christiani incolunt. Est tamen & quidam Mahumeticus apud illos, qui multum etiam ditionis possidere dicitur.

## ¶ *Quatuor iam dictarum Africæ partium diuisio.*

BArbaria in quatuor distinguitur regna, quorum primum est regnum Marocci, quod rursum in septem diuiditur regiones, Heam, Susam, Guzulam, Marocci terrã, Duccalam, Hascorã, & Tedletem. Secundum regnum Fessa nuncupatur, quod sub se totidem regiones comprehendit,

Te-

Temesne, Fessam regionem, Azgarám, Elabatham, Emsitim, Garetum, Elcaon. Tertium regnum Teleusinú dicitur, quod & tres habet regiones, monteis nempè, Tenetē, & Elgesairam. Quartum Barbariæ regnum Tunetú appellatur, cui & aliæ quatuor suppositæ sunt regiones, Bugia, Constantina, Tripolis Barbariȩ, & Ezzaba, quæ bona Numidiæ pars est. Bugia assiduo semper vexata est bello, eò quòd aliquando fuerit sub rege Tuneti, nonnunquam etiam & sub rege Teleusini. Hoc certum, ad nostra vsq; tempora regnum per se fuisse, idq; donec à quodam Petro Nauarriensi, regis Hispaniarum Ferdinandi iussu, præcipua illius regionis vrbs capta fuit.

¶ *Numidiæ partitio.*

HÆC totius Africæ ignobilissima pars est, hinc est quòd nostri Cosmographi illi regni nomen denegârunt, eò quòd huius habitationes longè admodum ab inuicem distent: quod ex eo facilè colliges. Tessetum, Numidiæ vrbs domos habet circa quadringentas, estque ab omni habitatione (propter Libyæ desertum) trecentis ferè miliaribus semota, quare non regnum esse dicendum cōplures sunt opinati. Narrabimus quædam tamē de locis habitatis, sunt enim quædam quæ reliquis cum regionib. conferri possunt, quemadmodum est Segelmessa, qui locus in ea Numidiæ parte est, quæ Mauritaniæ respondet: situs item Zebi qui Bugiæ regnum respicit, & Biledulgerida regio, quæ ad Tuneti regnum extenditur. Seruatis igitur multis in secundam huius operis partē, sumemus exordium ab iis qui in Orientali

plaga reperiuntur locis, quorũ nomina hæc sunt: Tesletum, Guadenum, Ifrenum, Hacca, Dare, Tebelbeltum, Todgatanum, Fercale, Segellomessa, Benigomis, Fegigum, Teguatum, Tsabita, Tegoraris, Mesabia, Teggortum, & Guarghela. Zebum regio quinque cõtinet oppida, Pescarã, Elborgium, Nestam, Taolaccam, & Deusin: totidem habet & Biledulgerida ciuitates, nempe Teozarã, Caphesam, Nefreoam, Elchamiden, & Chalbin: atque ab hac Orientem versus reperiuntur Insulæ Gerbe, Garion, Messellata, Mestrata, Teoirraga, Gademis, Fizza, Augela, Birdeua, & Eloachetum. Hæc sunt nomina locorum famosorum totius Libyæ, à mari Oceano, vt antea dictum est, ex Occidente, & terminantur Nilo flumine.

¶ *Desertorum quæ inter Numidiam sunt & Nigritarum solum descriptio.*

HÆC deserta nullum adhuc apud nos habent nomen, quanuis in quinque diuidantur partes, habeantq; omnes ab incolis suã denominationem, hoc est à Numidis, qui etiam in quinque partes distinguuntur, Zanegates, Ganzigates, Tergates, Leutatas, & Berdeitas. Sunt & quædam loca quę ex soli bonitate aut malignitate particulare aliquod sunt nomen sortita, vt est Azoadi desertum, sic dictum propter illius loci sterilitatem atque ariditatem: sic & Haira, etsi desertum sit, tamen sic dicitur propter aëris temperiem atque bonitatem.

¶ *Terræ Nigritarum in sua regna distributio.*

Diui

Diuiditur & Nigritarũ terra in multa regna, quæ quãuis bona ex parte nobis incognita longeq́ue à noſtro commercio remota ſint, narrabimus de iis locis tamen, quę inhabitauimus ipſi, & quæ longa rerum experientia nobis ſunt admodum nota: de illis præterea vnde mercatores ad eas ciuitates venerunt, quas tum temporis ego incolebam, vnde etiam illorum ritus optimè edoctus ſum. Vidi ego quindecim Nigritarum regna, ſunt tamẽ & multò plura, quæ ab illis ſatis perluſtrata atque nota ſunt, quæ ego non inuiſi: eorũ igitur nomina, ſumendo ab Occidente principium atq; Orientem verſus & Meridiem pergendo, ſunt hæc: Gualata, Ginea, Melli, Tombutum, Gagos, Guberis, Agades, Canos, Caſena, Zegzega, Zanfara, Guangara, Burnum, Gaoga, Nube. Hæc ſunt quindecim illa regna, quæ maxima ex parte ad Nigrũ ſita ſunt, & per quæ mercatoribus ex Gualata ad Chairam proficiſcentib. iter patet. Longa eſt admodum via, ſecura tamen atque tuta. Sunt oĩa hæc regna ſibi inuicem adiacentia, decem autem ex his ſunt aut aliquo deſerto arenoſo, aut Nigro flumine ſeparata: habuitq́; olim quodlibet ſuum regem, verùm nunc temporis omnia tribus feré regibus ſubiiciuntur: Regi Tombuti qui maximam partẽ obtinet, Regi Bornenſi qui minimã occupat, reliquum Regi Goagę paret: qui verò Ducalæ regnum poſſidet, exiguum admodum habet ſatellitium. Habent & hæc regna alia multa ad Meridiem confinia, vt ſunt Bitos, Tenuamia, Dauma, Medera, & Gorania, quorum reges atque incolæ ditiſſimi & induſtrij, iuſticiæ & æquitatis

amantissimi, quidam tamē beluino more viuētes.

¶ *Africæ habitationes, item huius vocis Barbar significatio.*

AFfirmant Cosmographi & Historici, Africam olim prorsus inhabitatam, pręter eam quæ nunc Nigritarum terra dicitur, plagā: illudq; vel certissimum habetur, Barbariam atque Numidiam multis sæculis incolis nudas extitisse. Huius subfusci coloris incolæ, appellati sunt nomine Barbar, à verbo Barbara, quod eorū idiomate idem sonat quod Latinis murmuro: eò quòd Africanus sermo Arabibus non aliter sonet, quàm beluarum vox, quæ nullo accentu suas edunt vociferationes. Alii volunt Barbar nomen replicatū esse, eò quòd Bar lingua Arabica desertū denotet. Et dicunt quòd cùm rex Iphricus ab Assyriis, siue ab Æthiopis regno pulsus Ægyptum peteret, sicq; ab hostibus se pressum videret, vt quid de se deq; suis ageretur incertus esset, suos rogasse quo modo quáve via salus quęrenda esset, atq; illi responsum fuisse Barbar, quod erat ad desertum ad desertum: hac voce indicare volentes, nullum tutius illi patere refugium, quàm transmisso Nilo, ad Africæ desertum confugere. Videturque hæc ratio illis quadrare, qui Africanos ab Arabiæ felicis populo ortos affirmant.

¶ *Afrorum origo.*

CIrca Afrorum originē reperias nostros historicos multum admodum inter se dissentientes. Volunt enim quidam eos à Palæstinis deriuatos, eò quòd cùm ab Assyriis fugarentur, in Africam tandem venisse, atque ibi propter

soli

soli fœcunditatem, sedem fixisse asserunt. Sunt & alii qui illos à Sabæis Arabiæ felicis populo ortos putent (vti iam dictũ est) antea quàm ab Assyriis aut Æthiopis in fugam redigerentur. Alij, Africanos à quibusdam Asiæ incolis descendisse ferunt, vnde bello à quibusdam illis moto, in Græciam aufugisse scribũt, quæ tum temporis nullos adhuc habebat incolas. Verùm insequentibus hostibus, coacti sunt mare Peloponesiacum traiicere, atque vbi iam in Africam appulissent, illic sedem fixère: hostes verò in Græcia remanserunt. Quæ omnia de eorum duntaxat qui subfusci sunt coloris, hoc est de Numidarum & Barbarorum origine intelligi debent. Nam Nigritæ omnes ab origine Chusi dependent, q patrem habuit Chamũ filium Noę. Attamen qualecunq; habeant subfusci & Nigritæ inter se discrimẽ, certum est idem omnes habuisse principium. Nam hi ex Palæstinis, Palæstini autẽ ex Mesraimo Chusi filio: illi verò ex Sabeis suum traxisse ortum volunt, Saba autem ex Rama Chusi filio progenitum cõpertum habetur. Sunt & aliæ circa hęc opiniones multæ, quæ quoniam nõ vsq; adeò necessariæ videbantur, consultò omisimus.

¶ *Subfuscorum in plures populos diuisio.*

QVI subfusci sunt coloris in quinque populos partiti sunt, Sanhagios, Musmudas, Zenetos, Haoaros, & Gumeros. Musmudę occidentalem Athlantis partẽ occupant, ab Heha ad flumen vsque Serui. Inhabitant & eam montis partem, quæ Meridiem respicit, atque totam interiorẽ illius regionis planiciem. Hi sub se quatuor ha-

habent prouincias, Heham, Susam, Guzulá, & Marocci regnum. Gumeri in montibus Mauritaniæ habitant, in ea parte quæ mari Mediterraneo opposita est, totumq; fluuium occupát qui illis Rifa appellatur. Habet hic fluuius suum ex freto Herculeo principium, atque Orientem versus fluit ad regnum vsque Telensin, quod à Latinis Cæsarea nuncupatur.

Hi duo populi habent seorsim suas mansiones, reliqui promiscuè per totá dispersi sunt Africam: iis tamé dinoscútur indiciis quibus extranei, atq; semper inter se belligerantur, præsertim illi qui Numidiam incolunt. Hi, inquam, sunt populi illi (vt à multis proditú est) qui non aliam habebant mansionem, quàm tentoria & rura: dicuntq; eos ante aliquot sæcula inter se acriter pugnasse, victosq; ad oppida missos, victores autem sibi rura camposq; seruasse, atque illic suas mansiones extruxisse. Videtur & illud satis ex eo probabile, quòd illi qui ciuitates incolunt, habent cum reliquis vnum idemq; prorsus idioma: Zeneti enim siue ciuitates, siue rura habeant, eodem omnino loquuntur modo: quod & de reliquis item intelligendum est. Zeneti, Haoari, & Sanhagij rura Temesnes incolunt: hi aliquádo in pace agunt, nonnunquam & prædictarú rixarum memores, acriter admodum inter se belligerátur. Sunt & ex his quidam, qui per totam Africá regnum possident, veluti Zeneti, qui olim eam familiam profligárút quæ Idris dicebatur, vnde deriuatos volunt veri Duces Fessæ, atq; illius ciuitatis conditores: horú progenies dicta est Mecnasa. Venit postea & alia

Zene

Zenetorũ familia ex Numidia,quę Magraoa dicta est,hęc Mecnasam cum omnib.ducibus regno pulsit.Non multum postea temporis expulsi sunt & hi à quibusdam qui ex Numidiæ deserto venerũt, ex progenie Sanariorũ quæ Luntuna dicebatur.

Ab hac tandem vastata atque prorsus euersa est Temesna,omnesq; trucidati, prætereq̃ qui ex Luntunis reperti sunt, quibus Duccala tradita est inhabitanda,estq; ab his ea ciuitas condita quod Maroccum vulgò dicitur. Euenit postea fortunæ mutatione,quòd quidam Elmàdus summus apud illos cócionator, inito cum Hargijs consortio (erãt illi ex Musmudis oriundi)omnes Luntinos eiecit, sibiq; id regni vsurpauit. Post huius mortem successit in eius locũ quidam ex illius discipulis nomine Habdul Mumen à Baniguerïaghel ex Sanagiorum origine. Remansit regnum huic familiæ circa centum & viginti annis,fuitque illi tota ferè Africa subiecta: tandem regno priuata à Banimarinis in fugam redacta fuit,qui ex Zenetorum origine prognati, postea circa centum & septuaginta annis rexisse dicuntur.

Gesserunt Banimarini assiduum bellum cum Banizeano Teleusini rege, qui ex Sanagiis & ex Magroa stirpe orti sunt: belligerantur & cum Tuneti regibus, qui ex origine Hantata & ex Musmudis venerunt. Videtis igitur quantũ quinque illis populis semper fuerit negocij atque laboris in his regionibus.

Certum est neque Gumeros neque Haoaros nihil iam ditionis possidere, quanuis antea (vt in eorum Chronicis legitur) aliquam habuerint dominij

minij portionem, idq; ante susceptã Mahometicam legem. Ex quibus iam certissimò colligitur, prędictos omnes populos in campis suas habuisse mansiones atque tentoria: fauebat autem quisque suæ parti, habebantque omnes ad hominis vitam labores inter se communes. Agrorum prçfecti armenta curabant: qui ciuitates incolebant, aliquo opere manuali aut agriculturæ intenti erant. Diuisi sunt populi illi in sexcẽtas stirpes, vti in Afrorum genealogiis videre licet, cuius autor est quidã Ibnu Rachu, quẽ & sæpissimè me legisse memini. Habent multi historici regẽ Tombuti, regẽ Melli, & regẽ Agudesſę, suam habere ex populo Zanaga, hoc est ex ijs qui desertum incolunt, originem.

¶ *Linguæ Africanæ conformitas atque diuersitas.*

QVinque illi populi, qui plusquam in centenas sunt progenies diuisi, quique innumeras habent habitationes, in vna omnes cõueniunt linguã, quæ ab illis Aquel Amarig, hoc est lingua nobilis nominatur: Arabes qui Africam incolunt eam Barbaram linguam vocant, estque hæc vera atq; genuina Afrorum lingua: à reliquis tamen prorsus aliena, quanquã multa habeat vocabula cum Arabibus communia, vnde aliqui colligere voluerunt, Africanos ex Sabeorum Arabiæ fœlicis populi, vt antea dictum est, origine processisse. Alii verò dicunt huiusmodi vocabula tum demum inuenta, cùm Arabes in Africam venerũt eamq; possidere cœperunt, verùm illi admodum rudes hebetioriq; fuerunt ingenio, adeò quòd nihil scripti reliquerũt, quod in hanc aut illam partem

tem adduci possit. Est & inter illos alia quædam non prolationis modò, verùm & significatorum diuersitas: vti illi qui Arabibus viciniores sunt, quique cum illis plus habent commercii, illorum magis vtuntur idiomate. Quin & Gumeri ferè omnes & maxima Haoarorum pars, Arabicè loquuntur quanuis corruptè, id quod ex eo venisse puto, quod longa admodum fuerit illis cum Arabibus consuetudo.

Nigritæ diuersa inter se habent idiomata, inter hæc quoddam Sungai ab illis dicitur, seruitq; multis regionibus, veluti Gualatæ, Tombuto, Gineæ, Mellidi & Gagonti. Est & alia lingua quæ Guber ab illis appellatur, hæc apud Guberos, Canontes, Chesenas, Perzegregos & Gangrates in vsu est. Habet & regnum Borni suum loquendi modum, illi omnino similem, qui apud Gaogam est. Seruatur & Nubæ regno sermo quidam, qui cum Arabica lingua, cum Chaldaica & Ægyptia magnam habet affinitatem. Omnes autem Africæ ciuitates maritimæ, à mari mediterraneo ad Atlantem vsq; montem, Arabico vtuntur sermone corrupto. Excepto tamen Marrocci regno, & Maroc co oppido quod Barbara admodù vtitur lingua, etiam Numidæ mediterranei, hoc est ii qui Mauritaniæ & Cæsareæ viciniores sunt. Quare qui Tuneti regno & Tripolitano confines sunt, Arabicè loquuntur, sed corruptissimè.

¶ *Arabes vrbem Africam incolentes.*

EX illo exercitu qui à Califa Otmeno tertio missus erat, anno hegiræ .400. venerunt in Africam tam nobiles quàm alii, circa octuagin-

ginta millia, qui post multas sibi deuictas prouin cias, in Africam tandem appulerunt: remansitque ibi totius exercitus dux, qui Hucha Hibnu Nafich dicebatur. Hic iam magnam illam ciuitatem con diderat, quæ & apud nos Alcaira appellatur. Metuerat enim à Tuneti fluminis populis sibi insidias parari, verebaturq; ne accito ex Sicilia insula præsidio, bellum sibi ab illis moueretur. Quare cum omni quem sibi nactus fuerat thesauro, desertum terramq; solidam adiit, quæ à Carthagine circa centum & viginti miliaribus distat, illicque Alcairam tandem exstruxisse fertur. Illos autem qui illi adhuc supererāt milites, iussit loca tutiora atque defensioni aptiora seruare, & vbi nulla esset rupes, nullumq; munimentum, illic eos ædificare volebat. Quod vbi sic factum est, effecti Arabes Africæ incolæ, atq; inter Afros misceri cœperunt, qui quoniam iam aliquot annis sub Italis egerāt, illorum adhuc idioma seruauerant, hinc est quòd sic paulatim corrupta est genuina illa Arabum lin gua, quę cum Africana magnam admodum habet affinitatem: sicque duo illi populi in vnum tandem coaluisse dicuntur. Solent tamen Arabes vel cantionibus quotidianis suum semper referre genus, quod & nobis & Barbaris etiamnū in vsu est. Nullus enim quanuis vel infimæ sit conditionis, qui non suo nomini adiungat suæ generis nomē: veluti Arabs aut Barbarus aut aliud simile.

¶ *Arabes qui tentoria incolunt.*

SEmper vetarunt Mahumetani Pontifices, ne Arabes cum exercitu & tentoriis Nilū transmitterent. Sed anno Hegiræ. 400. id illis à

quo-

quodam Califa scismatico permissum legitur: eò quòd quidam ex illius magnatibus se illi opposuerat, atque iam Alcairam cum tota ferè Barbaria occupauerat. Post huius mortem remansit ad aliquot annos suæ familiæ id regnum, atque, vt volunt Africanorum historiographi, in tantum illorum creuit ditio tempore Elcaini illius gentis & Califæ & Pontificis, quòd cum maximo exercitu ad illos missus fuerit quidam Gehoar, quem Califa Elcainus ex seruo sibi à cósiliis fecerat. Hic suas copias occidentem versus traducens, totam recuperauit Numidiam, Barbariam, perrexitq; ad regionem vsque Susam, vbi census sibi atq; tributa largissima reddi iussit. Quibus omnibus absolutis, ad suum Califam redit, atq; quicquid hostibus ademptú erat, id illi totum summa cum fide reddit. Califa vbi fœlices huius successus vidit, iam de maioribus exequendis cogitare cœpit. Gehoar autem quemadmodum iam occidentale illud regnum domino recuperauerat, ita se mox armis totam orientalem plagam, hoc est Ægyptú, Soriam, & Arabiam recuperaturum firmissimè pollicetur, nihilque intentatum se relicturum promittit vel summo vitæ periculo, vt iniuriam illam vindicet quæ huius prædecessoribus à familia quæ Lhabus dicebatur, illata erat, vtque illum in suorum illustrissimorum auorum, proauorum, atque progenitorum sedem restituat. Califa vt huius animosam pollicitationé intelligit, mox exercitu octuaginta millium collecto, ingenté illi auri vim, cum omnibus iis quę bello necessaria videbantur, tradi iubet. Sic tandem bello paratus strennuus ille &

cor-

cordatus exercitus dux, suos per deserta Ægypti & Barbariæ ducit, atque prius fugato Ægypti Viscecalifa (hic iam in Bagadedam ad Califam Eluir cõfugit) paucis diebus minimoq; negocio omnes Ægypti & Soriæ regiones sibi subegit. Non tamẽ potuit securo prorsus esse animo, verebatur enim ne Califa à Bagadeda cũ Asiatico exercitu sibi negocium facesseret, néve quos ille ad Barbariam tuendam reliquerat, cogerẽtur iam deuictas prouincias relinquere. Quare munimen aliquod exstruere decreuit, ad quod, si eo opus esset, se milites recipere, atq; hostium sustinere impetus possent. Condidit igitur ciuitatem, murisq; eam cingere iussit. Hic continuò vnũ ex suis, cui maximè fidebat, cum bona sui exercitus parte reliquit: ciuitati autem nomen indidit Alchaira, quæ postea apud quosdam Chair dicta est. Hæc adeò indies creuisse fertur, cùm ædificiis tum incolis, vt vel toto orbe nõ reperiatur quæ cũ hac sit vllo modo conferenda. Cùm iam Gehoar videret Califam Bagadedæ nihil belli apparatus habere, mox suo domino rescribit, omnes quas vicerat vrbes, sibi debitos honores exhibere, omniaq; in tuto esse atq; tranquilla: quare si videretur commodum, & ipse Ægyptum inuiseret, plus sua præsentia effecturũ ad ea quę adhuc recuperanda restabant, quàm vel quouis expeditissimo exercitu: sperabat eñ fore, vt cùm Califa Bagadedæ huius aduentus certior fieret, ipse relicto & regno & pontificatu in fugã ageretur. Id vbi egregium lætumque nuncium ad Califam Elcäinum peruenit, mox huius felicioris fortunæ euẽtu, multò q̃ antea superbior redditus,
neque

neque prius quid mali inde euenire posset præcogitans, numerosum sibi exercitum collegit, totiusq; Barbariæ gubernatorẽ reliquit quendam ex ea stirpe quæ Sanhagia antea dicta est, hunc illi nõ ex animo amicum postea intelliges. Mox vbi iam Califa Alchairam appulisset, honorificè admodum à suo Gehoar exceptus, cœpit magni aliquid animo voluere, atque maximo vndique collecto exercitu, Califam Bagadedæ ad arma vocare parat. Interea qui Barbariæ dux summus relictus erat, inito cum Califa Bagadedæ fœdere, se totamq; sibi commissam Barbariam huic in manum dedit. Califa autem alacriori illum excepit animo, atq; totius Africæ Regẽ constituit. Quod vbi Califæ qui Alchairæ agebat nunciatum est, incredibile dictu quàm tum id sibi tristiciæ attulerit, partim quòd se regno expulsum videret, partim etiam quòd omne aurũ quod secum allatum erat, consumpserat: adeò vt quid tandem aggrederetur, prorsus inscius esset, sępissimeque illi mali quicquã ominabatur, cuius cõsilio regnum reliquerat. Erat illi à secretis vir quidã apprimè doctus, promptissimiq; ingenij, qui cùm herum adeò mœstum videret, volens repẽtino casui, qui iam mox imminere videbatur, aliqua cõsilij dexteritate occurrere, in hunc illum solatur modum: Scit tua celsitudo, Califa inuictissime, fortunæ varias esse mutationes, neq; ob iam pręteritos euentus, vllam virtutis tuorum diffidentiam esse habendam. Ego si fidum vnquam me tibi præstiti amicum, nunc quoq; bona fide consilium dabo, quo paucos intra dies omnia recuperes quæ tibi

perfidia adempta sunt, quoque (mihi crede) ad optata facillime venias. Id autem vel nullo poteris efficere satellitio, quin multam ab eo exercitu auri vim polliceor, quem ego mox tibi congessero, si modo quod dicam exequi velis. Califa his verbis aliquantulùm alacrior factus, rogat quónam id possit tandem fieri modo: ille verò sic pergit: Certum est, mi domine, Arabes iam ita creuisse, illorumq; tantum esse numerum, vt Arabia illos omnes capere non facilè possit, vix redditus illorum armentis sufficere possunt, maxima afficiuntur inedia, magna est illis non habi tationis modò, verùm & annonæ càritas atq; penuria. Quamobrem si id illis abs te concessum fuisset, iam dudum Africam intrassent. Quare si id illis nunc licitum fuerit, ingentem auri vim ab his te accepturum non est quod dubitem. Non potuit hoc consilium Califæ animum vsq; adeò exhilarare: videbat enim fore, vt Arabes totam vastarent Africã, sicq; nec sibi id, nec hostibus profuturum sciebat. Tamẽ quoniam omnino de suo regno actum esse videbatur, iudicauit præstare se illos nũmos recipere, quos ille pollicebatur, sicq; de hoste supplicium sumere, q̃ simul & regnum & aurum perdere. Quare singulis Arabibus, qui ducatum illi pendere volebant, permissum est, liberè Arabiam ingredi, ea tamen lege atque sacramento, quòd perfido sese Barbariæ Regi hostes præberent atrocissimos. Quod vbi id illis permissum est, mox decem Arabum stirpes in Africam venisse dicuntur, quæ dimidia totius Arabiæ desertæ pars fuit, his sese adhuc quidam ad-
iun-

iungunt Arabiæ fœlicis incolæ, ſicque inter hos reperti ſunt circa quinquaginta millia, qui iam armis apti erant: mulierum, puerorum, & pecudum tanta fuit multitudo, vt penè horum numerus infinitus ſit habitus: quorũ omnium meminit diligentiſſimus ille rerum Africanarum hiſtoriographus Ibnu Rachu, cuius & antea fecimus mentionem. Mox igitur vbi Arabes id deſertum tranſiſſent, quod iam inter Ægyptum & Barbariam eſſe diximus, primò Tripolim Barbariæ oppidum obſidione cinxerunt, qua tandem deuicta, bona ciuium pars trucidata, reliqui fuga ſibi ſalutẽ quæſierunt. Poſt hæc Cabino oppido arma parãtur, quod ab iiſdem captum atq; euerſum eſt. Tandem & Elchairoë obſidetur, verùm quia illis optimè prouiſum erat, octo menſibus hoſtium impetus ſuſtinuiſſe dicũtur: quibus iam tranſactis, oppidum obſidentib. patère coactum eſt: hîc miſeranda ſtrages, crudelis vbique exſpirantium vox, atq; horrenda vndique mortis imago. Hanc Arabes terram inter ſe diuiſerũt, illicq; habitare cœperunt, magnos interim prouentus à ſibi ſubditis oppidis atque prouinciis exigentes. Sic totius Africæ circuitum ſibi ſeruarunt, donec ſucceſſerit in Marocci regnum quidam Ioſephus Ieffin filius, hic primus Marocci Rex fuit, atque omnibus viribus conatus eſt iam defuncti Africæ regis amicos ad regnum prouehere, nec prius quieuit, quàm Arabes Elchairoën deſerere coegit. Arabes tamen loca viciniora occuparũt, atq; quòd potuerũt, ſe rapinę & furtis dediderũt: defuncti verò amici diuerſis tantùm locis imperare

potuerunt. Successit postea Marocci regno quidam Mansor, hic quartus fuit Rex & Pontifex eius sectæ, quæ Muoachedim dicta est. Ille quem admodum aui atque proaui semper iam dicti defuncti amicis fauerant, illosq; pristino statui red diderant, sic huic prorsus in animo fuit se illis hostem præbere, sibiq; illorum ditionem vsurpare. Falsò igitur cum illis pace sancita, Arabes in hos mouisse, atque vel minimo negocio illum superiorem euasisse legitur. Mansor posthæc maximam Arabum partem secum in Occidentale regnum adduxit, horum nobiliorib. Duccalam & Azgaram habitandam dedit, iis verò qui inferioris erant conditionis, Numidia donauit. Successu autem temporis, qui Numidarũ serui erãt, libertati reddi iussit, sic inuitis illis, eos in ea Numidiæ parte quam illis dederat, habitare voluit: hi verò indies suam magis atque magis locupletarunt ditionẽ. Qui verò Azgaræ & in aliis quibusdam Mauritaniæ locis habitabant, ad vnum omnes in seruitutẽ redegit. Quia Arabes si extra deserta habitent, non aliter sese habent ac pisces sine aqua: sæpissimè iam deserta adire tentauerant, sed oberat illis mons Atlas, qui tum temporis à Barbaris tenebatur. Neque per planiciem patebat illis transitus, quia reliqua illorum pars, illic suas habebant colonias: quare posita superbia, se agriculturæ dederunt, neque quicq̃ præter casas, tuguria, atque tentoria habebant. Accedit & horum miseriæ, quòd insuper & regi Mauritaniæ singulis quoque annis largissimos census soluere cogantur. Qui Ducculam incolebãt, quia mul

multitudine pollebant, se facilè ab omni tributo liberarunt. Bona Arabũ pars Tuneti remanserat, eò quòd Mansor hos secũ adducere recusauerat: hi mortuo Mansore Tunetum sibi occuparunt, remansitque illis id dominij, donec tandem quibusdam ex populo q Abu Haf dictus est, ea lege regnũ relegarunt, vt illi dimidium censuum atq; prpuentuum totius regni ferrent: quod & in nostrum adhuc remansit æuum. Verùm quia Arabum tantus tamq; copiosus est numerus, vt annuus totius regni non illis sufficiat prouẽtus, Tuneti rex quibusdam ex his optimè debitum reddit, vt illi mercatoribus transitum tutum atque securum reddant, quod & præstant, non enim cuiquam nocent. Alij verò qui huiusmodi emolumentis priuantur, rapinæ, cædibus, furtis, & huiusmodi se nequissimis dedunt facinorib. Hi ferè semper in nemoribus latẽt, atq; vbi mercatorem aliquem sibi aduentare sciunt, continuò erumpunt, illumq; bonis omnib. exutum interficiunt: adeò vt iam mercatores illac ad Tuneti regnum transire non audeant, nisi adhibito conductitio aliquo satellitio. Sic tandem transitur, non sine maximo interim mercatorum incommodo. Coguntur enim iam dictis Arabibus, à Tuneti rege prouisis, ingentem pecuniæ vim exsoluere: tum illis periculum est, ne (quod sæpenumerò fit) viribus superati, à prædonibus & bonis & vita spolientur.

*Arabum qui Africam incolunt, quique Barbari appellantur, in plures partes diuisio.*

QVi Africam inhabitant Arabes,tribus distribuuntur populis. Horum enim quidam Cachini,alij Hilelli,reliqui verò Machili nuncupantur. Cachini in tres diuiduntur populos,Ethegos,Sumaitas,& Sahidos. Ethegi rursum tribus diuisi sunt partibus, Dellegis,Elmuntefigis & Subairis: occupantq; hi innumeras ferè regiones. Hilelli quatuor item sub se populos habent,Benihemiros, Riehos, Sufienos,& Chusainos.Benihemir partitur in Huroam,Hucben,Habrum, Muslimum. Rieh verò in Deuuadiam, Suaidiam, Asgegiã, Elcherithã,Enedriam, & Garfam,quæ quidẽ partes infinitas occupant ditiones.Machili tres sub se habent populos,Mastaros,Hutmenos,& Hassanos. Mastari partiri volunt in Ruchen & Selim,Hutmen in totidem Elhasin & Chinanam. Hassan autem diuidunt,Deuihessen,Deuimansor,& Deuihubaidulla. Deuihessem distinguunt in Dulein, Berbunum, Vodein,Racmen,& Hamram. Deuimansor in Hemrun,Menebben,Husein,& Abulhusein.Deuihubeidulla denique in Garagos, Hedegos, Telebos, & Geoanos. Quæ omnes innumeras possident regiones,quarum enumeratio non difficilis modò,verùm & impossibilis planè videtur.

### *Prædictorum Arabum mansiones & numerus.*

ARabum omnium nobilissimi fuerunt Ethegi,quibusque Almansor Duccalæ regionem atque Tedles solum inhabitandum dedit. Hi in nostrum vsque diem cùm à Lusitaniæ Rege, tum à Rege Fessæ,miris vndiq; afficiuntur modis. Si quando belligerandum est,mi lites

ltes habent armis aptos centum millia, horumq; bonam partẽ equites. Sumaitæ Libyæ desertum occupant, respondentque Tripolitano deserto. Sæpenumero ab his incursiones patitur Barbaria: nullus enim illis in ea locus datur, sed perpetuò vnà cum camelis deserta tenẽt loca. Horum numerus octoginta millia militiæ accómodi, pedites ferè omnes. Sahidi quoq; Libyæ desertum inhabitant, illisq; maxima semper fuit cum Gurgalæ Rege consuetudo.

Adeò huic genti copiosum pecus, vt ad omnes illius regionis ciuitates abundè inde carniũ deuehatur, idque æstiuo pręcipuè tempore, hyeme enim nunquam deserta exeunt. Accreuit horum numerus ad millia plus minus centum & quinquaginta, atqui non admodum multos inter hos reperias equites. Dellegi diuersas habent mansiones, horum maximam partem Cæsaria habet. Nonnulli & fines Bugiæ regni occupant, qui & annuum stipendium ab eorum vicinis accipere dicũtur. minima verò pars Acdeseni campos incolunt, vnà cum Mauritaniæ fines ac montẽ Atlantem, hi Regi Fessæ subijciuntur. Elmuntefigi Asgari solum inhabitant, suntque à neotericis El chaluth appellati. Enumerant & hi Regi Fessæ annuum quendam censum, pollentq; equitibus apparatui bellico aptissimis ad numerum ferè octomillium. Sobairi propemodum regno Gezeir confines sunt, sub Rege Telensini stipendia merent, ac bonam Numidiæ partẽ occupare dicuntur. Equites habẽt rei militaris peritissimos numero plus minus trium milium. Maxima est

illis camelorũ copia, quare hyeme desertum ha. bent. Reliqua horũ pars planiciem occupat quæ inter Salam ac Mecnesen sita est. Copiosum habent armentorũ numerum, agricultura sese exercent, coguntur que singulis quoque annis Regi Fessæ aliquid census exsoluere. Horum equites quos bello planè natos dicas, numerum reddunt quatuor millium.

¶ *Hilel populus, eorumque situs.*

HIlelli qui & Benihamiri appellantur, Regno Telensino & Oranico vicini habentur. Illi per Tegorarin desertum discurrunt, sub Telensini Rege stipendiantur, maximè & viribus & diuitiis pollent, & si in quenquam mouēda sunt arma, mox illis sex millia equitum in promptu est. Hurua fines tantùm Mustuganim sibi occupant, Hi syluestres sunt, furtis atq; rapinis sese dedunt, nec admodum illis ad arma animus est. Nunquā à deserto discedunt, nullus enim illis locus, nullæ prorsus mansiones, nec stipendium vllum à Barbaris datur: equites habēt plus minus duo millia. Hucbani Melianæ regioni confines sunt, hi nonnihil stipendij merent à Rege Tenetis, rudes sunt, agrestes, atque vt semel dicam, omnis humanitatis alienissimi: equites illis numero circiter mille & quingentos esse volunt. Habru eam regionē occupant quæ est inter Orania & Mustuganim, hi agriculturā exercent, Regi Telensini annuum censum exoluunt, vixq; centesimus illis eques reperiri potest.

Mullimi ea Massiliæ deserta incolunt, quæ ad Bugiæ regnum extenduntur. Sunt & hi furtis

tan-

tantùm & rapinis apti, tributa accipiunt tum à Muslimis, tum etiam ab aliis sibi regionibus vicinis. Riehi ea Libyæ deserta inhabitãt quę Constantinis confinia sunt, Amplissimam habent in Numidia ditionem, suntq; sex iam in partes diuisi. Gens ea & nobilissima & rei militari aptissima, stipendia meret sub Tuneti Rege, equitum illis numerus quinque millium. Suaidi id desertum habent quod ad Tenetis regnũ extenditur. Latum admodum his patet imperium, à Telensini Rege stipendia accipiunt, miráque illis cùm in bello tum in omni vitæ genere animi dexteritas. Asgegi non vno loco habitant: horũ enim pars quædam Garitum inhabitat, inter eum populum cui Hemram nomẽ est: reliqui verò, eam Duccalæ partem habent, quæ Azafi vicina est. El cheritæ id Helini solum habẽt, quod in Saidimæ planicie situm est, sibíque Heha populum tributarium habent. Rude admodum atq; incultum hominum genus. Enedri in Heæ planicie sedes occupant: perficit autem Hea numerũ ferè quatuor millium equitũ: atqui exigua illis in armis præstantia. Garfæ diuersas habent mansiones, nullus illis neq; Rex neq; Dux est. Cæteris populis & præsertim Mannebbæ & Hemram commiscentur. Deuehunt illi è Segelmesa dactylos ad regnum Fessæ, indeq; rursum ea conuehunt, quæ Segelmesæ necessaria videntur.

¶ *Mahchil populus.*

RVche populus qui à Mastaro originẽ duxisse creditur, id desertũ sibi habet quod Dedeti atq; Farcalæ proximum adiacet.

Exi

Exiguas admodum habent ditiones, quare nec diuites habentur, ſunt tamẽ bellis gerendis aptiſſimi, curſuque velociſſimi, adeò vt turpiſſimum illis habeatur, ſi quis pedes à duobus equitibus ſuperetur. Neque inter hos vix quenquam reperias, qui non curſu quemlibet etiam equũ quantumuis velocem anteuertat, ſit quanuis longum peragendum iter. Equites habent circiter quingentos, pedites verò militiæ aptiſſimos octo millia. Selimi ad Daræ fluuium ſibi manſiones delegerunt, diſcurrunt & hi per deſerta, multas habent diuitias, ſingulis quoque annis merces ad Tombuti regnum deuehunt, atq; illis Tombuti Rex maxime fauere creditur. Eſt his in Derha multum ſanè ditionis, copioſuſque camelorum numerus: tum ſi quis belli tumultus exoriri videatur, mox illis tria millia equitũ in promptu reperiuntur. Elhaſimi id Oceani littus incolũt, quod Meſſæ adiacet. Equites armatos numerant plus minus quingentos. gens eſt bello planè rudis atque ignara. Eorum pars quædam Aſgaram inhabitat: quos Meſſa habet, liberi habentur, ſed qui in Aſgar morantur, Regi Feſſæ ſubijciuntur. Chinanitæ inter eos moram trahunt, quos antea Elchalutas diximus, ſuntq; & hi Regi Feſſæ ſubditi. Bello plurimum valent, numerantque circa bis mille equitum. Deuiheſſemi in Duleimos, Burbunos, Vodeos, Deuimanſores, & Deuihubei dullas diuidũtur. Duleini moras gerũt in Libyæ deſerto, cũ populo illo Africano, cui Zanaga nomen eſt. Neque imperium, neq; ſtipendium vllum obtinent, quare nec diuitiis pollent, furtis

ad-

admodũ valent, Daras frequenter inuisunt, cum quibus armentis dactylorum commutationem ineunt. Omnis illis negligitur ornatus atque decor: estque horum numerus decies mille hominum, equites circiter quatuor millia, reliqui pedites. Burbuni populus eam Libyæ desertæ plagam obtinet, quæ regioni Susæ contigua est. Horum magnus admodum numerus, neq; vllas habent diuitias præter camelos. Illis subiecta est Tesseta, quæ sola non illis sufficit equis alendis, etsi exiguo illis tamẽ sint numero. Vodæi id desertum habent quod inter Guadenum ac Gualatam situm est. Hi Guadenitis imperant, certumque censum annuum a Gualatæ Duce accipiunt, ac in infinitum ferè numerũ accreuerunt. Dicuntur enim producere sexaginta ferè millia hominum bello peritissimorum, verùm illis magna est equorum inopia. Racmeni id desertum tenent quod Hacchæ proximum adiicitur. Copiosas habent possessiones, solentq; Vernis quibusque temporibus in Tessetum proficisci: nam eo tempore cum huius regionis incolis nõnihil illis negocij incedit. Milites armisque adulti numerũ ferè duodecim millium perficiunt, at perpaucos proferũt equites. Hamrus populus, Taganoti deserta inhabitant, à Taganoti incolis nõnihil tributi accipiũt, ac crebris indies per id deserti incursionibus Nuno populo molestias inferunt. Milites supputant ad numerũ ferè octo milium.

### ¶ *Deuimansor.*

DEhemruni qui à Deuimansore genus traxisse dicuntur, id desertum occupant quod

Segelmessæ opponitur, ac quotidie per Libyæ deserta ad Igidam vsque discurrunt. Horum tributarij sunt Segelmesseni, Todgitæ, Tebelbetti, atq; Daræ: tanta illis dactylorũ copia, vt annuus prouentus vitæ necessitati facilè sufficeret, etsi nihil lucri accederet: hi apud reliquas nationes maximi sunt nominis, numerantque equites circiter tria millia. Habitãt & inter hos abiectiores quidam Arabes, equorũ tamen ac omnium generũ pecudum maxima illis copia est, qui eorum lingua Garfa Esgeh sunt appellati. Est & huius populi Hemrun pars quædam, quæ multum apud Numidas ditionis obtinet, vnde & vberrimus illis annuus prouentus reportatur: ab his frequẽs fit ad desertum vsque Fighig discursus. Æstiuo tempore per totam Garitæ prouinciam dispergunturr, eamq; Mauritaniæ partem occupãt, quæ ad orientẽ Solem vergit. Nobiles sunt, viri probi, atque omnis humanitatis amantissimi; adeò vt reges Fessæ solent ferè oẽs ex his sibi vxores deligere, quare & maxima eos amicitia atq; consuetudo cõiungat oportet. Menebbe populus idem ferè desertũ inhabitant, duasq; sub se habent Numidiæ prouincias, Matgaram & Retebben. Sunt & hi validissimi, stipendia merent sub Segelmessenis, annumerantque equites duo ferè millia. Huseini qui & à Deuimansore ortum habere creduntur, Atlanti subiiciuntur. Spaciosam habent in montibus illis ditionem, multa passim castra, multas denique vrbes opulentissimas, quas sibi olim à Marini Viceregibus datas opinantur: quũ enim id regni primùm adepti fuissent, maximã illis

illis Huſeinitæ opem tulerunt. Eſt & horum regnum regibus Feſſæ atq; Segelmeſſæ ſubiectum, Ducem habent qui ferè ſemper eam vrbem inhabitat, quam Garſeluinum vulgò appellitant. Per id deſerti ferè ſemper vagatur, quod eorum lingua Eddara nuncupatur. Opulentiſſimi atque probiſſimi habentur, equitum adnumerant plus minus ſex millia, ſæpenumero inter hos & quoſdam Arabes reperias, verùm illos tantùm pro ſeruis habent. Abulhuſein populus, partim iam dictum Eddara deſertum incolunt, atqui minimũ illic ditionis poſſident: maxima verò horum pars ad tantam miſeriam redacta, vt nec victus illis in tentoriis ſylueſtribus ſuppetat. Verum quidem eſt eos in Libyæ deſerto quaſdam ſibi manſiones exſtruxiſſe, ſed tamen & fame & ſumma rerum omnium inopia premuntur: quin & (ne nõ ſint omni ex parte miſerrimi) affinibus & parẽtibus annuos exſoluere cenſus coguntur.

## Deuihubaidulla.

Eſt hui9 populi Deuihubaidulla pars quædam, quæ Gharragi nominatur: hi Benegomi atque Fighig deſerta occupant, latamque in Numidia poſſeſſionem obtinent. Stipendia merent ſub Telenſini rege, qui & ſedulò in hoc incumbit, vt eos in pacem vitæque tranquillitatem redigat: ſunt enim & latrociniis & furtis addictiſſimi. Æſtate ſolent ſe Telenſinum cõferre, vbi & per id tempus ſedes figere creduntur: equites illis quater milleſimũ complent numerum, quos omnes & Marte digniſſimos dicas. Hedegi quoddam deſertum Telenſini vicinũ habent

bent, quod illis Hangad nuncupatur. Nullum prorsus stipendium merent, nihil omnino ditio nis possident, rapina tantùm illis atque præda cordi sedet, his duntaxat & sibi & familiæ proui detur, numerantque equites ferè quingentos. Tehlebi Elgezairæ planiciem incolunt, fitque ab his frequens admodum per deserta ad Tegdeatū discursus. Illis Elgezair atq; Teddelles vrbes maximè insignes subijciebantur: verùm nostro hoc tempore à Barbarossa illis ademptæ sunt, quod & eorū regem pessime habere facilè quis conijcere poterit. Quin & tum temporis eum deletū populum perhibēt qui apud illos Tehleb dictus erat: hos quidem neque virium neque rei milita ris præstantia cuiquam populo cedere dixisses, equites numerabant plùs minus tria millia. Gehoanitæ non vno loco habitant, horū enim pars quædam vnà cum Guaragis, reliqua verò inter Hedegos reperias, suntque illis non aliter quàm seruorum vice, quod & animo tamen æquissimo tolerant perferuntque. Illud autem hòc loco no tandum, priores illos duos populos, quos Schachinos atque Hilellos appellauimus, Arabes esse Arabiæ desertæ, qui & originē ab Ismaële Abrahami filio se traxisse opinantur. Quos autem no mine Machil antea notauimus, hos Arabiam fœlicem habere, ortumque ducere à Saba. Hos Mahumetici iis posthabitos volunt, qui ab Ismaële Ismaelitæ sunt appellati. Et quia maxima semper inter eos fuit disceptatio, vtra pars nobilitatis primas partes obtineret, hinc factū est quòd vtrinq; multa fuerint conscripta colloquia atq; epi-

epigrammata, quibus quisque suæ gentis encomia, mores atque ritus decantare solitus est. Veteres illi Arabes, qui ante Ismaëlitas fuere, ab historiographis Africanis Arabi Araba, hoc est Arabes Arabici (vt sic dicatur) vocitari solent. qui ab Ismaele genus duxisse dicũtur, Arabi Mustahraba, id est, Arabes (vt ita loquar) inarabati, vel Arabes per accidens nominãtur, eò quòd non sint Arabes natiui. Quæ ex eo tempore in Africam demigrarunt, eorum idiomate Arabi Mustehgeme (quod latinè Arabes barbari sonat) sunt appellati, quòd extraneis sese adiunxerunt, adeò vt non solum habeant sermonem, verùm & mores corruptissimos, sintq; moribus prorsus barbari. Hæc sunt, amice lector, quæ potuit memoria de Africanorum atq; Arabum origine ac diuisione, hoc toto decennio seruare, quo neque me legisse neq; vidisse vllam de ea gente historiam memini. Si quis plura videre velit, eum Hibnu consulat oportet, quem antea nominauimus.

¶ *Africanorum qui Libyæ deserta inhabitant mores atque ritus.*

QVinque illi iam antea enumerati populi Zenagates, Guansigates, Tergates, Leutatæ, & Bardeitæ, à Latinis Numidæ dicuntur, estq; omnibus vnus idemq; viuendi modus, absque vllis legibus aut rationis vsu. Horũ vestis panniculus est admodum angustus atque rudis, quo vix eorum pars dimidia tegi potest. Quorundam caput tela quædam nigra ad fasciæ modum reuoluta çingit, cuiusmodi fermè Turcas vti videmus, Dulipanum Itali vocant. Qui ceu ma-

magnates inter cæteros dinosci volunt, subuculã ex gossipio cæruleo confectam, latis manicis circunferunt. Gossipium autem illis à quibusdam mercatoribus è Nigritarum solo aduehitur. Nullum habent equitationi aptum animal, præter camelum, cui natura inter eum gibbum quem in posteriori dorsi parte gerit & collum, ephippium dedit. Res sanè risu digna si quis hos equitantes aspiciat. Nonnunqua enim tibiam tibiæ innixam in ipso cameli collo habent: interdum verò stapedis vice, restis est camelo ex humeris dependens, nulla staffæ habita cognitione. Pro calcaribus, bacillo vnius cubiti longitudine vtuntur, qui cuspide altero ferreum habet pugionem, quo humeros tantùm camelorum pungere solent. Qui equitatu parantur cameli, nares ferè omnes perforatas habent, annulusque coreaceus illis aptatur, quo ceu freno quodam & domari & duci facilius possint, quemadmodũ & apud Italos bubalos videre licet. Lecti vice, stibadiis seu storeis ex iunco consitis vtuntur. Tentoria ferè ex vndulato, aut ex aspera quadam lana conficiuntur, quæ intra dactylorũ racemos reperiri solet. Quod ad victum attinet, non dictu facilè, q̃ sit ea gens famis inediæq; patientissima. Neque pane vescuntur, neque cibo aliquo vel quocunq; modo cocto, solo camelorum lacte contenti, nil præterea deliciarum ambiunt. Pro ientaculo ingentem lactis tepentis cyathum epotant, in cœnam nonnullæ carnes siccæ lacte ac butyro condiri solent, ex his suam quisque portionem arripit, ac sic è manu vorat. Et ne quid in stomacho

situs

ſitus contrahat cibus, id iuris quoque ſorbent, quod carnes antea condiderat: qua in re caua manu cochlearis vice vtuntur, tanquam naturæ inſtrumento ad id peragendum aptiſſimo. Exinde rurſum lactis patera exhauritur, eſtq; hic totius cœnæ colophon. Dum illis adhuc lactis aliqua datur copia, aquam prorſus negligunt, quod ferè in Vere accidit, quo toto tempore quoſdam inter hos reperias, qui nec manus nec faciem ſemel abluerunt. Quod hac de cauſa euenire credibile eſt, nam vt antea diximus, dum illis lac durat, ea loca non adeunt, quibus aqua inueniri poſſet: adde, quod illorum camœli, dum herbis paſcuntur, aquam non bibunt. Omnis eorum vita venationibus ac rapinis tranſigitur, in hoc enim totis brachiis incumbunt, vt hoſtium camœlos abigant, nec vltra triduum eundem locũ occupant, nõ enim diutius poſſent paſcua eorum ſufficere camœlis. Et quanuis, vti iam dictum eſt, nullam habeant ciuilitatis rationem, nullumque vitæ inſtitutum præſcriptum, illis tamen dux quidam ſiue princeps præſidet, cui ceu regi & obediunt & debitos honores tribuunt. Non literarũ modò ac diſciplinarũ rudiſſimi perhibentur, verùm etiam & virtutum apud illos ſummus eſt neglectus: adeò vt vnum vix in toto illo populo reperias, qui aut conſilio polleat aut iudicio. Quin & ſi quiſquam iniuria affectus velit aduerſarium in ius vocare, huic totos quinque aut ſex dies equitandum, priuſquã iudicis cuiuſquam tentorium pertingere queat. Tanta huic genti artium atque bonarum diſciplinarum deſpectus, vt ne deſerta

ſtudij ergò exire dignentur : neque ſi quis eruditus fuerit, eorum amare commercium poteſt, propter mores tum incultos,tum omnibus modis deteſtandos. At ſi quis tamẽ iudex reperiatur, qui illorum mores vtcunque ferens,cum illis manere velit,largiſſima huic in annum ſtipendia numerantur. Sunt enim qui mille ducatos annuę, ſunt qui plus, ſunt qui minus ſuo iudici exſoluant, idq; pro eorũ iudicio atq; arbitrio. Qui nobiliores videri volunt,pannum,vt dixi,nigrum in capite gerunt, cuius pars quædam totam faciem oculis tantùm exceptis tegit,eſtq; hic eorum habitus quotidianus. Quoties autem cibum in os ingerunt,pannum auferũt,ac mox ſingulis morſibus retegunt:huiuſq; talem afferunt rationem; Quemadmodum,inquiũt,indecorum eſt,ſi quis cibum euomat,aut ex ore in terram deijciat,ita nec honeſtum videri poterit, aperto ore cibum ſumere . Huius populi fœminæ craſſiores ſunt atque carnoſæ, cæterùm non vſqueadeo albæ. Maxima illis pinguedinis portio circa pectus ac mamillas, ſed ea parte quam cingulum premit, graciliores ſunt. Ciuilitatem ſummè colunt,cùm inter loquendum,tum & in porrigẽdis manibus; patiuntur & interdum ſe oſculo excipi,verùm ſi quis propius accedere conetur,vitę periculo ſeſe exponit. Eã nãq; ob cauſam multos ſe mutuò indies interficere videas,idq;beluino prorſus more; nulla adhibita hac in re miſericordia. Videnturq; hac in parte plus ſapere, quàm noſtratium plerique,cùm nec caprarũ mariti ſe effici vllo modo velint. Maius ſemper illis fuit liberalitatis ſtudium,

dium,quàm quis facilè exprimere queat.Quãdo vtcunque licet per eius loci ficcitatem aliam incedere viam, nemo eft qui per eorum caftra vel tentoria tranfitum fibi quærat,neque illi etiam communem illam adire viam volunt. Et fi qua populi frequentia illorum deferta tranfire velit, tenentur huius populi principi quiddam perfoluere cenfus,nempe pro cuiuflibet cameli farcina pannicellum, (vt vocãt) quod noftra moneta ducato æquiualere dicitur.Memini me quodam die cum quibufdam mercatorib. in eam planiciem defcẽdiffe,quæ Araoan illis nũcupari folet,nosq́; illic Zanagæ principẽ inueniffe obuium, qui debitum fibi tributũ exegit, pòft,vniuerfam illam mercatorum multitudinem rogauit, vt fua fecũ adire caftra velit, illicq́; conquiefcendí gratia in triduum aut quadriduum manere.At quia illius caftra nimium erãt à via noftra femota, fuiffetq́; diutius nobis ac voluiffemus errandum,confultius ducentes rectam femper feruare femitam, gratias egimus illius humanitati maximas. Verùm ille cùm nec precibus finẽ imponeret,iuffit camelos recta præcedere,mercatores autem fecũ manere voluit,ac tandem in fuo hofpitio magnificè excepit. Quò vbi deuentum eft,mox bonus ille vir multos iubet mactare omnium generum camelos ac ftrutiones,quos in itinere illo venat⁹ fuerat. Nos verò,ne cameli mactarentur affiduè rogabamus,illud & præterea affirmantes,nos nõ præfentibus aliis huiufmodi animantium carnibus vefci folitos. Hìc ille refponfum dedit,nõ ciuiliter fe facturum,fi tam magnificis ac nunq̃

antea visis hospitib. parua tantùm animalia prę- ponat. Quare nobis quæ in promptu erāt, edenda fuerunt. Maximam hîc vidisses carnium assarum ac elixarum copiam: strutiones assi vasis vimineis variis herbis multoq; conditi aromate apponebātur. Panis ex millio ac panico confectus, subtilissimi ac gratissimi erat saporis: tandem & dactylorum luxuriem, vasaq; lacte referta afferebant. Quin & insignis ille princeps, quò nos sibi gratissimos hospites re ipsa comprobaret, nostro conuiuio, vnà cum omnibus suæ regiæ aulicis, interesse voluit: nos tamē separatim prandebamus. Tum & religiosos quosdam doctissimosq; viros nostro conuiuio accersi iussit, neque panem toto eo tempore quo apud illum epulabamur illorum quisquam tangebat, sed solis carnibus ac lacte vescebantur. Quamobrē nobis plus satis attonitis, humanioribus occurrit princeps ille verbis, seq; omnes iis locis natos affirmat, vbi nulla frumēti species nasceretur: esse tamen semper magnā penes se frumentorum vim, vt esset quo exteri excipiantur. Proinde nos bono esse animo ac securo hortatus est, se autem iis duntaxat vesciturū quæ id solum ferebat: illud insuper addens, diebus pascæ atque aliis quibusdam quibus sacrificabatur, panē apud illos in vsu remansisse. Hunc in modum apud illum totū biduum moras traximus, quo dictu incredibile quàm opulentis ac miris nos exceperint modis. Tertio aūt die nobis discedere volentibus, princeps ad eum vsque locum comitatur, vbi præcedentem illam turbam consequuti sumus. Illud autem vel sanctissimè

affir

affirmare ausim,nos decies plus apud principem consumpsisse,quàm antea tributi exsolueramus. Illud hoc loco subnectere libuit, vt quàm sit ea gens humana atque liberalis,vtcunque docerem. Neque princeps ille nostrum,neque nos principis poteramus intelligere idioma, sed quicquid dicebatur aut respódebatur,interprete id fiebat. Quod iam de vno hoc populo diximus,de reliquis quatuor intelligendum est, qui per cætera Numidiæ deserta disperguntur.

¶ *Arabum qui Africam incolunt mores atque ritus.*

QVemadmodũ Arabum variæ sunt mansiones atq; situs,sic & aliam habent atq; aliam viuendi normam. Qui inter Numidiam atq; Libyam habitant,vitam agunt miserrimam atq; calamitosam,multumq; hac in re ab iis differunt Africanis, quos Libyam habere iamiam diximus.Sunt tamen illis longè animosiores:mercaturã camelorum apud Nigritas exercent,estq; illis copiosus admodum equorũ grex, quos in Europa vulgò Barbaros appellitant.Illis venatio admodum placet, ceruos, onagros, strutiones,atq; id generis animalia insectantur.Neq; id interim omittendum,maiorem Arabum partem qui Numidiam inhabitant,maximã habere in describendis versibus lepôrem atque elegantiam,quibus suos quisque amores,venatus,prælia,resque præclarè gestas decantare solet, idq; fit rithmis ad Italorum ferè morem compositis.Liberalitatis cùm sint amantissimi, nullum per facultates eius specimẽ ædere licet,quotidie enim

ſupra modum innumeris vexantur incõmodis. Hi omnino ad Numidarũ veſtiuntur vſum, niſi quòd eorum mulieres nonnihil à Numidiæ fœminis varient. Quæ iam illi habent deſerta, olim ab Africanis occupari ſunt ſolita: ſed cùm eorum exercitus eam Africę regionem inuaſit, Numidis bello pulſis, ſibi Arabes hi ea deſerta ſeruarunt quæ dactylorũ ſolo adiacet: Numidæ verò, tum id deſerti inhabitare cœperũt, quod Nigritarum regioni vicinum eſt. Qui intra Africæ fines inhabitant Arabes, inter Atlantem ac mare mediterraneum, iam antea nominatis ditiores atque copioſiores habẽtur, cùm veſtibus ſumptuoſioribus, tum & equorum pabulo, ac tentoriorum amplitudine atque magnificentia. Horum equi multò habitiores ſunt, at non vſq; adeò veloces, ac illi quos iam dictum deſertum alit. Agriculturam exercent, prouenitque illis copioſus admodum grani cumulus. Pecorum atque armentorum innumerus illis ferè grex eſt, quare non vno loco habitare poſſunt, non enim omnibus paſcua ſufficerent. Aliquantulo barbariores ac viliores iis ſunt, qui in deſertis degunt, quanuis aliquam habeant liberalitatis portionem: eſtque illorum quędam pars (nempe qui Feſſæ habitant) Feſſæ Regi ſubiecta. Qui in Marocco atq; Ducala morãtur, longo temporis interuallo liberi fuerunt ab omni grauedine ac tributo: ſed cùm primùm Luſitanię Rex Azafitis atque Azemoribus imperare cœpit, inter eos ſubortæ lites bellaque ciuilia. Quamobrem cùm à Feſſæ, tum à Luſitaniæ rege, maximaq; illius anni rerum omnium

ino-

inopia ac caritate domiti, ad id miseriæ redacti sunt, vt etiam vltro se Lusitanis mancipia obtulerunt, & se cuilibet astrinxerunt, qui Saguntinã illorum famem sedare volebat: hoc pacto eorum vix quisquam in Ducala remansit. Porrò illi qui in desertis Telensino atque Tuneto confinibus morantur, omnes ferè nobiles atque magnates dici possent. Horum enim principes maximum quotannis à Rege prouentum recipiunt, quem postea inter suos quisque ciues distribuunt, ne quid discordiarũ obrepat: hac arte omnis procul dissentio pellitur, seruaturque pax inter ciues integra. Mira illis venustas cùm in componendis tentoriis tum in equis educandis. Solent æstiuo quoque tempore Tuneti quędam loca viciniora inuisere, vt sibi quisq; abunde prouideat, hic panes, arma, ac quicquid vsui futurum arbitrantur, auferunt: atq; hoc modo deserta repetentes, tota illic latitant hyeme. Veris temporibus se venationi dedunt, nullaque reperiri potest fera, quæ non ab his insidietur. Aliâs me eorum tentoria inuisisse memini, nec id meo quidem incõmodo, vbi & maiorem panni, æris, ferri atq; aurichalci copiam inueni, quàm quis apud ditissimos quarundam vrbium ciues se inuenturũ credat. Non tamen illis fidendum est, sunt enim vbi locus datur, fures admodum peritissimi: etsi nonnihil ciuilitatis præ se ferre videantur. Poësis summè ab his amplectitur, versus describũt elegantissimos, quum eorum lingua nunc sit castigatissima atq; ornatissima. Si quis alicuius momenti poëta inter eos reperiatur, hic ab illius regionis magna-

tibus ſummo excipitur honore atq; munificentia,nec quenq̃ facilè credere puto,quantus inſit illorum carminibus lepor atq; venuſtas. Horum mulieres ad illius loci modum ornatiſſimo vtuntur veſtitu, linea circunferunt induſia nigra manicis latiſſimis, inſuper & eiuſdẽ coloris,aut cæruleum aliquando geſtant linteamẽ,ſic vt argenteum quoddam ſpinter affabrè admodum confectum,linteaminis angulos in humeris connectat. Annulos ex auribus ſuſpenſos habent, qui ferè ex argento fabricãtur:quin & digitos quoq; multis ſolent onerare annulis. ſolent itẽ & crura atq; calcanea faſciolis & annulis Afrorum more circundare. Facies illis panniculis quibuſdam cooperitur, qui ad oculi locum foramen habent quo ceu perſpicillo quodam vtuntur. Quòd ſi quiſquam illis occurrit obuiam,cõtinuò faciem abſcondunt, ac mutæ prætereunt, niſi forſan is ex cognatione ſit aut conſanguineus,nam inter hos habẽt ſemper faciem apertam,nulluſq; tunc eſt iam dicti panniculi vſus. Si quando eſt illis aliquò migrandum (quod ſæpenumero fit) fœminas camelis vimineis quibuſdam ſellis ad id apprimè compoſitis (ciſtulas eſſe dicas) imponunt,neq; latiores ſunt,quàm quæ ſoli fœminæ ſufficere poſſint. Quum ad bellum proficiſcuntur, ſuam quiſque vxorem comitem ducit, quæ maritũ conſoletur atque timorem excutiat. Solent innuptæ omnes ferè puellæ, fuco quodam faciem,pectus,brachia,manus ac digitos depingere:quæ res apud illas honeſtiſſima videtur. Manauit autem id moris ab Arabibus illis quos Afri

canos

canos antea nominauimus, cùm primùm eam inhabitare regionem cœperunt: nunquam enim antea fuco vsæ fuerāt aut colore aliquo ascititio. Quæ Barbariam incolunt mulieres, nullum habent fuci fictive coloris vsum, natiuo tantùm colore contentæ, nihil præterea ascifcunt. Conficiunt tamen aliquando ex gallę fumo atq; croco quendā colorem quo dimidia illis genarū pars, orbiculari figura ad vnius aurei magnitudinem depingitur. Inter supercilia quendam triangulū describunt, similiter mento nescio quid appingitur, quod oliuæ folium non dissimile videtur. quædam etiam tota depingunt supercilia: estq; hic mos à poëtis Arabicis, atq; ab illius regionis nobilibus summo loco habitus. At non vltra biduum aut triduum ita ornatę incedunt: quandiu enim adhuc iam dicti videntur colores, nulli amicorum, præterquam filiis aut marito videri possunt, quòd ea res ad libidinē plus satis allicere videatur, dum hoc modo multò formosiores atque elegantiores se effectas arbitrentur.

## ¶ *Arabum qui inter Barbariam & Ægyptum deserta tenent, viuendi modus.*

HOrum vita miseriis atque calamitatibus abundat: sunt enim ea quæ inhabitant loca sterilia atque aspera. Est illis camelorum atque pecudum sic satis copiosus numerus: verùm quoniam tanta est pabuli inopia, non admodum feliciter succedere queunt. Neque si totam illam regionē peragraueris, vix vllum ferendis frugibus aptum locum inuenias. Quòd si quæ reperiantur in eo deserto tuguriola, aut qui agri-

maximè profuturam pollicebantur. Sed quia nõ adeò fidem illis habebamus, nullus nauem exire audebat, quin prius quosdam nobis obsides tradidissent. Quod vbi præstitissent, ab his aliquot eunuchos bonamq́ue butyri copiam emimus. Ac mox solutis anchoris inde fugã occepimus, metuentes ne à Siculis ac Rhodiensib. piratis obruti, non bonis modò, sed & libertate spoliaremur. Sunt ergo hi rudes admodum, squalidi, pari nosi, macilenti, fame fracti, deos omnes perpetuò illis infensos dicas, à quibus tot quotidie plagis afficiuntur.

*Soaua, hoc est, qui pecudum atque armentorum curam gerunt, quiq́ue cùm Africani sint, mores tamen Arabum imitantur.*

MVltos admodum inter Afros reperias, qui nihil aliud quàm pastores agunt, habitantq́ue ad montis Atlantis initium, atque variè in illo monte disperguntur. Semper aut Regi illius regionis, aut Arabibus tributa exsoluere coguntur, iis tantummodo demptis, qui Temesnam incolunt, sunt enim liberi atque potentissimi. Idioma habent cum cæteris Africę populis commune, nisi quòd illi qui cum Vrbis (hæc ciuitas Tuneto vicina est) incolis versantur, Arabicè loquuntur. Est & quidam præterea populus, qui id solum occupat, quod regionem dactyliferam à Tuneto dirimit. Solent hi sæpenumero in regem mouere arma, vt annis his iam proximè elapsis videre licuit, quibus dicti regis filius cùm à Constantina ad hos proficisceretur, quò debitum sibi censum exigeret, infœliciter

citer admodum pugnauit. Mox enim vbi de regij filij aduentu certiores facti sunt, cum duobus equitum millibus obuiam eunt, ac tandem nihil tale cogitantem bello superant atque interficiunt, omnemq́ue quam secum adduxerat supellectilem secum abducunt. Id autem accidit anno Hegiræ.915. Ab eo tempore maximi fuerũt apud omnes nominis. Multi etiam qui sub Tuneti rege erant, à rege ad hos desciuerunt, adeò vt horum princeps tantus euasit, vt non habeat in tota Africa, qui cũ eo vllo conferri modo possit.

¶ *Priscorum Afrorum fides atque religio.*

FVerunt Africani illi antiqui idololatriæ dediti, quemadmodum & in hunc diem adhuc sunt Persæ, qui alij solem alij ignẽ ceu Deos colunt. Habuerunt iam dicti Africani magnifica atque amplissima templa, cùm in Solis, tum in ignis honorẽ exstructa. In his noctes atque dies accensus fouebatur ignis, accurateq́ue cauebatur, ne quid extingueretur, vti & apud Vestales Romanas factitatum legimus: quæ omnia fusius atq; copiosius videre licebit apud Persarum ac Africanorum Chronographos. Qui Numidiam & qui Libyam incolebant Africani, planetam quendam quisque adorabat, cui & sacrificia atq; vota fiebant. Quidam ex illis quos antea Nigri vocabulo notauimus, Guighimo, hoc est Cœli Dominum venerabantur, fuitq; illis sanior hæc mens, non à propheta quodam aut doctore, sed quasi diuinitus introducta. Inde Iudaicam tandem sibi assumpserunt legem, in qua & multis annis stetisse dicuntur. Postea & Christia-

næ fidei aſſertores,in ea tempora Chriſtiani remanſerunt,quibus ſuborta Mahumetanorũ ſuperſtitio eſt, quod euenit anno Hegiræ.208. Eo tempore quidam ex Mahumetis diſcipulis apud hos tanta facundia,tantaque linguæ fallacia habuere conciones, vt infirmos adhuc animos in ſuam pertraxerunt ſententiam, adeò quòd omnia illa Nigritarum regna quæ Libyæ adiacent, Mahumetis ſibi fidem aſſumpſerint; vixque vlla illic reperiri poterit regio, quæ Chriſtianos in hunc vſq; diem habeat. Qui tum aut Iudæi,aut Chriſtiani,aut Afri inueniebantur,ſtatim interfecti ſunt atq; omnino deleti. Illi verò qui mari Oceano viciniores ſunt,idololatriæ cum primis incumbunt omnes.Maxima his fuit eſtque & in hunc vſq; diem cum Luſitanis conſuetudo.Barbariæ incolæ in permultis annis idolorum cultores remanſerunt,verùm annis ante natum Mahumetem plus minus ducentis & quinquaginta, fidem Chriſtianam aſſumpſiſſe dicuntur: id eam ob cauſſam factum putant,quòd ea pars quę Tunetum atq; Tripolitanum continet regnũ,olim duces habuit Apulienſes ac Siculos,Cæſariæ verò & Mauritaniæ tractus, Gothis paruiſſe creditur. Quo etiã tempore permulti Chriſtiani Gothorum furorem atque rabiem fugientes, dulcia liquerunt Italiæ arua,& ad ea loca tandem venerunt,quę Carthagini viciniora ſunt: vbi poſtquã aliquandiu ſedes fixiſſent,eius regionis dominiũ ſibi vſurpauere. Qui tamen Barbariam inhabitabant Chriſtiani, nihil Romanæ eccleſiæ ritus curantes,illorum viuendi formam atque religionem

ibi literas præter Latinas inueniſſe. Neq; negant Afros peculiarem quendam atque proprium ſermonem, ſed eaſdem prorſus habere literas, quas in Europa Tuſci, conſtanter affirmant. Nullam habent Arabes de rebus Africanis hiſtoriam, quæ non prius fuerit Latinè deſcripta. Autores habent antiquos quoſdam, qui partim Arrianorum temporibus ſcripſerunt, partim etiam qui ante ea tempora fuerunt, quorum omnium nomina memoriæ exciderunt. Illorum autẽ volumina permultos continere libros credibile eſt; cùm enim horum interpretes nobis quid perſuadere vellent, id ſeptuageſimo haberi libro ex illis me audiſſe memini. Neq; in vertendis iam dictis voluminibus, autoris ordinẽ per omnia ſunt ſecuti, ſed ſumpta cuiuſdã Principis hiſtoria, tempora illa cum Perſarum Regum aut Aſſiriorum, aut Chaldeorum, aut Iſraëlitarum temporibus connexa maluerunt. Eo autem tempore quo (vt iam dictum eſt) à Bagadeda Pontifice deficientes rerum in Africa potirentur, omnes Afrorum libros igni committi iuſſerunt. Sic enim perſuaſum habebant, quandiu penes Africæ incolas eſſet aliqua naturalis ſcientiæ aut bonarum diſciplinarum cognitio, fore vt ſuperbia eos indies ad tumultũ atq; ad Mahumeticæ legis contemptum magis ac magis prouocaret. Contrà, non deſunt apud nos hiſtoriographi, qui Africanos proprias habuiſſe literas dicãt, verùm ab eo tempore quo Itali primùm Barbariam inhabitare, quoq́ue Chriſtiani ex Italia Gothorum fugientes impetum, has ſibi prouincias ſubigere

cœ-

cœperũt, ſublatas eſſe atque deletas. Victos enim victorum ritum atque characteres aſſumere debere quis neget? Nónne idem & Perſis dum adhuc Arabum ſtaret imperium accidiſſe legitur? Certiſſimũ conſtat hos quoque literas quas tum ſibi peculiares habuēre, amiſiſſe: omneſque illorum libros Pontificum, Mahumetanorum iuſſu igne conſumptos, ne quid rerum phiſicarum cognitio aut idolorum leges, Mahumeticæ detraherent dignitati. Idem & Barbaris eueniſſe antea indicauimus, cùm Romanos atque Gothos eam ſibi terram vſurpaſſe ſcripſimus: quod hoc loco lectori ſufficere videtur. Certiſſimum eſt atque compertum, omnes Barbariæ tam maritimas q̃ non maritimas ciuitates, Latinis tantùm vti characteribus, cùm aut epitaphia, aut aliud quippiã poſteritati committere volunt. Quæ omnia tam mihi perſuaſerunt argumenta, vt Africanos ſuas habuiſſe literarum notas proprias crediderim, quibus & ſuas deſcripſiſſe res geſtas non dubitauerim. Veriſimile enim eſt, Romanos cùm eam occupaſſent ꝓuinciam, omnes eorum literas (vt ſemper fieri ſolet) atque memoriam abſtuliſſe, ſuaſque literas intuliſſe, vt ſola Romani populi illic ſtaret memoria atque dignitas: quod & conatos fuiſſe Gothos in Romana ædificia, item & Arabes in Perſarum monuméta, omnibus abundè notum eſt. Id quoq; à Turcis quotidie factitatum videmus, qui vbi Chriſtianis locum aliquem ademerunt, mox diuorum omnium imagines inde eiiciũt. Et vt hæc omnia omittamus, num obſecro noſtris hiſce temporibus Romæ

quo

quotidie accidere videmus, vt ædificia quãtumuis magnifica atque sumptuosa, ob præmaturam mortem vnius Pontificis imperfecta, à succedente funditus extirpari, atque propter nouitatem nescio quam destrui? num statim nouus ille Pontifex præcedentis deleri arma, & sua insculpi iubet? aut certè si minus arrogans videri velit, relictis prioris monumẽtis, sua multò sumptuosiora atque eminentiora erecta curat? Non igitur mirum, si Africanis longus ille rerum successus literas ademit. De. 909. illis annis, quibus Afri Arabum vsi sunt literis, Ibnu Rachich Africanarũ rerum scriptor diligentissimus, suo Chronicorũ libro copiosissimè disserit, fuerit ne Afris peculiaris scribendi modus nec ne. Cócludit aũt tandem partem affirmatiuã: nam si quis, inquit, id neget, & eos proprium habuisse idioma neget necesse est. Nam fieri nequit, vt aliquis populus habeat proprium loquẽdi modum, literis autem vtatur ab aliis mutuatis, atque à suo idiomate prorsus alienis.

¶ *Africæ situs.*

QVemadmodũ Africæ quatuor sunt partes, ita non vnus est eius situs. Ea pars quæ mare Mediterraneum spectat, hoc est, à stricto Zibeltar ad confinia vsque Ægypto loca, montibus occupata est. Ad Meridiem quibusdam locis ad centum circiter miliaria distenditur, quibusdam locis latior ac quibusdam strictior. Ab his montibus vsque ad Atlantem planiciem habent spaciosam, & quosdam item colliculos. Maxima est huic regioni fontium copia,

qui in vnum tandem confluentes, riuulos reddunt perſpicuos,viſuq; amœniſſimos.Inter iam dictos montes & planiciem ſitus eſt mons Atlas,qui à mari Oceano ex Occidente oritur, extenditq; ſeſe Orientē verſus ad confinia Ægypti loca.Ab Atlante ea videtur Numidiæ regio,quæ dactylos producit,omni ex parte propemodum arenoſa. Inter Numidiam & regionem Nigritarum,Libyæ deſertū eſt arenoſum,quod & multos continet montes,verùm nō illac mercatores iter faciunt,cùm facilius atque multò tutius per alias ꝓficiſci licet. A Libyæ deſerto initium habet Nigritarum regio,cuius omnia loca ſunt arenoſa,præter ea quæ flumini Nigro cōfinia ſunt, item & agri omnes qui fluuio aliquo aut flumine alluuntur.

¶ *Africæ loca fera atque niuoſa.*

OMnis Barbariæ tractus,atque qui in ea reperiuntur montes, frigiditatis maiorem habent portionem quàm caloris, vix enim vlla illis pertranſit aura, quæ non niuem ſecum adferat. His omnibus montibus fruges proueniunt atque fructus, at non frumenti vſq; magna copia. Horum incolæ maxima anni parte pane veſcūtur hordeaceo.Qui ex illis montibus ſcaturiunt fontes,natiui ſoli ſaporem præ ſe ferunt, turbidiores ſunt,iiſq; præſertim locis, qui Mauritaniæ confines ſunt. Sunt & iam dicti montes nemoroſi atque excelſis admodum arboribus conſiti,omnium generum animalibus feraciſſimi. At colles atque planicies quæ inter iam dictos montes & Atlanta reperiuntur,multò prę

ſtan-

ſtantiores frugumq́ue vbertate fœliciores ſunt. Vndique fluuiis irrigantur ab Atlante manantibus, qui & tandem in mare Mediterraneũ prolabuntur. Rariora hîc reperiuntur nemora, eſtq́ue hæc multò fœcundior planicies, quàm ea quæ inter Atlantem & Oceanum inuenitur. vt ſunt regiones Marocci, Duccalæ, Tedles, Temeſnes, Aſgaræ, & id ſolum quod ad Zibeltaram vſque diſtenditur. Mons Atlas & frigidiſſimus eſt & ſterilis, minimam fert frugum portionem, omniq; ex parte nemoroſus, omnia ferè totius Africę flumina procreat. Fontes huius mõtis ſummo æſtu frigidiſſimi, adeò vt ſi quis manum aliquandiu huic aquæ immerſam teneret, nulli dubiũ quin eam prorſus perderet. Non tamen vbique æquè magna eſt frigiditas: quædã enim loca adeò temperata, vt commodiſſimè inhabitare liceat: quin & bona horum pars incolas habet, vti ſecunda huius libri parte copioſius dicetur. Quæ habitatoribus deſtituuntur loca, aut admodum frigida, vt ſunt ea quæ Mauritaniam ſpectãt: aut aſpera, qualia ſunt quæ Temeſnæ regioni ex aduerſo reſpondent. Æſtate quidem licet greges pecuſq́ue cogere, cæterùm hyeme nullo modo. Mox enim ſimul cum niue tam incrudeſcit Boreas, vt omnes pecudes quæ in paſcuis inueniuntur, nec nõ & bonam hominum partem interficiat: quare temporibus illis quiſque ſibi aliquò proficiſcẽs, iter inter Mauritaniam atq; Numidiam eligit. Qui dactylos è Numidia ad alias nationes deuehunt mercatores, ſolent ſe circa finem menſis Octobris itineri committere, & tamen ſæpenu-

merò tam ſubita niue opprimuntur,vt vix eorũ quiſquam ex tempeſtatũ periculis aufugere poſſit. Quũ enim noctu ningere incipit,mox ante exortum diem non currus modò ac homines,verùm etiam & arbores niue adeò obrutæ,vt ne harum quidem vel vllum veſtigium videre licet. Mortuorum tum demum corpora inueniuntur, cùm Solis acceſſu nix eſt liquefacta.Ego quoque bis Dei Opt.Max. beneficio maximũ aufugi periculum niuoſum,idq́; quopacto euenerit,ſi non moleſtum eſt,paucis accipite. Quodam die iam dicto menſe cum magna mercatorum frequẽtia ad montem Atlantem veneramus,vbi circa Solis occaſum frigidiſſima quadam niuoſaq; grandine ſalutabamur. Hîc ego vndecim aut duodecim equitum copiam (Arabes putabam eſſe) inueni, qui currus deſerere atque ſecum ire hortati, bonum ſecurumq́ue hoſpitium polliciti ſunt. Ego ne inciuilis viderer, non audebam commodè recuſare,& tamen ab his metuebam mihi,ne quid mali inferrent. Quamobrẽ de relinquenda quadam aureorum ſumma,quæ tum penes me erat, cogitare cœpi.At quoniam iam omnes ad equitatum accincti nihil ocij condendi nummos ab his mihi dabatur, finxi me debere exonerare aluum. Inde me paululum ab illis ſubduco,ac ſub arbore quadam, quam ſedulò quodam noto indicio,pecunias inter ſaxa atq; arborem recondo. Poſtea in mediam vſque noctem taciti equitauimus. Tum horum vni ſatis diu expectatũ fortaſſe videbatur,id demum prodere incipit, quod in animo erat.Rogat num quid nummorum penes

nes me habeam. Hîc ego,me meas pecunias cuidam ex illis commisisse dico,qui currus comitabantur,nihilque prorsus ad manus esse. Id verò quoniam nó satis illis persuaserat, vestes omnes exuere iubent, nulla interim habita frigoris ratione. Cùm nec tum quidem quicq̃ pecuniarum reperire potuerunt, ridendo atque iocando fingunt id eam ob caussam factum,vt viderẽt, num fortis essem,& num possem frigus atque tempestatum sæuitiam ferre. Deinde quantum potuimus in ea cùm obscurę noctis tum temporis iniuria atq; incommoditate viam equitando consequuti sumus,ac tandem multarum ouium balatu percepto,nos non procul ab hominum con uentu abesse intelleximus. Quare è vestigio illac nobis equitatio dirigebatur:equos cùm per densum nemus tum per altissimas rupes diducere maximo iterũ cum vitæ periculo cœpimus. Ac tandem post multos labores in quodã antro pastores inuenimus:qui postquam oues omnes nó sine magno negocio introduxissent,luculentum sibi construxerãt focum,quem & assiduè ob frigus ambiebant. Qui vbi nos Arabes esse intellexissent,primo exterriti ac veriti ne quid sibi mali à nobis inferretur,postremo aurę sęuitia persuasi ac paulò securiores redditi,hospitalitatẽ produnt erga nos maximam. Panem,carnes atq; caseum nobis apponunt,quibus statim ac cœnam absoluissemus,quisque se ad ignem somno dedit. Ingens adhuc omnes frigus habebat,meque prçsertim,qui maximo cum tremore paulò antea vestibus omnibus fuerã exutus.Sic totum biduum

apud hos remansimus: nam non antea propter cõtinuas niues exitus patebat. Tertio autem die vbi iam niuem nõ amplius cadere vident, summo labore eas quas pro antri ostio niues habebant, amouere occipiunt. Quo peracto, nos eò diducũt vbi equos nostros optimè de fœno prouisos reperimus, idq; in alio quodam erat antro. Postquam iam equis insedimus, pastores nobis ad aliquot passus comitantur, viam monstrant, qua non vsque adeò altam esse niuem sciebant, equorum tamen adhuc pectora contingebat. Eo die vsi sumus cœlo sereno, sol ferè totam præcedentis diei frigiditatem abstulit. Tandem quoddam rus ingressi quod Fessæ vicinum erat, intelleximus prætereuntes currus niuium ruina oppressos. Tum Arabes, cùm viderent nihil spei superesse, quæ actorum laborum pensationem aliquam polliceri videretur (currus enim à latronũ atque prædonum insultu securos seruarant) Iudæum quendam, qui in nostro erat numero (hic magnam propter niues dactylorũ copiam amiserat) captiuum in eorum tentoria abducunt, eo animo, vt tam diu detinèretur, quoad pro omnibus satisfecisset. Mihi verò equum ademerunt, ac ventis atque fortunæ cõmendarunt. Inde mulo quodã vectus, tertio die Fessam appuli, quo iam triste nuncium allatum inueni de amissis inter niues mercibus atq; mercatoribus. Quin & me quoque cum cæteris oppressum opinati fuerãt, verùm aliter fati visum est benignitati. Nunc finita rerum mearũ prolixa enumeratione, ad id redeamus vnde digressi sumus. Vltra Atlantem

repe-

reperiuntur quædam loca calida simul atq; arida, quę paucis admodum, iisdemque ex Atlante manantibus fluuiis irrigantur, quorum nonnulli ad Libyæ deserta deriuantes, in arena dispergun-tur, quidam lacum tandem efficiunt. Neq; multos hic reperias frugibus ferendis aptos agros, & si dactylorum maximam habeant copiam. Inueniuntur & hîc aliæ quædam arbores fructiferæ, verùm adeò raræ, vt nihil ferè inde detrahere liceat. Habes & in iis Numidiæ locis quæ Libyæ confinia sunt, asperos quosdam arboribusq; nudos montes, ad cuius radices spinosæ quædam atq; infrugiferæ proueniunt arbusculæ. Nullos inter hos montes riuos aut fontes inuenias, nullamque prorsus aquam, nisi puteis quibusdam illius regionis incolis fere incognitis. Habet & Numidia infinitam scorpionum atq; serpentũ copiam, quorũ morsibus venenosis multi quotannis interfecti inueniũtur. Est & Libya regio deserta planè, arida atque arenosa, quæ nec fontes, nec riuos, nec vllam habet aquã, præter eam quæ salsa vt plurimũ rarioribus quibusdam continetur puteis. Adde quòd sex interdum aut septem dierum itinere ne gutta quidem aquæ inueniatur, nisi à mercatorib. vtribus camelis impositis fuerit illis aduecta. quod iis præsertim locis euenit, quâ è regno Fessę Tombutum, item quâ à Telensino Agadim itur. Est & periculosa satis profectio, quæ à recentioribus per Libyæ deserta Fessa Chairam iter facientibus, nuper est inuenta, nisi quòd maximus illic reperiatur lacus, cuius accolæ sunt Sinitæ & Gorranitæ. Ea

autem via quæ è Fessa Tombutum ducit, quosdam habet puteos aut camelorum pellibus aut ossibus circunseptos. Neq; paruo mercatorum vitæ periculo illac æstate transitur: tum enim sæpissimè euenire aiunt, vt Austro incrudescente, putei omnes arena suffocentur. Mercatores verò cùm nec puteos ipsos, nec indicium aliquod puteorum reperire queant, extrema intereant siti oportet: horumq; corpora postea hic atque illic Sole ac æstu tosta offenduntur. Vnum hac in re idque inauditum prorsus illis remedium: cùm enim tam ingenti discruciantur siti, vnum è camelis mactát, è cuius intestinis aquam premũt, hanc potant, hanc circunferunt, donec aut puteum quendam inueniunt, aut certè nimia siti animam exspirent. In eo deserto quod Azaoad illis nuncupatur, duo adhuc extant monumẽta marmore nescio quo exstructa, estq; epitaphiũ marmori insculptũ, quod alterum ditissimum fuisse mercatorẽ, alterum verò mercium vectorẽ significat. Ditissimum autem ab alio aquæ ciathum decem millibus ducatorum emisse, nec tamen potuisse aquam neque huic, neque illi sufficere, quin vtrunque sitis ingens suffocauerit. Continet & iam dictum desertũ multa omnium generũ animalia, de quibus in quarta huius libri parte, vbi de Libya, deque Africæ animalibus copiosior fiet enumeratio, sumus dicturi. Plura scripturus eram de iis rebus quæ nobis obuenerunt, cùm per Libyæ deserta Gualatá nobis iter erat. Interdũ enim nobis impensè sitientib⁹, ne gutta quidem aquę reperiri poterat, partim quoniam

dux

dux noster iam à recta aberrarat via, partim q̄a hostes puteorum aquæductus atq; venas obstruxerant. Adeò vt paululum illud quod inueneramus aquę, parcè admodū seruandum fuit, quęq; vix ad quintū sufficere potuisset diem, totis decem diebus sufficere necessum erat. Verùm si omnia scriptis persequi vellem, quę memoratu dignissima sunt, vix totus hic annus satis esse posset. Nigritarum regio calidissima est, habetque humiditatis quoq; aliquam portionem, idque propter Nigri fluuij continuam irrigationem. Omnes autē qui Nigro vicini sunt agri, fœlicissimi sunt, pecorum frugumq; feracissimi. Nullas hîc arbores prętérquā magnas quasdam vidi, quæ fructum castaneæ similem eundemq; nonnihil amarum producunt, Goron eorum lingua appellitāt. Prouenit & in hisce regionibus cocci, cucumeris, cœpæ, atq; id genus holerū maxima copia. Nullos neque Niger, neque Libya montes continent: crebrę vbique paludes & lacus inueniuntur, qui ex Nigri inundationib. remansisse dicuntur. Neque desunt huius regionis nemoribus elephantes, atque id genus animalium, de quibus & suo dicetur loco.

¶ *Quos habeat Africæ aër motus naturales, quidq; inde producatur.*

PER totam ferè Barbariam medio Octobri transacto occipiunt imbres atq; frigus incrudescere. Decembri autem atq; Ianuario (quod vbique ferè accidit) frigus intentius aliquantulū percipitur, verùm hoc manè duntaxat, idq; adeò remissè vt nemo ignem magnoperè cū

ret.

ret. Februarius hyemi bonam frigoris partẽ adimit,sed inconſtans adeò,vt quinquies interdum aut ſexies vno die incidat auræ mutatio. Martio menſe ſummo impetu flant Boreas atq; Zephiri, efficiuntq́; vt totæ arbores floribus veſtiantur. Aprilis omnibus propemodum fructib. dat formam,ita vt Maij initium ac Aprilis exitus matura ſolent dare ceraſa. Medio Maio ficus ex arbore colligunt: medioq́; Iunio vuas quibuſdam locis maturas inuenire licet. Pira quoque chryſomelæ atque pruna Iunio atque Iulio menſibus ad maturitatem pertingunt. Autumni ficus Augusto maturi decerpuntur, nulla tamen maior ficuum atque malorum perſicorum copia,quàm in Septembri. Dimidio iam Auguſto peracto, vuas Sole deſiccari curant. Quòd ſi id in Septembri per cœli ſerenitatem perfici non poſſit,è relictis adhuc in palmite vuis,vinũ ſibi conficiunt atque muſtum,idq́ue præſertim in Rifa prouincia,vti & ſuo dicetur loco. Medio Octobris mel colligunt,item mala punica atque cotonea. Nouembri autem oliuas,non ſcalis,quemadmodum fit in Europa,ac manibus detrahũt,eò quòd tam excelſæ ſunt Mauritaniæ atq; Cæſariæ arbores, vt ad fructum ſcala quantumuis longa pertingere non poſſet. Quas autem Tuneti regnum oliuas cõtinet,eiuſdem cum Europæ oliuis dicas eſſe altitudinis. Cùm ergo oliuas maturitatẽ pertigiſſe vident, arbores ipſas aſcendunt, ac procerioribus quibuſdã perticis ramos pulſitant,q̃uis autem id maximo arborum incõmodo fieri ſciant. Eſt interdum Africæ ſatis copioſus oliuæ

pro-

prouentus,interdum verò harum summa est penuria. Maiores hîc quædam oliuæ inueniuntur, quæ oleo cùm non adeò conducāt,maturæ illius regionis incolis eduntur. Nulla illis tanta anni intemperies,quin tres illos Veris menses semper temperatos habeant. Veris autem initium ad decimumquintum Februarij diem constituunt,finem verò decimo octauo Maij annumerāt: quo toto tempore aura illis ꝑpetuò gratissima. Quòd si à vigesimoquinto Aprilis vsque ad quintum Maij nulla illis obtingat pluuia, sinistri quippiā ominis exinde colligere volunt. Iam dicti verò temporis pluuialem aquam,aquam Naisan, hoc est,à Deo benedictam vocant. Plerique hanc vrceolis quibusdam inclusam,ceu rem sacram, religiosissimè seruant. Æstatem computant ad decimumsextum vsq; Augusti, quo tempore cœlo vtuntur calidissimo atque serenissimo. Nisi fortè Iulij atque Augusti temporibus pluuia incidat, quæ totum aërem velut infectum reddat, hinc statim pestilentissima illis febris oboritur, qua quisquis inficitur,ægrè aut nullo modo inde cōualescere datur. Autumnū à decimaseptima Augusti, vsque in decimumsextū Nouembris diem collocant: habentq; duobus illis mensibus, Augusto videlicet atque Septembri,æstum nō tam ingentem. Id tamen tempus quod inter decimū quintum Augusti ac decimumquintū Septembris includitur, ab antiquis totius anni furnum appellitari cōsueuit,eò quòd ficus,mala cotonea, atque id generis fructus ad maturitatem perducere solet. A decimoquinto Nouembris die prin-

ci-

cipium hyemis numerant,quam in decimũquar tum Februarij diem protrahi volunt. Ad huius initium eam arare terram incipiunt,quæ in planicie eſt: in montibus verò,Octobri menſe agri culturã exercent. Certiſſimùm ſibi Africani perſuaſum habent,annum quadraginta dies habere calidiſſimos,quos à duodecimo Iunii initium ſumere volunt: contráq; totidem & frigidiſſimos, quos à duodecimo Decembris die inchoare dicunt. Æquinoctia ad decimumſextum Martij,ſimiliter,& ad decimumſextum Septemb. Solſtitia verò ad decimumſextum Iunij atque ad decimumſextum Decembris diem conſtituunt. Hanc regulam accuratiſſimè ſeruãt,cùm in agricultura atq; nauigatione, tum & in planetarum domos atq; ſitus inueſtigando: hæcq; atque ſimilia ad ipſam rem cõducentia,mox pueris ab ipſis æui rudimentis edocta curant atque inſtillata. Multi ſunt Africani ruſtici,qui cùm nunquã ne literas quidem norunt,diſertiſſimè tamen de rebus Aſtrologicis diſputant,rationibusq; validiſſimis argumenta comprobant. Quicquid hac in re cognitionis habent,id ad illos è Latinis manauit fontibus: menſes quoq; ad eum, quo Latini, appellant modum. Exſtat & penes hos ingens quoddam in tres diuiſum partes volumen,Theſaurum agriculturæ vocant. Hic iis temporibus è Latino in eorum linguam verſus eſt,cùm Manſor apud Granatas rerum potiretur. In hoc theſauro omnia reperiuntur,quæ ad agrorum culturam pertinere videntur: veluti temporum varietas,ſerendi modus, multaq; id genus ſimilia,

quæ

quæ nec hodie Latinus sermo, ex quo desumpta sunt hæc, continere puto. Quicquid vel Africani vel Mahumetani habent, quod ad illorum vel legem vel fidem pertinere videtur, id omnino ad Lunæ cursum computatur. Illis annus in trecentis & quinquaginta quatuor diuiditur dies: sex enim menses triginta, reliqui viginti tantùm & nouem dies continent: quos si in vnam collegeris summã, iam dictus inde excrescet numerus: quare illorum annus à Latinorum vndecim differt diebus. Horum dies festus atque ieiunia diuersis accidunt temporibus. Autumni finis, tota hyẽs, bonaq; Veris pars, impetuosis plena ventis, quin & grãdinib. fulgurib. fulminib.q; horridis discruciantur; neq; deest multis Barbariæ locis nix copiosa. Qui ex Oriente aut ex Austro, aut ex Euroaustro flant venti, Maio atq; Iunio mensibus maximè nocent: tum enim & segetes perdunt, & arborum fructus ad maturitatem peruenire nõn sinunt. Maximè quoque infestantur segetes à niue, idq; præsertim si nix interdiu cadere incipiat, cùm seges floribus ornatur. In Atlante diuidunt annum tantùm in duas partes: nã ab Octobri vsq; ad Aprilem continua illis hyems est: & ab Aprili rursus in Octobrem, Æstatem id tempus nominant: nullus verò datur dies, quo non montium summitates multa niue niteant. In Numidia velocissimè fluũt anni partes. Maio enim mense frumentum colligunt, Octobri dactylos: à medio autem Septembri frigus ingens in Ianuarium vsque durat. Quòd si September pluuiam secum adducat, actum est de maxima

da-

dactylorum parte. Omnes Numidiæ agri irrigationem propter semina exigũt, at si Atlas nullas habuerit pluuias,& Numidię ferè fluuij aqua destituuntur,quò fit vt nec agri irrigentur. Octobri à pluuiis abstinente,omnis agricolę serendi spes adimitur: idẽ euenit,si Aprilis pluuialem secum nõ adferat aquam. Contrà vero dactyli siccitate gaudẽt,estq; multò potior apud Numidas dactylorum,q̃ frumenti collectio. Quanuis enim vberrimũ habeant frumẽti prouentũ,vix illis ad medium potest sufficere annũ. Atqui si fœlix fuerit dactylorũ redditus, fieri nõ potest quin habeant & satis copiosam frumẽti affluentiã, quæ illis ab Arabibus frumento cõmutatur. Si in Libyæ deserto incidat circa mediũ Octobris auræ immutatio,& si pluuia per totum Decembrẽ,Ianuariũ, ac aliquã Februarij partẽ duret,dictu incredibile quantam adferãt pascuis atq; lacti fœcunditatẽ: multi tum passim lacus,frequentesq; inuenias in Libya paludes,quare his temporib. per Nigritarum regionẽ mercatoribus Barbaris proficiscendum est. Hîc oĩa multò maturius proueniunt,si pluuia circa Iulij exitum inchoatur, at non vsq; adeò copiosa. Porrò ea est pluuiæ apud Nigritas natura,vt nec prosit quicquam,nec damnum adferat. Tanta à Nigro flumine fertilitas ad illorum agros (quibusdam tantũ montibus exceptis) reportatur, vt nihil illis fructuosius excogitari potest:nam quod Nilus Ægypto, id Niger est Nigritarum solo:crescit enim ad Nili instar à decimo quinto Iunij die ꝑ totos quadraginta dies,ac per totidem decrescit. Incrementũ aũt sumente Ni-

gro,

gro,cymbâ per totam Nigritarum regionē dedu cere licet,cùm oĩa inundatione Nigri sint plena, quanq̃ id nõ sine maximo nauium fiat periculo, vt in quarta huius libri parte copiosius dicetur.

*De huius populi vitæ breuitate atq; longitudine.*

VNiuersus ille de quo lócuti sumus Barbariæ populus ad annũ.65.aut.70.pertingit, pauci verò hunc numerũ excedunt.Nisi quod in illis montibus quosdam vidi qui .100.attigerant annũ,nonnullos etiam qui & eum se egressum di cebãt,illis senectus erat vegetatiss. atq; florentissima. Quin & quosdã hîc inuenias octogenarios qui agris arandis,vineis amputandis,ac bellis gerendis validissimi sunt,ita vt etiã sępissimè iuniores illis dare palmã coguntur.In Numidia,hoc est in regione illa dactilifera,longissimę sunt ætatis, sed maturius illis dentes excidunt,ac mirũ in modum oculorũ acies rumpitur.Quod eam ob caussam euenire credibile est,quia assiduò dactylis vescũtur, quorũ dulcedo atq; vis natiua dentes sensim euellit: tũ quòd puluis atq; arena subsolano vento in aërem redacta, oculos intret,ac tandem visum miserè deprauet.Qui Libyam incolũt aliquantulò breuioris sunt vitæ,robustiores tamen ac validissimi ad annum perueniunt.60.quanuis corpore sint graciliores atq; macilẽtiores.Nigritę his omnib.breuiorē degunt vitã,at maximus illis semper vigor, maximaq; dentium omniũ firmitas ad extremũ vsq; vitæ diem:sed nulla gens his ad luxuriam procliuior,quo vicio & Libyæ atq; Numidiæ incolæ maximè inficiuntur. Barbari verò his omnibus imbecilliores sunt.

Mor-

### ¶ *Morborum, quibus afficiuntur Africani, genera.*

HVius regionis puelli, nonnunquã & prouectioris ætatis mulieres, alopecias patiuntur, qui morbus ægrè admodum ab his diuelli poteſt. Frequẽs illis dolor capitis, qui nullo etiam febris acceſſu eis accidere ſolet. Nõ paucos dentium quoque dolor offendit, quem inde contractum opinantur, quòd immediatè ſumpto iure calido, aquã bibant frigidam. Cruciantur & interdum maxima ſtomachi ægritudine, quam ob imperitiam, cordis dolorem vocant. Vexantur item indies totius corporis interno quodam cruciatu, idq́; propter cõtinuum aquæ potum. Neque deſunt his frequentes articulares morbi atque podagræ, quæ ex eo naſci creduntur, quòd plus ęquo humi ſedeãt, quodq́; nunquam pedibus calceos adiungant. Quidam magnates ſibi podagram ex nimio vino, cibisq́; delicatioribus contraxerunt. Nonnulli ex oliuis, nucibus, & huiuſmodi cibis craſſioribus ac vilioribus ſcabiem ſibi cõciliauêre. Qui natura ſunt ſanguinei, ex eo ſibi magnam tuſſim parãt, quòd Vernis temporib. plus ſatis humi ſedeãt. Nec me mediocriter oblectauit, quòd diebus Veneris non ſemel ab illis factitatum vidi. Hoc die concionis cauſa copioſus ſolet in eorũ templis confluere hominum numerus. Iam ſi cuiquam dum concio habetur incidat ſternutatio, id oẽs vno ore vnoq́; impetu ſequũtur, fitq́; tantus inter illos obſtrepitus, qui non niſi vnà cum concione finitur, vt vix quiſquam fructũ aliquem

ex

ex concione illa domum reportare possit. Si quis apud Barbaros eo morbo inficiatur, qui gallicus vulgò dici solet, raro aut nunquam pristinæ redditur sanitati, quin mors tandem inde consequatur. Solet autem hic morbus quodam dolore ac tumore primùm prorepere, ac tandem in vlcera verti. Paucis admodum toto Atlante, tota Numidia, totaq; Libya hoc notū est contagium. Quòd si quisquā fuerit qui se eo infectum sentiat, mox in Numidiam aut in Nigritarum regionem proficiscitur, cuius tanta est aëris temperies, vt optimę sanitati restitutus inde in patriā redeat: quod quidem multis accidisse ipse meis vidi oculis, qui nullo adhibito neque pharmaco neque medico, præter saluberrimum iam dictum aërem, reualuerant. Huius mali ne nomen quidem ipsis Africanis antea ea tempora notum fuit, quàm Hispaniarum Rex Ferdinandus Iudæos omnes ex Hispania profligasset, qui vbi iam in patriam rediissent, cœperūt miseri quidam ac sceleratissimi Ethiopes cum illorum mulieribus habere commercium, ac sic tandem velut per manus pestis hæc per totam se sparsit regionem: ita vt vix sit familia, quæ ab hoc malo remansit libera. Id aūt sibi firmissimè atq; indubitatè persuaserunt, ex Hispania ad illos transmigrasse, quāobrem & illi morbo ab Hispania, malum Hispanicum (ne nomine destitueretur) indiderūt. Tuneti verò, quēadmodum & per totā Italiam, morbus Gallicus dicitur. Idem nomen illi in Ægypto atque Syria ascribitur, vnde malè imprecantis prouerbium: te morbus malè perdat Gallicus. Apud Barba-

ros rarum id malum eſt,quod Latinis Hernia appellatur,Ægyptiis verò aliquantò notius. Nonnullis interdum adeò turgent teſticuli,vt nõ faciiè quis exprimere poſſit: morbum autẽ ex eo natum conijciunt,quòd plus æquo gummi, ſalſoq; veſcantur caſeo. Morbus caducus pueris pleriſq; obtingit,verùm vbi paulò grandiuſculi euadunt,à morbo illo liberãtur. Hoc malum ad multas fœminas Barbaras atq; Nigritas deuenit,atqui vt paulò honeſtius illis ſonet, ſpiritoſæ dici malunt. Peſtis apud Barbaros,ad decimum,decimũ quintum,aut vigeſimumquintum ſemper recurrit annum, maximamq; hominũ turbam è medio tollit; ſiquidem nullum nouerunt huic addere remedium,niſi quòd fortè glandem vnguento quodam ex Armeniaca terra confecto,vngãt. In Numidia peſtis vix anno percipi poteſt centeſimo. Nigritæ autem quid ſibi hic morbus velit prorſus ignorant: quandoquidem nunquam experti ſunt.

¶ *Africanorum encomia.*

QVI in Barbaria ac in maris Mediterranei tractu habitant Arabes,maximè trahuntur ad ſcientiæ ſtudium atque cupiditatem: habentque apud illos locum primum, ea quæ ad illorum fidem atque religionem ſpectant. Fuerunt olim & Mathematicarum diſciplinarum, Philoſophiæ, atq; Aſtrologiæ ſtudioſiſſimi; ſed ab hinc annis ferè quadringentis, ea ſtudia (vt iam dictum eſt) ab illorum principib. atque fidei profeſſoribus è medio fuerunt ſublata. Ciuitatum incolæ,ea quæ ad religionem ſpe-

ctant,

ctant, religiosissimè seruant atq; reuerẽtur: quin & doctores atque sacerdotes, vnde legis notitiam accipiunt, ceu semideos quosdam venerantur. Continuò templa adeunt, vt præscriptas quasdã illic absoluant precationes: miráq; superstitione ibi persuaserunt, non debere eo quo orant die, quædam corporis membra ablui, cùm aliâs & totum corpus lauent. De his, Deo fauente, secundo libro copiosius dicetur, vbi de Mahumetis fide atque lege incidet mentio. Sunt & hi qui Barbariæ ciuitates incolunt in Architectura atque inuentione mathematica mirè dexteri, quod facilè ex eorum structuris artificiosis colligere quis poterit. Probissimi sunt viri, nullus illis fucus: simplicitatem omnem atque veritatem non amplectentes modò, verùm & re ipsa comprobantes: quanquã longè aliter Latini quidam scriptores, qui de iis regionibus scripserunt, sentire videantur. Validissimi sunt atque robustissimi, & inter eos præcipuè illi, qui montes incolunt. Fidei omnis obseruantissimi, citiusq; illis vitã adimas, quàm non quicquid polliciti sint, præstent. Nulla gens magis vexatur zelotypia, adeò vt vel mori malint, quàm ex vxoris parte aliquã ferre contumeliam. Diuitiarum atque honoris adeò auidi, vt nullis quidem cedere sibi videantur. Per vniuersum ferè orbem mercatũ proficiscuntur. Perpetuò enim videntur apud Ægyptios, Æthiopes, Arabes, Persas, Indos, atq; Turcas: quoquò autem sese conferant, summo honore excipiuntur: nemo enim inter illos est, qui non eam cui operam impendit artem, exactissimè sciat. Illis

ſemper ciuilitas omnis atque pudor maximè arriſerunt: idq; inter eos religio eſt maxima, ſi quis in publicum ſcurrile quoddam proferat verbũ. Vbiq; illud in animo eſt, quod ſcripſit quidam: Maiori cede. Si quis filius corã patre, patruo, aut quodã conſanguineo de amorib. aut canat aut loquatur, id illis ſummo habetur ſupplicio dignũ. Quòd ſi forte quis puer aut iuuenis eò incidat, vbi de amorib. fit mentio, mox ſe inde ſubducit, vbi qd dicatur intellexerit. Hæc ſunt quæ de Barbarorũ ciuilitate, humanitate, atq; morũ integritate relatu dignißima arbitrati ſumus: nunc ad alia. Qui tentoria inhabitant Arabes, hoc eſt, qui pecorum curam gerunt, liberaliori ſunt ingenio prædìti: pij, animoſi, patientißimi, comes, œconomi, vitæq; integritatis amãtißimi, ſi quiquam alij. Fidei atq; promiſſi ſeruatores accuratiſſimi: ſuorum morũ ceu æmulos habent, quos in montibus illis degere antea indicauimus. Hos tamen cùm eruditione, tum virtutis atq; religionis ſtudio antecedere videntur Numidæ, quanq̃ phiſicę philoſophiæ nullam aut paruam habeant cognitionem. Rei militaris peritißimi, animoſi, atque humanitatis omnis ardentißimi perhibentur. Libyæ incolę Afri atq; Arabes liberalioris quoq; ſunt ingenij, ſynceri, non fucati, exteris fauentißimi, ſimplicitatis quoque amantißimi. Quos ſubnigros aut fuſcos antea nominauimus, fidem in amicitia quàm arctißimam ſeruant: externarum quoque nationũ æſtimatores candidißimi: in hoc totis incumbunt viribus, vt vitam quàm lætißimam atque hilarißimam tranſigant. Bo-

narum

narum artiũ fautores,eruditiſſimos quoq; alunt viros,religioniq; addictiſſimos. Neque vllos habet vel tota Africa populos, qui feliciorem aut ſplendidiorem degant vitam.

*¶ Iam dictorum Afrorum vicia.*

NVlla vnquã gens tam virtutibus prædita fuit, quin ſua habuerit & cõtraria vicia, ſed videamus nũc,num horum vicia virtutibus ſint maiora nec ne. Quos iamiam Barbariæ ciuitatum incolas appellauimus, egeni ſunt, ſuperbia multa tumidi, iracundi vt nihil ſupra, adeò vt vel minimã iniuriam duriſſimo (vt aiũt) inſculpant marmore, ne aliquo temporis interuallo excidat. Tam illis ruſticitas omnis atque morum ruditas animo ſedet,vt vix exterus quiſpiam illorum ſibi conciliare amicitiam poteſt. Simplicioris ſunt ingenij,plus ſatis creduli,etiã ſi quis impoſſibilia apud illos referat. Phiſicæ philoſophiæ tam ſunt ignari, vt omnes naturæ actus atq; operationes pro diuinis habent.Nulla illis neq; vitæ neq; legis aliqua methodus ſeruatur. Cholerica bile plus ſatis infecti,nunquã niſi iracundè,ſtentoreaq; voce (quòd aiunt) loquuntur. Neq; multas interdiu inuenias plateas,quibus non bini aut terni ſint qui ſe mutuis pugnis laceſſant.Natura viliores ſunt,neq; apud ſuos duces multò maiori in precio,q̃ ſi canes eſſent.neq; oratores habent neq; cauſidicos,quorũ aut conſilio,aut prudentia regantur. Nec minus mercaturæ ignari,neq; trapezitas habent,neque pecuniarum campſores: quamobrẽ mercator abſens nihil quicquam efficere poteſt, at cogitur quo-

cunq; sequi, quò merces deuehuntur. Nihil excogitari potest auarius hoc populo: nec multos hîc reperiri posse puto, qui aut ciuilitatis, aut humanitatis, aut etiã religionis ergò, exterũ quendam ignotum suo dignentur hospitio. Iniuriarũ memores, beneficiorũ autem planè immemores semper fuerunt. Animus illis perpetuò turbarũ atque dissidiorum plenus, sic vt nunquã aut rarò admodum aures cuiquam benignas prębere velint, idque inde factum volunt, quòd impensè lucro intenti vilissimo, nunquam aut humanitatẽ, aut ciuilitatem aliquam discere potuerunt. Pastores illius regionis, miseram, laboriosam, calamitosam atque inopem viuunt vitam, rudiores sunt, furtis, perfidiæ atque brutis moribus planè natos dicas. Adolescentibus omnibus licet & amica & amore frui vario, donec ex omnibus vnam sibi in matrimoniũ delegerint. Quin & pater filię procum benignissimè excipit, vt vix credam quenquam quanuis magnatem, ex his sibi virginem in vxorem ducere: quanquã hanc viro coniunctam nemo præterea ambiat aut inuiset, sed nouos sibi quisq; aliunde parat amores.

Horum maxima pars neq; Mahumetani, neq; Iudæi sunt, neq; Christiani, vixq; in his vel fidei alicuius scintillulã quis inuenire poterit. Nulla habent templa, nullas omnino orationes, sed ab omni planè pietate alienissimi, vitam agunt beluinam: & si cui fortasse melior mens afflauerit, cùm neq; legislatorem habeat, neq; syncerioris fidei institutorem, aliorum vitam atq; mores sequatur necessum est. Numidæ omnes rerum o-

mn-

omnium cùm naturalium tum domesticarum ac politicarum imperitissimi, proditionibus, insidiis, cædibus, furtis atq; rapinis addictissimi. Ea gens cùm sit vilissima, nullũ apud Barbaros tam vile aut abiectum reperiri munus potest, quod non vel lubentissime obire velit. Inter illos plerique latrinas euacuant, alij culinariã curant, alij stabularios agunt, alij id genus similia exercent. Qui Libyam incolunt, beluino etiã viuunt more, literarum bonarumq; artium negligentissimi atque ignari, furtis se prorsus atque rapinis dedunt. Nulla illis religio, nullę leges, nulla deniq; vitæ regula, sed fuit ac erit semper vita illis miserrima atq; infœlicissima. Nulla tam horrenda excogitari proditio potest, quàm illi lucri caussa perpetrare nõ ausint. Totam vitam aut nequissimis negociis, aut venationib⁹, aut bellis transigunt, neque calceos gestant, neque vestes. Nigritarũ regionis incolę beluino etiam viuunt more, à rationis vsu, ab ingenij dexteritate atq; ab omni arte alienissimi, nihil omnino meliorem vitam ducunt, quàm si nunquã inter feras aliud quicquã prę ter syluas vidissent. His numerosus satis meretricum grex est, vnde & quam vitam degant, facilè quis colligere poterit, nisi fortasse aliquantò se melius habeant, qui famosiores vrbes inhabitant: hos enim paulò propius ad humanitatem accedere, credibile videtur. Nec me latet quàm meipsum dehonestem, quum talia de Africa scribam, cui & vitæ initium & educationis meæ bonam partem debeo: verùm hac in re nullam omnino purgationem quæro, præter

vnum illud hiſtoriographi officium, ſeriam vbique in ſcribendo veritatem, quæ ſi cuiquam adulari videatur, in vicium vertitur. Ea me res omnes vti ſunt enarrare cogit, nullo prorſus fuco adhibito: quare hoc in loco lectorem rogatum velim, hunc noſtrum laborem ne lato quidem digito à vero diſcedentem, (quanuis nullus reperiatur ornatus verborum, nullaque artificij elegantia) ceu noua quædam benigno èxcipiat animo, ac quàm fuerit illis æquitatis ſtudium animusque prorſus infractus, ex iis facilè ediſcere poteris, quæ tribus verbis narraturus ſum. Ferunt noſtratem quendam iuuenem ſceleſtum ac moribus corruptiſſimũ propter quoddam facinus fuſtuario adiudicatum. Poſtridie verò, vbi ſe negocio parauit carnifex, cognouit nebulo ſe ante aliquot annos carnifici amicum fuiſſe atque familiarẽ: quæ res non mediocrem ſpem addidit, fore, vt aliquantò mitius ſecum ageretur, quàm cum aliis non notis. Sed egregiè ſua ſpe fruſtratus, nihilo melius à carnifice acceptus, quàm ſi nunquã nouiſſet. Quare initio miſer ille de carnifice conquerens, Au mi germane, exclamat, quæ te iam crudelis agit furia, vt non veterem agnoſcas ſodalitatem? Hîc carnifex multo quàm antea atrocius fuſtigans: Amice, inquit, ego ſemper officij memor, nullũ hac in re ſoleo miſericordiæ dare locum: ac ſic continuò fuſtigans, nón prius ab officio quieuit, quàm iudicis ſententiæ ſatiſfactũ fuit. Magnum æquitatis argumentum, cùm in puniendo nullus omnino fuerit præcedentis amicitiæ

reſ-

respectus. Hæc ego eam ob caussam hoc loco inserere volui, ne illorum tantùm vitia describés, his adulari videar, quibus cum nunc mihi negocium est, aut præstantiam Afrorum solummodo enumerans, illorum in futurũ mihi gratiam venari dicar, vnde iam meapte sponte desciui, vt aliquando tutior ad eos pateret recursus. Huius etiam argumenti & hanc quoq; accipite apologiam: Auicula elegantissima atque naturæ tam insigni dote prædita, vt tam in mari inter pisces, quàm in aëre inter aues degeret, ἀμφίβιον dicere potuisses, cùm quodam die apud auium regem in ius vocaretur, vt annuum solueret censum, mox de mutando elemento, deq; Rege illudendo cogitare cœpit, ac vnico volatu se ex aëris regione demittens, Oceano immersit. Quod vbi pisces miraculũ animaduertunt, continuò gregatim omnes accurrunt, aduenam salutant, ac quid causę huc venerit, sedulò inquirunt. Mox auicula: An nõ scitis, inquit, pisces boni, sic prorsum inuersum rerum ordinem, vt vix quis in aëris parte amplius degere securè possit? Noster si diis placet imperator iniquissimus, rabie nescio qua impulsus, membratim me lacerare iusserat, cùm tamen nullam vnquã habuerit sua aula auem, quæ adeò atq; ego regiis per omnia fauerit commoditatib. Quam postquam iniquissimam intellexi conspirationem, huc ad vos transmigraui. Quare vel angustus vspiam mihi hîc apud vos concedatur angulus, quò me plus fidei atque beneuolentiæ apud exteros, q̃ apud conciues inuenisse affirmare queam. Hac

ora-

oratione piſcibus perſuaſit, ac apud eos totum annum tranſegit, nemini vel obulum numerare coactus eſt. Quo peracto, Rex piſcium ſua quoque tributa exigere cœpit, ac tandem ad auiculam peruentum eſt. Auis porrò æquitatis eam eſſe regulam affirmat, vt vnicuique quod ſuum eſt reddatur, ſeque omnia facturam, quæ fidiſſimo conueniunt ſubdito. Hæc dum loquitur, expanſis alis ſubitò ſe in altum tollit, atque ad ſuperos redit. Sicque quotannis auicula vbi ſe regiis exactionibus grauatum iri videt, elementum mutat. Nihil ex hoc Apologo inferre nunc velim, quàm homines omnes eam maximè regionem appetere, quæ minimum adfert damni atque incommoditatis. Quòd ſi Afros apud quoſdam malè audire ſenſero, ego me ex Granata ortum affirmabo: ſin autē Granatenſes aliquo vicio notatos percepero, Afrum me profitebor. In hoc autem aliquantò Africanis magis adblandiar, quòd illorum tantùm vicia magis nota atq; præcipua enu merabo, iis omnino neglectis quæ leuia videbuntur atque minutiora.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ rerumq; in ea memorabilium.

## LIBER SECVNDVS.

ENumeratis primâ huius operis parte Africæ ciuitatibus, terminis, diuisionibus, iisq; maximè rebus quæ memoria dignæ videbâtur: secunda hac parte multò vberius, propius, copiosius atq; distinctius varias describemus prouincias, oppida, montes, situs, leges, ritus atque mores. Adeoq; nihil non tactum relinquemus, quod ad huius instituti intelligẽtiam vtcunq; facere videbitur. Sumpto igitur ab occidentali parte exordio, enarrationem eo vsque extendemus, dum ad Ægypti terminos peruentum fuerit. Partiemur autem hunc nostrum laborem in septem libros, quibus diis fauentibus & octauum annectemus, qui flumina, animalium genera, arbores, plãtas, fructus, stirpes, aliaque id genus lectu iucundissima complectetur.

### ¶ *Hea regio occidentalis.*

HEa Marocci regio ex Occidenti atq; Septentrione mari Oceano alluitur, ex meridie Atlante terminatur, atque ex oriente flumine quod illi Essiualo appellãt, clauditur. Nascitur autem is fluuius ex iam dicto monte, tandemque delabitur in Tensistim fluuium, atque Heam à proximè sibi adiacente regione diuidit.

### ¶ *Hea situs atque descriptio.*

Est

EST hæc terra admodum aſpera,ſaxoſis mō tibus, vmbroſis nemoribus & riuulis vndique ſcaturientibus plena, inhabitatoribus tam copioſa atque opulenta,vt vix credere quis poſſet. Maximus illis caprarum atque aſinorum numerus,verùm non adeò magna ouiū, boum aut equorum copia eſt. Ingens his eſt fructuum inopia, non quòd ſolum ſit infrugiferū, ſed hac in parte tam ſunt rudes atque ignari,vt perpauci illic reperiantur, qui arborum culturā nouerunt. Quod ex eo facile mihi perſuaſerim: memini enim me apud quoſdam rei hortēſis peritiores ſatis bonam inueniſſe fructuū copiam. Frumentum non tam illis copioſum eſt, quàm ſunt hordeum,millium,& panicū. Magna apud hos mellis affluentia eſt,quo ceu vulgatiori cibo veſcuntur,& quoniam quid cera valeat prorſus ignorant,eam eiiciunt ac negligūt. Reperiuntur & hîc ſpinoſæ quædam arbores,quæ fructū craſſiorem producūt,iis oliuis ſimilem,qui nobis ex Hiſpania afferuntur: hunc illi eorum idiomate Argan appellitāt. Oleum inde conficiunt quod grauioris eſt odoris,tamen eo cibos condire,lychnoq; penſili infundere ſolent.

¶ *Huius populi cibus atque victus.*

HI ferè ſemper pane veſcuntur hordeaceo non fermētato,quem libum dicas citius quàm panem: coquitur autem in huiuſmodi ſartagine teſtacea, qualis eſt apud Italos ea quæ placentas tegere ſolet;neq; adeò multos inuenias, qui pane veſcantur furnaceo. Reperitur & apud hos inſipidus quidam viliſq; cibus, qui

eorum

eorum idiomate Elhaſid dici ſolet, atq; in hunc fere modum cōponitur: Farinam hordei in bullientem aquam iniiciunt,quam aſſiduò quodam bacillo circunuoluunt miſcentq́;, idq́; tantiſper dum iam abunde coctam vident. Deinde huic pulti menſæ appoſitæ oleum quod apud illos naſcitur infundunt,omnes illius familiæ ipſum catinum circunſtando,non cochlearibus ſed manibus ac digitis exedunt. Veris autem atq; æſtatis temporibus iam dictam farinam lacte commiſcent, & olei vice,butyrum iniiciunt: ſumiturq́; apud illos hic cibus non niſi inter cœnandum. Nam ientaculo hyemali, panis ac mel ſatiſfaciunt: æſtiuo autem tempore lac atque butyrum pani addunt. Solent præterea & carne elixa veſci,cui quidam cœpe,quidam fabas, non nulli etiam cōdimentum quoddam quod apud illos Cuſcuſu dicitur,addere ſolent. Nullus inter hos eſt menſarum aut mapparum vſus,ſed mattam quandam rotundam humi ſternunt, quæ & menſæ & mappæ vicem apud rudem hāc gentem obtinere conſueuit.

¶ *Iam dictorum veſtitus atq; ritus.*

HOrum maxima pars panno veſtitur, qui ex lana ad ſtraguli modum confici ſolet, eorum idiomate Elchiſe nuncupatur,lodices eſſe dicas, quibus Itali lectos ſuperſternere conſueuerunt. His inquā pannis ſeſe inuoluunt, deinde nō medium,ſed nates laneo quodam cingulo circundant. Eſt & apud hos pannicellum quoddam palmorum longitudine decem, latitudine verò duorum in vſu, quo ſolent caput or-

nare:

nare: hoc ferè ex iuglandium radicũ ſucco tingi tur, aptaturq; capiti in hunc modum, vt ſuperior pars ſemper nuda remaneat. Pileum nemo geſtat niſi ſit ſenex aut vir doctus, ſi q tamẽ reperiãtur docti: eſtq; hic pileus duplicatus atq; rotundus, eius propemodũ figurę, qualis eſt quorundam in Italia Medicorũ. Rarò admodum in his regionib. ſubuculas inuenias, quod eã ob rẽ facilè euenire crediderim, quòd aut linũ nõ illis ꝓueniat, aut ſi prouenit, nõ eſt qui texendi telam artem calleat. Illorũ ſedilia nihil aliud q̃ ſtoreæ quædã pilis iun cisq; intertextæ. Lecti vice culcitrã quandam ha bent piloſam, quarũ quædam decẽ vlnas longitu dine, quædam etiã plus, quędam minus occupãt, quin & quædam viginti vlnarum reperias, nunq̃ verò longiores: harum pars vna lectus eſt, reliqua verò linteaminis atq; ſtraguli loco vtũtur. Verno ſemper tempore parte quæ piloſa eſt corpus te-gunt, aliquantò enim plus caloris adfert: æſtate verò villoſa illa parte reiecta, atq; culcitra inuerſa, alterã malunt. Puluinaria ferè ex huiuſmodi tela vili atq; aſpera cõficiunt: qualis ea eſt quæ nobis ex Albania aut Turcia equis tegẽdis adferri ſolet. Illorũ mulieres vt plurimũ facie denudata ince-dunt, hæ vaſculis ligneis tornatilib. vtũtur: catini verò cęteraq; culinę vaſa, vt plurimũ fictilia ſunt. Hoc indicio facilè internoſcas quis vxorẽ duxe-xerit, & qui non: quòd qui nõ duxit, barbam ra-dere ſolet, quã poſt matrimonium initum pro-lixiorem gerunt. Habet hæc regio non multos ad modum equos, verùm eos adeò agiles, vt nõ felis his velocius mõtes illos tranſuolare poſſit. Nulli

illis

illis adhibentur calces, ſolentq; huius regiones co loni equis tantùm atq; aſinis arare. Magnam hîc inuenias ceruorũ, capreolorum, atq; leporum co- piam: at nulla illis venatio placet. quæ res, credo, facit, vt multo copioſiori numero reperiantur. Id autem omnino mirum videri poteſt, quòd quum multi hîc vbiq; reperiantur riuuli, rariori tamen numero ſunt molæ: verũ id ex eo ſequi credibile eſt, quod quælibet ferè domus ſuã habeat molam ligneam, quã eorum mulieres manibus agere con ſueuerũt. Hîc neq; artes neq; literæ locum aliquẽ habent: niſi fortè aliquot reperiantur qui aliquã ſibi legis notitiam polliceantur, cùm prẹterea vir tutis ne vmbra quidem inter hos reperiri poſſet. Nullus apud illos medicus, null⁹ omnino chirur- gus alicuius eruditionis aut gratię. Quòd ſi quãdo aut morbus aliqs, aut aliqua vrget neceſſitas, mox illi hominib. perinde atq; Itali equis cauteria ad- dunt. Chirurgi tamẽ aliquot apud illos inueniun tur, qui circuncidendorũ puerorum curã tantùm gerũt. Non cõficitur apud illos ſapo, ſad eius loco cineres vſui ſunt lotricib. Perpetuũ apud illos eſt bellum, ſed inteſtinũ, adeò vt nullos præterea po pulos bello laceſſant. Quòd ſi cuiq̃ peregrè profi- ciſcẽdum eſt, hic alterius partis vel ſcortũ, vel vxo rem, vel religioſum aliquem ſuæ vię comitẽ aſſu- mere cogitur. Iuſtitię null⁹ planè inter eos cultus, idq; p̃ſertim ijs in mõtibus, qui principe ac duce omnino deſtituti ſunt: quin & huius regionis no biliores, q intra ciuitatis alicuius muros habitãt, vix populo aliquod ius, aut regulam aliquã præ- ſcribere audent, tãta eſt horum vbiq; inſolentia.

Horum

Horum ciuitates exiguo ſunt numero, at multos habent pagos, vicos, atq; caſtra munitiſſima, de quibus poſtea ſuo loco copioſius atque vberius, Deo fauente, dicemus.

## ¶ *De Tedneſta Heæ ciuitate.*

TEdneſtam ciuitatem antiquiſſimam condiderunt Africani in planicie amœniſſima atque ampliſſima, quam altiſſimo muro ex lateribus atque creta circundederunt. Eſt & riuulus qui ex vrbe defluens huius foſſæ aquam prebet. Aliquot hic reperias mercatores, qui pannum venalem habent, ex quo huius incolæ veſtes ſibi conficere conſueuerunt. Venit & apud hos quoddam telæ genus, quod illuc ex Luſitania aduehitur: cæterũ artifices nullos admittunt, præter ſutores, ſartores, fabros, atq; aurifices quoſdam Iudæos. Nullum habet hoc oppidum diuerſorium, nullumque hypocauſtum, aut œnopolium: quòd ſi quis mercator huc appulerit, ad notum aliquem ſe cõferat neceſſe eſt: ſi verò huiuſmodi nõ occurrat, ſortiuntur inter ſe nobiles, quiſnam ignotum hunc mercatorem hoſpitio excipiat: adeò vt nemini qnamuis Barbaro hoſpitium deſit aut humanitas, quin & exteros ſplendidè atq; honorificè ſemper accipere ſolent. Qui autem hoſpitio exceptus fuit, in digreſſu ſuo hoſpiti munus aliquod in gratitudinis ſignum dare cõſueuit, quò gratior illi in poſterum pateat reditus. Si verò huiuſmodi aduena non fuerit mercator, huic fas eſt quam velit ipſe eligere magnatis domum, nulli aſtrictus dono aut hoſpitij penſitationi. Quod ſi denique men-

mendicus aliquis illac transeat peregrinus, huic mox apparatur cœna in quodam Xenodochio, quod pauperibus tantùm exstructum, publico fouetur ære. Vrbis medio vetustum templum visitur sumptuosum & inusitatæ magnitudinis, iis temporibus erectum putant, quo Marocci Rex apud eos rerũ potitus est. Habet porrò templum medio sui loco ingentẽ quandam cisternam, multos prætereaa sacerdotes, atque id genus homines, qui eius curam habent, ac rebus necessariis prouident. Reperiuntur hîc passim & alia permulta templa, quę etsi angusta, nitidissima tamen sunt, atque optimè exculta. Iudæi in hac vrbe ædeis plus minus centenas possident, quæ nullum prorsus annuum exsoluunt tributum, nisi quòd nobilibus quibusdam, quos sibi quisq; maximè fauere intelligit, munusculum subinde mittit, quò amicitiam foueat, augeatq;: estq; maxima vrbis pars Iudæis referta. Horũ sunt monetariæ ædes, nummumq; cudunt argẽteum, cuius Asperi (sic enim illi vocant) centum ac septuaginta, vnciam vnam pendent, ei monetæ persimiles, quæ apud Hungaros in vsu est, nisi quòd hæc quadrata cuditur, Hungarorum autem non ita. Illorum incolæ ab omni tributo annuoq; censu liberi sunt: si quibus tamen in publicum aliquod ædificium aut alium quemuis sumptum pecuniis opus fuerit, mox conuocatur populus, ac quod cuiusque vires ferũt, id illis in promptu numerandum est. Ruinam passa hæc ciuitas anno Mahumetes. 918. Quo tempore illorum ciues oẽs ad montes confugêre, indeq; Maroccum se contulerunt. Huius

autem rei hanc rationem enumerant: Audierant incolæ vicinos Arabes cum Lusitaniæ Ducibus (qui tum temporis Azafam occuparant) fœdus iniisse, pollicitosq; se oppidum in Christianorũ ditionem traditurosque res inhabitatores adeò deterruisse dicitur, vt illi protinus fuga salutem quæsierint. Memini quoque me hanc ciuitatem omnino euersam vidisse, muros solo æquatos, ædificia deserta, nihilque in iis præter cornicum aliarúmve auium nidos tum temporis videri potuit. Fuit hoc anno.920.

### *Teculetum Heæ oppidum.*

HAbet Tednesta vicinum sibi ex Oriente oppidum, quod octodecim ab ea miliarium spacio, ad cuiusdam montis radices situm est, Teculetũ illis appellari consueuit, domosque circa mille obtinet. Huic contiguus est quidam riuulus, qui ex vtraq; parte hortos amœnissimos, omnisq; generis arbores habet. Multi intra huius vrbis muros putei reperiuntur, è quibus aquam limpidissimam atq; dulcissimam hauriunt. Egregium hîc eminentissimũq; templum conspicitur; quatuor item pauperũ Xenodochia, atque vnum religiosorum monasterium. Incolæ multò ditiores habentur, q̃ qui Tednestam inhabitant: quod facilè ex eo quis colligere poterit, nam portum celeberrimum habent ad mare Oceanum, mercatoribus Goz vulgò appellatum. Magna reperitur apud illos frugum atque leguminum copia, quæ ex fertilissimis illis circumiacentibusq; agris proueniunt. Solent & hi ceram mittere in Lusitaniã: magnaq; illis est in vestitu

&

& equorum apparatu cura. Quo tempore apud illos agebam, repperi nobilem quendam qui in eorum Conciliis primum obtinebat locũ: huius officium erat, cùm de tributo, quod singulis annis Arabibus exsoluebatur, tum etiam de pace inter Arabes atque suos ciues curare, si qua esset inter eos orta dissentio. Ingentes sibi hic collegerat diuitias, quas amicis parãdis potius q̃ scriniis augendis collocari maluit: in pauperes munificentissimus, in omnes suos ciues largissimus, atq; fautor cãdidissimus, adeò vt nõ immeritò illum omnes ceu patrem atque tutorem optimum venerarentur. Cuius etiam rei ipse ego periculum feci: qui non vulgariter, sed miris admodum ab illo exceptus modis, aliquandiu apud eum commoratus sum, variasq; in illius ædibus de Afrorũ rebus gestis historias legi. Cecidit vir ille probus vnà cum filio in quodam prælio, quod cum Lusitanis gessit: idq; anno secundum nostram computationẽ. 923. Christi verò anno. 1514. Post hæc, ciuitatem euersam, populi partem in fugam redactam, partem captiuam, ac reliquã ab hostibus interfectam intelleximus, quæ omnia multò copiosius enumerauimus in eo libello, qui de Africanis rebus, nunc recenter excusus, in lucem editus est.

¶ *De Hadecchite Hea oppido.*

HAdecchis ciuitas in planicie sita, octo miliaribus ad Meridiem à Teculetho distat: focos numerat septingẽtos: huius murus ex viuo lapide, ac ex eodẽ constructa totius vrbis templa atque domus. Vrbis medio amplissimus

eſt fluuius,qui vtrinque multas vites atque pergulas habet. Multos reperias artifices Iudæos. veſtitus illis ſic ſatis decorus: equi habiles: mercaturam vt plurimum exercent; nummum cudunt, ſuntque apud illos ſingulis quoque annis nundinæ,ad quas vicinæ nationes conuenire ſolent. Magnam apud hos inuenias armentorum, lanæ,butyri,olei,ferri,& panni copiam:durantq; illis nundinæ dies quindecim. Mulieres forma præcellentes,candidæ,obeſulæ,venuſtæ,atq; imprimis elegãtes. At viri beluino prorſus ſunt animo, adeoq; zelotypia laborant,vt ſi quem cum vxore contabulantem reperiant, cõfeſtim interficiant. Nullus apud hos qui ius dicat,nullus eruditus qui inter ciues Magiſtratus pro dignitate diſtribuat: ſolus is ſuo arbitratu regit,qui diuitiis cæteros antecellit. In his quæ ad religionem pertinẽt, ſacerdotes habent adminiſtros. Neque tributum aliquod,neq; annuum exſoluunt cenſum,quemadmodum nec illi,de quibus iamiam diximus. Hîc à quodam ſacerdote,ingenio mirè liberali,hoſpitio exceptus ſum,qui & carminib. Arabicis admodum ſeſe oblectabat. Quáobrem ſplendidè ab eo exceptus, prælegi illi de eadem re opuſculum: quæ res fecit,vt non niſi ampliſſimis onuſtum munerib. à ſe diſcedere ſit paſſus. Maroccum hinc me contuli. Poſt hæc audiui & hoc oppidum ſimiliter à Luſitanis exciſum, omneſque incolas ad proximos montes confugiſſe, Anno .922. hoc eſt,eodem quo patriam, viſendi ſtudio, reliqui, Anno qui erat à Chriſto nato. M. D. XIII.

*Ileu-*

*Ileusugaghen Heæ oppidulum.*

AB Hadecchite Meridiem versus octo distat miliaribus, in iugo excelsi cuiusdam montis situm: focos numerat circa quadringentos: infimũ collem alluit paruus amnis. Nusquam hortus reperitur, nulla omnino arbor à qua fructum aliquem expectent: cuius hęc, ni fallor, ratio est, quòd horum incolæ adeò sunt ignaui atque inertes, vt nihil præter hordeum & oleum curent. Omnibus anni temporib9 nudis incedunt pedibus, ditiores calceos ex camelino aut bubulo corio gestare solent. Continuũ cum vicinis bellum gerunt, idq́ue tanta cum sanguinis effusione ac hominum strage, vt canes magis quàm homines appellãdos dicas. Nullum apud hos iudicium, nullus sacerdos, nullusq́; legis peritus, qui aliquem vitæ modum, quíve rempub. inter eos cõstituat: quare nec iustitiæ nec probitatis vllus eis est cultus. Nihil omnino fructuum producunt montes illi: magnam habent mellis copiam, quo omnes incolæ vesci, finitimisq́; nationibus diuendere solent. Et quia ceræ nullum nouerunt vsum, eam cum reliquis mellis excrementis eijciunt. Habet hoc oppidulum angustũ sacellum, centum vix hominũ capax, quo tamen ita infrequentes cõueniunt vt ampliore illic nõ sit opus, tantus est his religionis atque pietatis neglectus. Quocunq; foris se conferant, pugionem, quidam etiam hastam gestant: neque rarò audias apud illos ciuem aliquem interfectum. Nihil his excogitari potest sceleratius, nihil proditionis atque omnis nequitiæ amantius.

Memini me quondam cum Serifo iter illuc fecisse, qui & Heæ sibi vendicat imperium, idque quò dissidium inter eos componeremus: dictu enim incredibile, quàm acre illic cùm ob homicidas tum ob latrocinia atq; furta, bellum exortum erat. At quia Serifus nullos secum adduxerat Legisperitos, nullos item qui dissidia componerent iudices, voluit me pro virili id munus suscipere. Mox gregatim accurrunt oppiduli cives: hic vicinum octo ex sua cognatione interfecisse docet, ille cōtrà ex suis decem necatos queritur, atque ob id factum aliquot pro veteri consuetudine aureos sibi numerari cupit. Hic sibi aureos exolui debere asseuerat, quòd decem sint ex sua familia interfecti, cùm ille ex alterius octo tantùm cæde affecerit. Ad quod, iure id factum respondetur, eò quòd fundum quendā patrium, sibiq; ex hæreditario iure debitum, vi atq; iniuria eripere studuerāt, verùm suos inuitis legibus & æquitate solùm vindictæ cupiditate obtruncatos. Eiusmodi nugis trāsigitur totus dies, neq; vllus dabatur interim dissidia finiendi modus. Circa medium noctis vidimus magnam in foro turbam concurrentē, tantāq; sanguinis effusione atq; strage dimicantē, vt neminem tam atrocem putem, qui non seriò exhorrescat. Quamobrem sibi metuens Serifus, ne quid proditionis aut cō spirationis lateret inter scelestissimos nebulones, mox satius illinc migrare existimans quàm huius actus finem exspectare, hinc Aghilinghighilum profecti sumus.

¶ *Teijeutum.*

Teij-

TEijeutum item oppidulū in planicie ab Ileusugagheno Occidētem versus decem distat miliaribus: familias numerat plus minus trecentas. Murum habet ac domus lateritias: incolæ agrorum curam gerunt: solum hordeo fœcundissimum, vix aliud semen recipit. Hortos amœnos & spaciosos habent, vitibus, ficubus, & persicis cōsitos: Capras innumeras possident. Multi hîc passim leones, à quibus non mediocri afficiuntur incommodo: sęuiunt enim indies cùm in capras, tum & in cæteras eius regionis pecudes. Nos cùm in hanc terram incidissemus, ob hospitij inopiam ad quandam domunculam diuertimus, quæ vetustate ruinā minabatur: equis de pabulo abūdè prospectis, fores lignis & spinis quàm fieri potuit curiosissimè, occlusimus: Quę dum à nobis geruntur, mensis erat Aprilis, quo tempore ingens illis est æstus. Quare nos in summū domunculæ ascendimus locum, quò magis aëri inter dormiendum expositi essemus. Circa medium noctis, sensimus duos insignis magnitudinis leones, q huc equorum odore allecti, senticosum illud munimentū ab ostio submouere conabantur. Equi verò terrore commoti, talem hinnitum atque strepitum edebant, vt omnino vereremur ne inualida casula corruente, nos leonibus ientaculo futuri essemus. Post hęc vbi iam auroram sensimus, mox equos sternimus, atque inde ad eum locum nos contulimus, vbi principem cum exercitu adesse sciebamus. Non longo post hæc tempore subsequutum est oppiduli excidium. Bona ciuium

pars occiſa, reliqui à Luſitanis capti, in Portugalliam abducti ſunt. Hæc autem Anno. 920. geſta, à Chriſto nato. 1513.

¶ *Teſegdeltum Heæ oppidum.*

TEſegdeltum ſic ſatis amplum familias habet plures octingentas, in ſummitate excelſi cuiuſdam mōtis ſitum, altiſſima rupe ceu natiuo muro cingitur: diſtat aūt à Teijeut to meridiem verſus, miliarib. duodecim, habetq; ſub ſe fluuium, cuius nomen memoriæ excidit. Horti apud illos amœniſſimi, omniſque generis arboribus feraciſſimi, iuglandibus conſiti. Incolæ ditiſſimi, equorum magna illis affluentia, nullumq; Arabibus tributum exoluere coguntur. Continuum his cum Arabibus bellum, nō ſine maxima vtrinque ſanguinis effuſione atque hominum ſtrage. Solent viciniores pagi & vici eò quicquid grani habent deferre, ne ab hoſtibus quotidie incurſiones facientibus, ſpolientur. Ciues humanitatis atque ciuilitatis amantiſſimi, à nullis ſe neq; liberalitate, neq; erga exteros munificentia ſuperari ſinunt. Habet quælibet vrbis porta ſuos cuſtodes, qui ingredientes humaniſſimè excipiunt, atque num quem habent illic amicum aut notum ſciſcitantur. Quòd ſi nemo ſit, in egregiū aliquod hoſpitium deducunt, atq; pro dignitate acceptū dimittunt: quicquid ſumptus fuerit, non ex hoſpitis ſed ex publica penſatur pecunia. Laborant & hi quidem zelotypia, ſed fidei atque promiſſi obſeruantiſſimi. Eſt in ciuitatis medio templum elegantiſſimum & ornatiſſimum, quod ſuos habet ſacerdotes atque

mi-

ministros. Et quò apud illos ius summa æquitate administretur, iudicem habent apprimè doctum, qui omnium totius Reipub. rerum (criminalibus tantùmodo exceptis) curam gerit. Campi in quos sementem iacere solent, per montem sunt dispositi. Ad hos quoque vnà cum Serifo profectus sum Anno. 919. qui Christi fuit millesimus quingentesimus decimus.

¶ *Tagtessæ ciuitatis descriptio.*

Tagtessa antiquissima ciuitas figura rotunda, in summitate montis sita: cuius cliuus flexuosos gradus habet, ipsi montis saxo incisos. Distat à Tesegdelto miliaribus plus minus quatuordecim. Ad huius montis radices præterfluit fluuius, ex quo Tagtessanæ fœminæ aquam hauriunt, neq; alium habent incolæ potum: tametsi à Tagtessa sex ferè miliarib. distat, tamen si quis è ciuitate prospiciat, sesquimiliare vix abesse videtur. Est porrò via angusta quæ ab vrbe gradibus rupi incisis ad eum ducit fluuium. Huius ciues direptionibus, furtis, rapinis, & perpetuo cũ vicinis bello gaudent. Nullus illis ager, nullum pecus, præterquam in hoc monte: aprorum maxima illis copia: equorũ verò tanta inopia, vt vix vnum in hac ciuitate quis reperire posset. Adeò difficile per eorum regionem patet iter, vt neminem transire sinant, nisi fide publica exhibita. Ego cùm apud eos agerem, magna regionem illam inuaserat locustarum copia, quas in tantum creuisse affirmare ausim, vt spicas, quæ tum temporis maturitatem attigerant, multis partibus excederent: adeò vt ipsa soli super-

perficies locuſtis planè tegeretur. Idque Anno .919. qui Chriſti fuit. 1510.

¶ *Eitdeuetum.*

A Tagteſſa Meridiem verſus miliaribus circiter quindecim diſtat & aliud oppidũ, Eitdeuetum vocant, loco eminentiori, in planicie tamẽ exſtructum. Familias numerat plus minus ſeptingentas: habetq; ſui medio fontes limpidiſſimos atque frigidiſſimos. Çingitur oppidum rupibus vndiquaq;, & nemoribus vaſtiſſimis. Omnis generis artifices Iudæos hîc reperias: neque deſunt qui primos huius incolas ex Dauide prognatos aſſerant: verùm vbi eam regionem Mahometes occupaſſet, etiam populi fidem iiſdem temporibus immutatam dicunt. Multos hîc videre licet Iuris peritiſſimos,qui legum ac decretorum ſummam ad vnguem tenẽt: memini enim me quendam apud illos prouectiſſimæ ætatis hominem vidiſſe, qui magnum eorum idiomate conſcriptum volumen promptiſſimè recitabat, Elmudeuuana vocabant,hoc eſt,totius Iuris corpus. Diuiditur id volumen in tres tomos,in quibus quę difficiliores ſunt quæſtiones explicãtur: tum etiam cuiuſdam autoris (Melic appellant) in eaſdem conſilia. Forũ dicas iudiciale,in quo quicquid inter ciues atque vicinas ciuitates diſſidij exoriri poteſt,continuò deciditur ac ſedatur. Neq; ſolùm ea attingunt,quæ ad Remp. attinent,verùm etiam quæ ad religionem & fidem ſpectant: quanquam in criminalibus non admodum illis à populo fides habeatur,neque etiam hac in re magni fit eorum eruditio.

ditio. Cùm apud hos agerem, diuersabar apud quendam causidicum, virum eruditissimum, qui vt suum hospitem lautius exciperet, multos secum ad cœnam suæ farinæ doctores conuocari iusserat. A cœna verò, multæ (vt fit) in medium allatæ sunt quæstiones: ac inter cæteras rogatum est, Num vendere quis eum posset, qui à quoquam populi cõmodo nutritur. Erat inter eos senex quidam barba vultuque verendus, cui omnes multum tribuebāt honoris, hunc eorum lingua Hegazzare vocitabant. Quod nomen vbi iam ter quatérve audiuissem, ex cõuiuis illius nominis veram etymologiam mihi dari cupio. Illi Lanionem significare affirmant: nam, inquiunt, quemadmodum lanio singularum partium anatomiam probè nouit, sic senex ille nodos omnes difficilesq; Iuris quæstiones optimè soluit explicatq;. Horum vita miseriis atque calamitatibus obuoluta, cibus illis panis hordeaceus, oleum arganicũ & carnes caprinæ. Nullum nouerunt frumenti vsum: fœminas habēt forma pręcellentes, coloris non aspernandi: viri validi atq; robustiores, pectus ferè omnes pilosum habent, insignis liberalitatis, at zelotypiæ morbo addictissimi.

*Culeihat Elmuridin, quod Latinis rupem discipulorum sonat.*

EST arx in iugo excelsi cuiusdam montis exstructa, habetq; vtrinq; & alios eiusdem ferè altitudinis montes, qui rupibus ac vastissimis syluis cingũtur. Nullus ad arcem accessus, præter angustam quandam semitam ex altero montis latere. Ab altera parte rupes altera

verò

verò Tesegdelti promõtorium ad sesquimiliare vicinum habet,distatq; ab Eitdeueto miliaribus fermè octo & decẽ.Nostris temporib.à quodam Apostata (Homar Seijef vocabant) exstructa est: qui primùm populo à concionibus,nescio quid nouæ legis innumeris,quos in suam sentenciam traxerat,discipulis ꝓponere conatus est. Hic vbi se tantùm apud suos profecisse vidisset,vt ab his pro semideo propemodum haberetur,ex cõcionatore versus est in atrocissimum tyrannũ, stetitq; eius imperium annis duodecim. Hic q̃dem ruinę totius eius ꝓuinciæ causam dedit.Tandem ab vxore interfectus, quòd cum filia,quã ex alio marito susceperat,rem habere conuictus esset. Tum demum apud omnes illius detecta est peruersitas & nequitia:nullam enim nec legum,nec probitatis cognitionem habuisse perhibetur. Quare non multis ab huius obitu diebus,omnes regionis incolæ collecto vndique satellitio,cunctos ipsius discipulos,falsæq; fidei sectatores interfecerunt.Relictus tamen est Apostatæ nepos, qui postea in hac arce conspiratorũ vim totum annum pertulit atque repulsit, adeò vt illis ab incepto desistendum fuerit.Idem & in huncvsq; diem Heam & viciniores incolas perpetuo vexat bello,ex rapto furtoq; viuit,quare & aliquot secũ habet equites,qui viatores obseruẽt,& infestent, quiq; nunc armenta,nunc homines captiuos abducant. Nec illi sclopettarij desunt,qui viatores quamuis longinquos (distat enim ab eo loco via publica integro ferè miliari) non parum timoris incutiant. Verùm tam acri eum persequuntur
omnes

omnes odio, vt ne latum quidem pedem extra montem seminare aut dominari possit. Hic aui sui corpus in eadem arce honorificè sepeliri curauit, eumq; ceu Diuum quendam à suis adorari patitur. Parũ abfuit cùm quodam die illuc prẹterirem, quin sclopi ictu interfectus fuerim. Huius auunculi vitam, fidem, atque mores, ex quodam illius discipulo probè didici, ac in quodam de rebus Mahumeticis compendio copiosissimè depinxi.

¶ *Igilingigilum Heæ oppidum.*

EST præterea & oppidulum in mõte ante aliquot sæcula ab Africanis exstructũ, Igilingigil incolæ nominant: distat ab Eitdeueto Meridiem versus circiter sex miliaribus, familias habet ferè quadringentas. Multos hîc inuenias artifices, rebus tantùm necessariis vacantes, vt sumptũ sibi inde comparent. Horum ager hordeo fertilissimus, mellis atq; olei arganici magna apud hos copia. Angustissima ad hanc vrbẽ ducit via, idq; ex vna tantummodo mõtis parte. Est porrò adeò ardua atque difficilis, vt non nisi maximo labore illac ascendere equi possint. Incolæ omnes validissimi, armisq; exercitatissimi, perpetuum cum Arabibus bellum gerũt, verùm faustissimo vt plurimũ Marte, idque propter locum natura situque munitissimum. Hac gente liberaliores inueniri vix vlli possent. Vasis fictilibus conficiendis pariter se omnes exercent, quæ nusquam finitimis in locis formari existimo.

¶ *Tefethne Heæ portus atque emporium nobilissimum.*

Ad-

ADiacet mari Oceano vrbs,quæ & ſitu & opere munitiſſima eſt, Teſethne vulgò nominant: diſtat ab Igilingigilo miliaribus circiter quadraginta Occidentem verſus. Hanc à quibuſdam Africanis exſtructã volunt, atq; focos numerare ſex centos aut eò amplius. Hic naues mediocres ſatis tutas habẽt ſtationes, ſolent autem illuc Luſitani cõfluere mercatores, qui ceram pelleſque caprinas inde auehunt. Nihil illi agrorum præter quoſdam hordeo feraciſſimos montes obtinent. Habet hoc oppidum vicinum quendam riuulum, in quem ſe naues aduerſa tempeſtate tutò recipiunt. Huius murus ex candido elaboratoque lapide & lateribus conſtructus eſt, annumeratur & apud hos annuus cenſus:verùm quicquid redditus eſt aut emolumenti,id in ſolidum ciuibus ex æquo diſtribuunt,nempe qui armis apti inueniuntur. Neque hîc ſacerdotes neq; iudices deſiderabis,atqui ad illos nihil de homicidiis aut huiuſmodi criminibus inquirere quicquam pertinet.Quòd ſi interfecti aut vulnere affecti affinis quiſpiam illi occurrat qui vel interfecit vel vulnus intulit, ilico ad talionis penam, nullis adhibitis iudicibus vocatur: quod ſi id nõ fiat,ab illorum conſortio pèr ſeptem continuos annos ſegregatur: quibus tranſactis, reus defuncti affinibus aureis exolutis,in gratiam recipitur & inter ciues annumeratur. Huius loci omnes incolæ candidiſſimi,amicitię atq; adeò humanitatis ſtudioſiſſimi,plus exteris quàm conciuibus fauent, Ampliſſimum atq; ditiſſimum habent xenodochium, tametſi

qui

qui isthic agunt,vt plurimum in ciuium ædibus diuersentur. Viximus & nos apud eam gentem cum Seripho principe tribus diebus,qui quidem totidem mihi annis constare visi sunt,cùm propter pulicum incredibilem multitudinem,tum propter vrinę atque caprorum stercoris fetorem nulli ferendum. Habet enim quilibet ferè ciuis copiosum caprarũ gregem, quas interdiu ad pascua adigunt,noctu aũt per totam domum,imò & ad cubiculi ostium ferunt.

### *Ideuacal populus qui Atlantis montis priorem occupat partem.*

ENumeratis hactenus omnibus Heæ ciuitatibus quæ memoratu dignæ videbãtur, visum est & hoc loco montes omnes annectere,ne quid huic nostro labori deesse videatur,quod lectorem oblectare posset.Maxima igitur huius populi portio montes occupat,atque inter hos nonnulli Ideuacal (sic enim nominantur) eam Atlantis partem inhabitant,quę ab Oceano Orientem versus ad Igilingigilum vsque extenditur,hęc Heam à Susa dirimit.Huius mõtis latitudo trium dierũ itinere constat.Tefetnę enim, inde hic mons in Septentrione initium habet,tantum à Messa(quod oppidum montem in Meridie terminat) distat,quantum ego equitando tribus potui conficere diebus.

Qui regionem hanc æquè atque ego nouerit, mihi facilè testis erit,quàm nõ sit incolis destituta,& quàm multa passim reperiantur rura. vescuntur carnibus caprinis,hordeo atq; melle.

Ne-

Neq; ſubuculas gerunt,neq; alias veſtes ſutiles, eò quòd nemo inter eos ſit,qui aut acum,aut eius aliquẽ nouerit vſum:quicquid verò veſtium habent,id nodo quodam ex humeris dependet. Horum mulieres annulos argenteos auribus addunt,quædam tres,nonnullæ plures. Fibulas habent argenteas tantæ magnitudinis, vt vnciam vnam quęlibet pendeat,his veſtes in humeris cõiungunt,ne decidant. Geſtant & digitis atque tibiis annulos argenteos nobiles atque diuites, qui verò tenuioris ſunt fortunæ, ferreos duntaxat aut ex aurichalco cõfectos. Habet & hæc regio equos aliquot,eosq́ue tam puſillos tantęque velocitatis,vt nõ immeritò quis eos miretur.Innumeros hîc reperias capreolos, lepores atq; ceruos,nec tamen illorum quiſquam eſt, qui venationi ſtudeat. Innumeri hîc fontes, innumeræ vbiq; arbores,ac inter eas iuglandes numero excedunt. Maxima illorũ pars Arabum viuit more locumq́; ſubinde mutant. Pugionibus vtuntur latis & incuruis:enſes vero craſſitudinis falcium, quibus fœnum demetimus. Si quando illis eſt belligerandum.3.aut.4.geſtant venabula. Nullus toto hoc monte,neq; iudex, neq; ſacerdos: nullumq́ue templum reperitur. Eruditio tam illis incognita, vt neminẽ habeant qui eam colat aut amplectatur. Omnes nequiſſimi,ſceleratiſſimi, atque omnibus flagitiorũ generibus deditiſſimi. Seripho me præſente nunciatũ eſt, hanc montis plagam viginti millia armatorum, ſi quando res poſtulat, annumerare poſſe.

## ¶ *Mons Demenſera.*

Eſt

EST & hic mons Atlantis pars quædam à prædicto monte exordium ſumens, diſtenditq; ſeſe ad orientem Solem per miliaria plus minus quinquaginta, ad montem vſq; Nifitam, in Maroccenorum regione. Diuidit autem bonam Heæ partem ab ea regione quam antea nomine Sus appellauimus. Non procul hinc ad Suſam itur. Incolis abundat, verùm barbaris, moribusque plane beluinis. Equorum magna hîc eſt copia: frequens gerunt cum vicinis cæteriſq; Arabibus bellum, e quibus neminem intra ſui regni fines ingredi patiuntur. Nulla hîc neq; oppida, neq; arces: multos habent pagos & tuguria, quo ſe ditiores recipere ſolent. Nobilium magnus vbique numerus, quibus & reliqui optimè parent. Ager hordeo atq; milio fœcundiſſimus. Fontium magna hîc paſſim reperitur copia, qui per totá eam prouinciam ſparſi, in eum tandem fluuium prolabũtur, qui eorũ lingua Siffaia nuncupatur. Veſtitus, ſic ſatis cultus: ferri itẽm maxima copia, quod inde in cæteras exportatur nationes, eſtque gens ea ad rem plus ſatis attenta. Innumeri hîc reperiuntur Iudæi, qui ſub Principe aliquo ſtipendia merent, ſuntque continuò in armis: hi à cæteris Iudæis Africanis hæretici reputantur, dictiq; ſunt eorum lingua Carraum. Excelſas habent buxos atque lentiſcos, præterea & iuglandes proceras. Nuces argano (ſic fructum vocant) addere ſolent, atque ex hac commiſtione oleum plus ſatis amarum exprimunt, quod illi quibuſdam eduliis, lychnoque penſili infundere ſolent. Ex multis huius regionis magnatibus in-

tellexi, posse apud hos aptissimorū militum reperiri ad vigintiquinque millia. Mihi è Susa redeunti,propter quasdam à Seripho principe traditas literas, maximos exhibuerūt honores: nec me (quò suum erga Seriphum animum declararent) nō nisi amplissimis donis atq; muneribus dimiserunt. Id accidit Anno.920. qui à Christo nato fuit M. D. XI.

¶ *Mons ferreus,qui & Gebelelhadih vulgò appellatur.*

NON est hic mons Atlantis pars dicendus, initiū enim habet ex Septentrione ab Oceano:distendit sese Meridiem versus ad fluuium vsque Tensiftum: Heam autem à Duccala atq; Marocco diuidit. Incolæ Regraga dicuntur. Vasta hîc vbique solitudo,fontes limpidissimi, mellis atque olei arganici vbertas magna, frumenti leguminumq; penuria,nisi id sibi ex Duccala adferri curarent. Rari hîc diuites,sed omnes religionis obseruātissimi,veræq; pietatis cultores studiosissimi.In huius montis iugo multos reperias heremitas,qui fructib. tantummodo quarundam arborum & aqua vescuntur. Est ea gens fidissima pacisq; amantissima.Si quis in furto,aut alio quouis maleficio deprehensus fuerit, per aliquot cōfestim annos in exilium mittitur. Mira inter eos simplicitas, adeò vt quicquid ab heremitis factitatū viderint,ceu miraculū quoddam admirentur. A vicinis Arabibus crebris infestantur incursionibus,quare gens pacis studiosissima,annuum numerare censum,q̄ bellum gerere mauult.In hos Fessæ Rex Mahumetes castra

mouit, adeò vt hi relicta patria ad montes fugere coacti ſint. Monticolæ verò, Mahumetis adiuti copiis, Arabes fuderunt, adeò vt interfectorũ tria millia & octuaginta equi ad Mahumeté deducti ſint. Monticolæ ex eo tempore propter bellum feliciter geſtum, ab omni tributo liberi remanſere. Hæc cùm ita gererentur, regi ſtipendium merebam. Id autem Anno .921. hoc eſt à Chriſto nato, M. D. XII. Solent vbi bellum aliquod ſuſcipiendum eſt, duodecim millium armatorum exercitum educere.

## ¶ *Suſa.*

NVnc ſe mihi regio Suſa offert Meridiem verſus, vltra Atlanté regni Heæ è diuerſo poſita, hoc eſt in extrema totius Africæ parte. Ex Occidente initium habet à mari Mediterraneo, in Meridie deſerto arenoſo clauditur, ex Septentrione Atlante atque extremo Heæ oppido terminatur. Occidens verò eam regionem magno illo fluuio, qui à regione nomen accepit, cõcludit atq; finit. Sumpto igitur ab Occidente exordio, eas omnes ciuitates, eaq; loca enumerabimus, quæ memoratu digna videbuntur.

## ¶ *Meſſa.*

TRia nõ procul à mari Oceano ab antiquis Africanis condita ſunt oppidula, ad mille paſſus ab inuicé diſtantia, eodem ipſo loco quo Atlas initium habet: his omnibus idem nomen Meſſa indiderũt, eſtq; illis ex lapide candido murus. Fluit intér eas latus quidam fluuius, quẽ Sus illorum lingua appellauêre: hic æſtate tam aquis deſtituitur, vt nullo periculo facilè quis eũ

pedes permeare liceat, Verno tempore non item. Habent tum quidem nauiculas quasdam, verùm non huic flumini aptas. Situs autem harum vrbium locus est palmis fœcundissimus, neq; alias ferè habent diuitias, quanquam dactyli illi non magni admodum sint valoris, non enim in annum vnum seruari possunt. Incolæ omnes agriculturam exercent, idq; mensibus præsertim Septembri atque Aprili: illis augetur fluuius. Maio verò mense sata maturitatem pertingunt. Quòd si duobus illis mensibus flumen solito more non excreuerit, actum est de satione illius anni. Pecudum his summa est penuria. Non procul à maris littore templum habent, cui religiosissimè fauēt. Ex quo eum Prophetam venturum scribunt historiographi, de quo vaticinatus est magnus ille Mahumetes. Neque desunt qui Vatem illum Ionam à pisce in Messæ solum eiectum affirment, cùm ad Niniuitas p̄dicationis causa missus esset. Huius templi tigni ex balænarū costis sunt: nec rarò illis vsu venit, vt mare balænas visendæ magnitudinis in littus mortuas eiiciat, quę propter molem atq; miram deformitatem, terrorem aspicientib. incutiant. Vulgus omnes balænas morti addictas putat, quæ illud templum prætermatāt, idq; propter arcanam quandam vim huic templo à Deo cœlitus infusam: quæ res mihi aliquo modo persuasisset, & tū pręsertim, cùm quodam die illuc iter faciens, ipse maximam quandam in ripā eiectam vidissem: nisi postea quidam mihi Iudęus non id mirum esse dixisset, cùm vtrinque magni ad duo miliaria reperiantur scopuli, ac cō-

moto

moto mari solent se quoque balænæ cômouere: quòd si illis fortè contingat, vt scopulo aliquo illidantur, facile ex vulnere intereant, adeò vt in proximum littus eiiciantur. Hæc mihi ratio magis quàm vulgi opinio persuasit. Memini & me in his regionibus iis temporibus fuisse, quibus Seriphus rerum potitus est, atque à quodam nobili inuitatum, & in hortum deductum suburbanum: vbi balænæ costam quandam tam admirandæ magnitudinis ostendit, vt in arcum reflexa, portam referebat, cuius summitatem neq; ille neq; ego camelis insidentes vel capite contingere potuimus: hanc ille plusquam centum annis eo loco positam fuisse affirmabat, eamque ceu miraculum quoddam asseruari. Reperias in maris littore magnã electri copiam, quod inde à quibusdam Lusitanis atq; Fessæ mercatoribus auehi solet, idque vel vilissimo precio: vix enim illi aureum vnum pro electri selectissimi vncia exsoluunt. Nonnulli electrum è balænæ stercore, alij verò è spermate deriuari volunt, quod tandem à mari induratum in proximum proijcitur solum.

¶ *Teijeutum Susæ antiquum oppidum.*

TEijeutum à priscis, vt illi dicunt, Africanis amœnissimo exstructum loco, in tres partitur partes, quarum vnaquæque per integrum ferè miliare ab alia distat, redduntq; inter se figuram triangularẽ: familias numerant quatuor millia, neque procul à Susa absunt flumine. Solum frumẽto, hordeo, omnibusq; leguminib. feracissimũ. Prouenit & apud hos saccarum satis

copiosè: verùm quoniam illud neque coquere, neque parare nouerunt, nó aliter quàm nigrum atq; insipidum habent: quare mercatoribus Fessæ, Marocci, & Nigritis diuendunt, quicquid saccari illis superesse potest. Dactyloru item bona illis prouenit copia, neque aliqua illis in vsu est pecunia, pręterquã aurum suo natiuo solo euulsum. Mulieres vnius aurei panniculum in capite gerunt. Nihil illis est argenti præterquam quod fœminæ pro ornamento habent. Minima apud hos moneta ferrea est vnius ferè vnciæ. Nihil fructuum apud hos luxuriat, præter ficus, vuas, persica mala, atque dactylos. Non oliuas hîc inuenias, neque oleum, nisi ex quibusdam Marocci montib. sit aduectum. Olei cantarus Susæ quindecim venit aureis: Cantarus autem centum & quinquaginta libris Italicis æquiualet. Horum aurei, quia nullam habẽt monetam, eius semper sunt ponderis, vt septem cum parte tertia vnius aurei vnciam vnam pendant. Vncia illis eadem est, qualis est Italis: verùm libra octo & decem capit vncias, vocaturq; eorum lingua Rethl, centũ verò Rethl Cantarum vnum efficiunt. In deuehendis huc atque illuc mercibus, illud ferè obseruãt, vt pro cameli sarcina, id est, pro. 700. libris Italicis, tres aureos adnumerẽt, Verno præsertim tempore: nam Æstiuo nunc quinque, nunc sex aureos prò temporis exigentia persoluunt. Hîc egregium illud corium paratur, quod vulgò Maroccenum dicunt, horũ duodecim sex coronatis diuenduntur, quũ totidem coria, Fessæ octo vęneant coronatis. Ea parte qua Atlantem spectat,

multa

multa habet hæc regio rura, multos item vicos atq; pagos: sed ea quæ Meridiē respicit, omnino est incolis nuda, vicinis enim Arabibus subiacet. Huius vrbis medio egregium est visendæq; amplitudinis templum, quod illi maximum summumq; appellant, ac per illius medium iamdicti fluminis partem aliquam deducunt. Incolæ horridi, intestinis perpetuò bellis vexati, vix vllum vnquā viderunt pacis diem. Habet quælibet vrbis pars suum ducem atque rectorem, qui simul totius Reipub. curam gerunt: sed nunquam nisi tribus imperant mensibus, quibus transactis, suo cedunt & alij tres. Vestitu eos ferè referunt qui Heam incolunt: nisi quòd quidā inter eos vestes, subuculam, omniaq; corporis ornamēta ex tela candida conficiunt. Huius regionis canna (quæ vlnas duas facit) panni vilioris sesquiaureo venditur, tela quæ vel ex Lusitania, vel e Germania inferiori illuc deuehitur, mediocris gracilitatis, si vlnas cōtineat vigintiquatuor, quatuor ad minimum aureis vendi solet. Sunt & hîc iudices ac sacerdotes cōplures, sed religionis tantùm curam gerunt: in rebus ciuilibus, qui plures habet amicos, huic maximè semper fauent. Si quando contingat, vt quis ab alio quopiā interficiatur, mox interfecti cognati in eiusdem oēs mortem conspirant, qui amicum interfecit. Quòd si id perficere nequeāt, reus toto septennio ciuitatis exul ꝓclamatur, nisi malit inuitis omnibus, semperq; ad arma paratus, remanere. Qui ab exilio redeunt ante tempus sibi præfixum, talis indicitur pœna, qualis pòst suo loco describetur. Post totum

enumerant, vt iter mercatoribus huc atque illuc proficiſcentib. tutum atq; ſecurũ ſemper ſeruetur. Hoc oppidum noſtris temporib. Arabibus bellum indixit: quod vt felicius illis gereretur, Seripho principi ſeſe dediderunt, Anno.920.hoc eſt Chriſti M. D. X I.

*Guarguessem.*

GArgueſſem arx eſt in ipſo Atlantis iugo loco munitiſſimo extructa, eamq́ue Oceani plagam reſpicit, quæ Suſæ flumini initium præbet: agrum habet feliciſſimum atq; vberrimum. Hunc Luſitani locum abhinc annis viginti occupauerunt, quæ res ilico Heæ atque Suſæ incolas ad arma vocauit, vt arcem vi captã, vi quoque reciperent. Innumero igitur exercitu tam exterorum q̃ incolarum collecto, ducem ſibi elegerunt Seriphum quendam, hominem ex Mahumetis familia oriundum: ac arcem obſidione circundederunt. Verùm res infauſto Marte tentata eſt, nam qui obſidium tenuerant, vbi viderẽt ſe nihil proficere, multa ſuorũ ſtrage, relicta arce in patriam redierunt. Niſi quòd nonnulli apud Seriphum remanſerunt, eo animò vt bellum in Chriſtianos ad extremum vſque vitæ diem continuarent. Qui Suſæ habitabant, cùm non eſſent vſqueadeo bellandi auidi, Seripho pecunias enumerarunt quibus quingentos aleret equites. Qui poſtquam innumeros ſibi nummis adiunxiſſet milites, omnibuſq́ue illius regionis incolis innotuiſſet, ipſe ſibi id ditionis vſurpauit. Illud mihi certiſſimùm conſtat, Seriphum eo tempore quo me ab illius aula ſubduxi, equites habuiſſe plus

3000.

3000. Peditum verò atque pecuniarum tantam vim,vt non facile quis enumerare queat.

## ¶ Tedsi Susæ oppidum.

TEdsi magnum admodum est oppidum ab Africanis ante aliquot sæcula loco amœnissimo atque fertilissimo exstructum,familias habet aliquantò plures q̃ quatuor millia: distat à Tarodanto Orientem versus, miliaribus triginta,à mari Oceano sexaginta,ab Atlāte verò viginti. Magna hîc prouenit frugum,saccari,atq; glasti syluestris copia. Multos in hac vrbe reperias mercatores, qui huc è Nigritarū regione ad mercatum veniunt. Ciues omnes pacis atq; ciuilitatis omnis amātissimi: egregia apud hos Resp. totius ciuitatis moderatio semper penes sex est, qui ad id muneris sorte creantur:illorum autem regimen sedecim tantùm est mensium. Susa fluuius tribus hinc abest passuum millib. Multi hîc habitāt Iudęi aurifabri,fabri,& id genus artifices peritissimi. Templum habent egregium, sacerdotes legisque doctores quamplurimos,qui publico aluntur stipēdio. Singulis quibusq; diebus Lunæ, solent huc ad mercatum innumeri confluere Arabes,rustici atq; monticolę. Annò.920. se vltrò in Seriphi deditionem coniecerūt: estq; huc totius regionis collatū publicum cōcilium.

## ¶ Taganostum.

NVllam habet Susa vrbem quæ cum ea pugnare possit, quam Tagauostum vulgari nomine appellare solet: domos enī numerat plusquam octies mille:huius murus ex crudo lapide: ab Oceano miliaribus plus minus sexa-

sexaginta, ab Atlante verò Meridiem versus circiter quinquaginta distat: vrbis autē conditores Afros fuisse volunt. Hinc ad miliaria ferè decem illis est fluuius Susa: ingens hîc artificum atque officinarum multitudo: populus in tres diuisus est partes. Bellum illis perpetuò intestinum geritur, habetque semper pars altera Arabes secum, qui pro stipendij præstantia nunc huic nunc illi fauent parti. Magna hîc frugum pecudumq; copia, magna item lanæ vilitas. Conficiuntur apud hos vestium quædam genera, quæ postea Tombutum atq; Gualatā apud Nigritas deferri consueuerunt, idq; semel in anno. Mercatus illis bis qualibet celebratur septimana: vestitu vtuntur sic satis culto atque honesto: horum mulieres forma præcellentes: virorū bona pars subfusca, ex nigro nempe atq; candida prognata. Summa illic rerum potestas penes eos est, qui & ditissimi & potentissimi habentur. Nos quoque per tredecim apud hos cum Setiphi cancellario primario egimus dies, qui in hoc venerat, vt suo principi aliquot seruos emeret: id autem anno .919. hoc est, à nato Christo M. D. X.

¶ *Hanchisa mons.*

SVmit hic mons suum ab Atlante ex Occidente initium, extenditque sese Orientem versus ad miliaria ferè quadraginta. Ad huius radices, sita est Messa cum reliqua totius Susæ parte. Huius incolæ pedites valentissimi, adeò vt vnus nō dubitet duobus sese opponere equitibus. Nihil frumenti hîc neq; frugum nascitur præter hordeum, mellis quoque maxima illis est afflu-

affluentia. Nullum ferè datur tempus, quo non multa niue vexentur: verùm quàm ſint frigoris patientiſſimi,ex eo facile quis colligere poterit, quòd quatuor anni temporibus vnicis tantùm veſtibus vti conſueuerunt. Hos ſæpè conatus eſt Seriphus princeps in ſuam redigere ditionẽ, ſed rem illi nondum feliciter ceſſiſſe intelleximus.

¶ *Mons Ilalemus.*

HAbet hic mõs ex Occidente ſuum à iam dicto monte exordium,ex Oriente Guzula regione terminatur,atq; ex Meridie ipſa Suſæ planicie clauditur. Incolæ validi atque nobiles,magnam habent equorum copiam.Perpetuum illi inter ſe propter quaſdã in hoc mõte fodinas,bellum gerunt: qui ſuperiores euadunt, argenti quantum poſſunt effodiunt, ac inter ſe diuidunt, donec ab aliis rurſum illis adimatur effodiendi poteſtas.

¶ *Marocci regionis ſitus atque habitus.*

HAbet hæc regio ſuum Occidentẽ verſus à monte Nifiſa principiũ,tendit in Orientem ad montem vſque Hadimeum,diducitur ad Septentrionem in eum vſque locum,vbi Tenſiftum & Aſifinual,notiſſimi fluuij coniunguntur, hoc eſt, vbi ad Orientale latus Hea inchoat . Figuræ propemodum triangularis hæc regio eſt,omnino amœniſſima,multiiugis armẽtorum,pecudum, atq; ferarum generibus abundans: vbiq; herbida, rerum omnium quæ ad victum conueniunt, quæ naribus adblandiuntur, quæ oculos paſcunt, feraciſſima. Perpetua penè planicies,Longobardię nõ admodum diſſimilis.

Mon-

Montes si quos habet, frigidissimi atque sterilissimi sunt, adeò vt nihil aliud quàm hordeum producant. Sumpto igitur à parte Occidentali initio, reliqua omnia, eo vt hactenus cœpimus ordine, perstringemus.

*Elgihumuha Marocci oppidum.*

EST in planicie ea quæ ab Atlante miliaribus fere septem distat, nec procul á flumine Sesseua oppidulum quoddam, Elgihumuha appellant incolæ, ab Africanis vt illi arbitrantur constructũ. Postea in quorundam Arabum redactum ditionẽ est, iis ipsis temporib. quibus ea familia quæ Muachidin dicta est, à regno deficere cœpit. Nunc perexigua raraq; huius oppiduli tantùm vestigia cernere licet. Qui nunc eo loco habitant Arabes, tantum duntaxat seminis terræ ingerũt, quantum vitæ necessitati satis esse putant, reliquum agrorum incultum atque ociosum relinquentes. Eo autem tempore quo adhuc incolumis illorum stabat Respub. annuus inde prouentus aureorũ centum milliũ ad principem redibat: familias supputabant sex millia, aut eo plus. Ego cum illac iter facerem, humanissime à quodam Arabe exceptus, huius populi liberalitatem maximè persensi: nisi quòd perfidos, proditoresque scelestissimos à quibusdam eos esse intelleximus.

*Imegiagen.*

IMegiagen propugnaculũ est in vertice quodam Atlantis extructum, loci natura adeò munitum, vt nullum prorsus murum nec habeat, nec adeò indigere videatur. Dissidet ab Elgihu-

vectigalis loco quotannis pendunt.

*Delgumuha noua.*

MAximum munitissimumque in vertice excelsi cuiusdam montis exstructũ est nostro æuo propugnaculum, frequentibus vndiq; cinctum montibus, Delgumuham nouã incolę vocant: ad huius mõtis radices principium sumit Asifinual, quod Africè Rumoris fluuius interpretatur, quod nimirum per montem maximo strepitu perrumpens, gurgitẽ reddat profundissimum, illi persimilem, quem Romani infernum Tyburtinũ appellauere. Habet hic locus familias ferè mille. Aliquandiu sub quodam tyranno egit, qui ex familia Marocci Regis huc venerat. Numerosum hic reperias ęquitatum atq; peditatum, colligunt singulis annis à confinib. Atlantis partibus vectigal ad minimum decem millium aureorũ. Arctissima illis cum Arabibus semper fuit familiaritas, mutuis illi inter se donis inuicem salutare ac resalutare consueuerunt: quo nomine etiam Marocci principes maximè sibi infensos non semel reddiderunt. Ciuilitatis apud hos summum semper fuit studium, vestitus nitidus atque decorus, nullus in tota vrbe est angulus, qui non frequentissima sit hominum turba oppletus: artificum hic nullum genus desideres, cùm à Marocco quinquaginta tantùm miliaribus distet. Spaciosi in hoc monte reperiuntur horti, vnde & magna ad illos fructuum copia quotannis redire solet. Hordeum, linum, atq; cannabim cõferunt, estq; apud hos infinitus propemodum caprarum numerus.

Et

Et sacerdotes habent & iudices complures, cæterùm quod ad ingeniũ attinet, rudes sunt, agrestes atque zelotypię addictissimi. In hac vrbe apud quendam mihi affinem per aliquot dies cõmoratus sum, qui dum adhuc Fessæ habitaret, immodico alchimisticę studio exhaustus, coact⁹ fuit in hunc locum migrare, vbi successu temporis loci primario á secretis factus est.

### ¶ *Imizmizi.*

EST & in quadam Atlantis parte ciuitas sic satis ampla, quam Imizmizi dixere. Occidentẽ versus à iamdicta miliarib. circiter quatuordecim distat: huius conditores feruntur Arabes fuisse. Huic subiacet via illa publica quæ in transuersum Atlantis ad Gusulanorum regionem ducit, appellaturq; vulgò Burris, hoc est via plumis strata: eò quòd frequẽtes illic admodum cadãt niues, quas plumas quis potius quàm niuem iudicaret. Subiecta est & huic oppido egregia amplaq; planicies, quæ per triginta continua miliaria ad Marocci vsque regnum extenditur. Solum felicissimum tam insigne producit frumentum, vt non putem me vnquã tale vidisse. Nisi quòd Arabes & Marocci milites multis eos agros semper vexent incommodis, ita vt potior pars incolis nuda sit, quin & quãplurimos ciues ciuitatem deserere audiui: satius esse existimantes migrare, quàm tot indies incommodis diuexari. Exigua his pecuniæ summa, verùm id maxima cùm agrorum tum frugum abundantia pensatur. Ego cùm ad hos venissem, ad quendam heremitam me cõtuli, quem illi Sidicanon appellabant:

labant,non facilè dixerim,quàm me vir ille illustris magniq; nominis,humane exceperit.

### ¶ *Tumeglastum.*

TRia sunt in planicie oppidula hoc nomine appellata,à Marocco triginta distantia miliaribus,ab Atlante verò Septentrionē versus quatuordecim, palmis, vineis, omnisque generis fructiferis arboribus circuncincta. Campos habēt spaciosos atq; sationi aptissimos, nisi multa Arabum indies vastarentur iniuria. Incolarum tanta hîc est paucitas,vt non putem vltra quindecim familias in iis reperiri posse,quæ omnes iam dicto heremitę affinitate cōiunctę sunt: quæ res facit vt aliquam illius planiciei partem exercere detur, nullo interim numerato Arabibus tributo. Nisi quòd Arabes illac aliquò iter facientes,hospitio excipere tenentur. Casulas illas humiles minimeque commodas, porcilia potius dicas,quàm hominum receptacula: hinc fit quòd pulicibus,cimicibus,aliisque id genus insectis perpetuò vexentur. Horū aqua mirè salsa. Nos hanc quoq; visimus cum Sidi Iehie amico nō vulgari prouinciam,qui huc venerat,quò regis Portugalliæ nomine tributa illius regionis reciperet, hic totius tractus qui Azafi apud illos appellatur præfectus constitutus fuit.

### ¶ *Tesrastum oppidulum.*

SItum est in ripa fluminis Asifelmel. à Marocco Occidentē versus quatuordecim distat miliaribus,ab Atlante verò circiter viginti.Multos passim habent hortos dactyliferos frugibusque maximè commodos,maxima inco

larum pars studio hortensi sibi victum parat. Id interim interdum illis euenit, vt flumen in eum excrescat modum, quòd hortos omnes frugesq; submergat. Accedit & horum calamitati, quòd Arabes æstiuis quibusq; temporibus totam eam regionem occupent, omniaq; vorent, quæ miseri sibi coloni maximo studio atq; labore collegêre. Tantum ego temporis apud hos cõmoratus sum, quantum equo sumẽdi pabuli sufficere poterat: parũ tamen abfuit quin ab Arabibus quibusdam prędonib. & vita & bonis omnib. exutus fuerim.

¶ *Magnæ illius insignisq; vrbis, quam Maroccum vocant, exactissima descriptio.*

INTER maximas totius mundi vrbes, ea adnumerari solet, quæ in Africa nõ obscuro nomine Maroccum appellari consueuit. In spaciosissimo est exstructa campo, ab Atlante miliaribus circiter quatuordecim distat. Conditorem ferunt quendam Iosephum, qui patrem habuit Tesfinum, populi Lontunensis regẽ, iisq; ipsis temporibus conditam, quibus ille suas in hanc regionem copias adduxit, sedemq; fixit nõ procul à via illa publica, quæ ab Agmeto vltra Atlantem ad ea deserta ducit, quæ à iamdicto populo occupari consueuerũt. Miram hîc reperias architecturam: tanta omnia arte ingeniiq; dexteritate sunt exstructa, vt nõ facile quis depingere posset. Amplissimum hoc atq; inauditæ magnitudinis oppidum, eo tempore quo adhuc principem habuit Hali Iosephi regis filium, domos numerabat plusquã centies mille. Portas in ambitu

bitu .24. habebat: murus maximæ craſſitudinis ex candido lapide atq; calce viua exſtructus eſt. Diſtat ab hac vrbe Tenſiftum flumen ſex ferè paſſuum millibus. Non hîc templorum, nô collegiorum, hypocauſtorum, neque hoſpitiorum copiam deſiderabis: omniaque ſecundum illius regionis normam atq; conſuetudinem. Quędam templa à Lontunorũ rege, quędam item ab huius ſucceſſore Elmuachidino extructa ſunt: ſed nullum artificioſius neque magnificentius, q̃ quod medio vrbis, ab Hali Ioſephi illius filio, primo Marocci rege, ædificatum eſt, vulgò templum Haliben Ioſephi nominant. In huius tamen locum ſucceſſit quidam Abdul Mumen, q vt prius illud nomen deleret, ſuumque apud poſteros notum redderet, maximũ hoc totius Marocci templum extinguere, atque aliquantò quàm antea magnificentius reformare curauit. verùm non oleum modò, ſed ſumptum omnem atq; operam perdidit: vulgus enim & in hunc vſque diem templum antiquo illo nomine appellant. Eſt & in hac ciuitate non procul à rupe templũ ab eodem exſtructum, qui ſecundus id ſibi regnum vi occupauit: ac poſt huius mortem illius nepos Manſor, templum hoc quinquaginta cubitorum amplitudine ex qualibet parte auctũ reliquit, multiſq; columnis, quas ex Hiſpania huc conuehere iuſſit, opulentius reddidit. Ciſternã ſub hoc templo eius magnitudinis confecit, cuius totum eſt templum: tectũ templo addidit plumbeum: ſingulis angulis canales dedit, qui pluuialem aquã in ciſternam ſubiectã mittant. Turris ex lapide

durissimo atque elaborato, quale Romanū illud est Vespasiani amphiteatrum, vlnas in ambitu plus centum continet, altitudine turrim ipsam Bononiensem superat. Gradus quibus ad hanc turrim ascenditur, habēt singuli nouem palmos latitudinis: exterius verò muri latus decem, turris autē crassitudo quinque. Septem habet hæc turris mansiones, ad quas gradibus viaq; satis lucida ascenditur: innumeræ enim fere sunt fenestræ, quæ quò plus luminis adferant, interius latiores sunt quàm exterius. Huic turri superstructa est & alia turricula, quæ in acus modum assurgit, capitq; in ambitu. 25. vlnas, altitudine verò paulò plus q̄ duas hastas superans, tres alteram alterę superpositas habet mansiones, fitq; ab vna ad aliam lignea quadam scala ascensus. Habet & hæc turricula in summa parte ferrum quoddam luna ornatū aurea, tres item sphæras aureas, quæ ferro sic sunt insertæ, vt maxima inferiorem, minima superiorem locū occupet. Si quis à summo turris loco oculos in terram defigat, non potest quin multa laboret vertigine, adeò vt illi homines, quamuis procerioris staturæ, non aliter ac pueri appareant vnius tantùm anni. Hinc commodissimè Azafi promontoriū, quod tamē inde centum & triginta distat miliarib. videri potest. Quòd si montes vel procul distantes propter magnitudinē facilè perspici posse dicas, iam & illud addam, quòd inde etiam ad quinquaginta miliaria in planicie facillimè sereno cœlo videatur. Interior huius templi pars nō vsqueadeo ornata est. Tectum habet summa elegantia laqueatum,

asseribus affabrè admodum cõpositis, ita vt pleraque Italiæ templa non elegantiora vidisse meminerim. Sed quãuis maius vix reperiatur templum, etiam si vniuersum orbem pererraueris, locus tamen ferè omnino desertus est, nunquam enim prӕterq̃ diebus Veneris huc populus confluere consueuit. Quin & bona vrbis pars habitationibus est destituta, idq́ue vel maximè circa iam dictum templum, adeò vt maximo labore illud adire liceat, propter ruinam multarum domorum accessum impedientem. Sub huius templi porticu centum ferè librorum officinas, totidemq́ue è regione quondam fuisse dicunt: verùm non puto vel vnum modò reperiri posse in tota hac vrbe bibliopolam. Vix tertia oppidi portio incolas habet. Hic intra muros vineæ, palmi, horti spaciosi, agriq́ue frumentis fœcundissimi: nam extra muros terram exercere, frequens Arabum illos vetat incursio. Hoc vnum certissimum habetote, hãc vrbem intempestiuè sibi senium cõtraxisse: vix enim quingenti & sex sunt anni, quòd illa primũ ædificari cœpit, quandoquidem temporibus Iosephi, qui Tessin filius fuit, anno . 424. Hegiræ, prima illius sunt iacta fundamenta. Verùm ego non aliam ob causam id euenisse existimo, quàm belli quotidie ingruentis iniuria, ac frequẽtes Magistratus atq; Reip. mutationes. Iosepho patri successit filius Hali, post quem illius filius princeps creatus, Reipub. præfuit. Huius tempore exorta est cuiusdam cõcionatoris Elmaheli, hominis in hoc monte & nati & educati, factio: hic multa vndiq; collecta

militum copia, bellum in ſuum principẽ Abrahamũ mouit. Rex verò educto in hunc exercitu, infelici pugnauit Marte: interruptũ illi fuit iter quo ad vrbem rediret, quare Orientem verſus cũ aliquot militibus, qui à pugna adhuc ſupererãt, ad Atlantem vſq; confugiendum fuit. Elmaheli verò, cui ſuum principem regno expulſum nec dum ſufficere poterat, cuidam è ſuis (Abdul Mumen vocabant) cum ſui exercitus parte dimidia negotium iniungit, vt regem profugum quantũ poſſet, inſequeretur: ac quod reliquum fuit militum Elmaheli remanſit, quo Maroccum obſidione cingeret. Rex verò cum iis qui illum comitabantur tandem Oraniam peruenit, ſperãs fore vt ibi nouas ſibi reciperet copias. Sed ſubitò accedente Abdul Mumen cum ingenti exercitu, ciues regi denũciant, ſe nihil periculi illius cauſa ſubire velle. Quare miſer ille rex omnino ſibi deſperãs, noctu equo inſedit, ſumpta ſecum quam habebat vxore, atque in equo ſibi à tergo locata, vrbem reliquit. Aſt vbi ſe ab hoſte notum animaduertit, mox ad rupem quandam, quæ Oceanum reſpiciebat, confugit: hîc equo eum in modum calcar addit, vt ſe cum coniuge chariſſima, cumq; equo pręcipitẽ dederit: ac paulò pòſt inter rupes atq; ſaxa interfectus, ab incolis vicinis repertus ſit. Abdul Mumen victoria exultans, Maroccum repetit, vbi iam dictus ille Elmaheli vitã finierat, in cuius locum rex electus eſt atq; pontifex quadraginta diſcipulorũ, habuitq; decemuiros ſibi à ſecretis, quod nouum quiddam fuit in lege Mahumetis. Hic igitur poſtquam totum

annum

annum id oppidum obsidione vexasset, superauit tandem: ac Isaaco qui Abrahami relictus erat filius vnicus, propria manu interfecto, oẽs quoq; qui id loci seruarant milites, nec non & bonam ciuium partem interficere iussit. Regnauit huius posteritas ab Anno quingentesimo decimosexto Hegiræ, vsque ad annum sexcentesimum sexagesimum octauum, fuitq; tandem regno pulsus à quodam Marinorum rege. Nunc varias mihi hîc fortunæ vices atque mutationes quæso animaduerte. Marini huic regno post huius mortẽ præfuerunt ad annum vsq; Hegiræ.785. Tandem indies decrescente magis ac magis Marocci imperio, reges habuit qui huc ex monte proximo venerant. Verùm nullos habuit Maroccum duces, à quibus tanta fuerit cõtumelia affectum, quàm à Marinorũ familia. Hæc Fessæ suam habuit curiam præcipuã, Marocci verò quendam qui imperatoris vicẽ suppleret: adeò vt Fessa perpetuò totius Mauritaniæ atque totius Orientalis regni caput fuerit: vti copiosius à nobis, Deo fauente, eo cõpendio dicetur, quo Mahumeticas leges describemus. Sed plus satis hactenus à nobis cessatũ est, nunc ad id quod cœptum erat redeamus. Est in hac vrbe arx quædam munitissima, quæ si amplitudinem, si muros, si turres, si denique portas ex Tyburtino marmore exstructas videris, oppidum iure censeas. Templum habet altissima turri ornatissimum, in cuius fastigio luna, atque sub hac tres inæqualis magnitudinis sphęras aureas, quæ omnes.130. mille aureos pendent. Non defuerunt reges huic ciuitati, qui precio auri al-

lecti,ſphæras loco amouere conati ſint: ſed mirũ illis ſemper obtigit infortunium,quod conatum impediuit:adeò vt omen maxime ſiniſtrũ vulgò opinentur,ſi quis eas manu cõtrectare ſtuduerit. Quidam tali planetarũ influentia ibi poſitas affirmant, vt nullo artificio inde diſtrahi queant. Alij dæmonem quendam arte magica ad id coactum aſſerunt, vt contra omnes omnium impetus ſphæras loco ſeruet. Noſtro hoc æuo factum eſt,quòd Marocci princeps vulgi opinionem negligens,ſphæras auferre voluit,quò ſe contra Luſitanorum vim, qui tum in illum arma parabãt, tutum redderet: verùm non id permiſerũt ipſius aulæ purpurati,totius Marocci præcipua monumenta exiſtimãtes. Memini me apud quendam hiſtoriographum legiſſe, Manſoris vxorem condito à marito templo,quo & ſuum nomẽ apud poſteros notiſſimum redderet, ſphæras illas ex mũdo muliebri,quem à marito ſumptuoſiſſimũ acceperat conflatas,dediſſe. Habet & hæc arx nobiliſſimum quoddam collegium,cui triginta inſunt aulæ. Huius medio viſendæ amplitudinis quædam eſt,in qua publicè maximoq; apparatu prælegere ſolebant,dum adhuc apud illos literaria floreret Reſpub. Qui in hoc collegio recipiebantur, his victus dabatur atq; veſtitus. Profeſſorum alius centum, alius ducentos quotannis pro lectionis qualitate aureos accipiebat: neque quenquam prælectioni admittebant,qui nõ exactiſſimè calleret,quæ ad eam artem quam profitebatur,pertinere putabãt. Locus ornatiſſimus, parietes habet opere vermiculato elegantiſſimos,

eaq;

eaq; præsertim aula,in qua publicè semper prælegere solent. Omnes porticus, omnesque adeò conuexitates ex lapide depicto vitreoque compositi sunt,apud illos Ezzulleia dici solet,cuiusmodi adhuc apud Hispanos in vsu est.Huius structuræ medio egregius limpidusq; admodum est fons,cuius murus ex marmore candido atq; elaborato,quamuis humilis,quales ferè sunt qui in Africa inueniuntur. Audiui frequentem quondam hic fuisse discipulorum numerum, verùm meo tempore non plures quinque inueni: prælectorem nunc habent stupidissimum,atque ab omni humanitate alienissimum.

Ego cùm Marocci agerẽ,magna mihi erat cum quodam Iudæo,homine ditissimo atq; historiographo peritissimo,licet iurisperito frigidissimo, familiaritas atque notitia. Hic propter egregia quædam in suum principẽ cóllata officia, sensit in se quoque regis liberalitatem atq; munificentiam. Reliqui omnes, qui publico hic fungũtur munere,ingenio quantũ conijcere possum,infeliciori sunt atque obtuso. Habet præterea & eá arx vndecim,ni fallor,aut duodecim atria,maxima industria summaq; artis acuitate à quodam Mansore ædificata. Primum quosdam Christianos balistarios,numero ferè quingẽtos habebat, qui semper Regem quocunq; iret præcedebant. Huic illud proximum est,in quo se totidem sagittarij regij continere solent. Non procul hinc Cancellarij ædes sunt, illorumque qui principi sunt à secretis,quæ domus apud illos negociorũ locus appellari consueuit. Tertium victoriæ a-

trium

trium nuncupatur:in hoc totius vrbis arma atq; munimenta recondi solent. Quartum is occupa bat,qui equorum omnium curam gerebat. huic contigua tria sunt equorum stabula,quorum vnumquodque ducentis sufficere poterat equis. Sunt & præterea equilia duo, quorum hoc mulos, illud verò regios duntaxat centum ad minimum caperet equos. Stabulis adiuncta erant horrea duo,duobus à se inuicem distinctis locis. in inferiori stramen,in superiori hordeum reponebatur. Est præterea & alius recondendis frumētis locus spaciosissimus,adeò vt illorum quilibet modia trecenta capiat,aut eo plus. Huius tectum foramen habet,ad quod certis quibusdā ascenditur gradibus lapideis. Vbi iam iumenta frumentis onerata ad dictum peruenerunt foramen,dimensum illud per id foramen inijciunt. Quòd si rursum ab eo loco quid auferre velint, nihil aliud quàm inferiora quædam aperiunt foramina,per quæ quantum satis est frumenti,effluere sinunt,idq; nullo prorsus negocio aut labore. Est præterea & alia quædā aula,in qua regis filio cæterisque omnibus purpuratis prælegi solitū est. Reperias deinde egregium quoddam cōclaue quadrangulare,quibusdam circa ambulacris vitreis circunductū fenestris,in quibus variæ summo artificio sunt historiæ depictæ:armaria hîc visuntur multo auro micantia. Post hoc atrium est stipatorū quorundam,deinde & illud in quo de regni negociis,deq; Reipub.statu agebatur: cui adiunctum est & aliud, in quo legati consilium conferebant cū iis qui principi erant

à se-

à secretis. Habent & regis amicæ, cæteræq; principes fœminæ, suum quoque locum non aspernandum: huic contiguæ sunt & ædes, in quas regis filij sese recipere solent. Ea autē arcis parte quæ campos respicit, non procul à muro, spaciosissimum reperias hortum, in quo vllum vix arboris genus desiderare posses. Est præterea & porticus sumptuosa atque superba, ex marmore plusquam Tyburtino atque quadrato exstructa: cuius medio columna est quæ leonem marmoreum summo artificio exsculptum habet, è cuius ore aqua fluit limpidissima, quam ipsa porticus quodam receptaculo excipit: habet & quilibet huius porticus angulus ex marmore candido cō fectum leopardum, maculis à natura distinctum rotundis: huius marmoris genus nusquā præter in quodā Atlantis loco reperiri potest, qui à Marocco miliaribus circiter centū & quinquagintā situs est. Non procul ab horto sylua est, muris vndiquaque circunsepta: in hac nullum animalium aut ferarum genus deesse puto: hîc enim elephātes, leones, ceruos, capreolos, atq; id genus alia reperias: leones autem interstitio quodam à cæteris feris sunt discreti, vocaturq; is locus & in hunc vsq; diem, leonum mansiones. Quæ igitur Marocco relicta sunt antiquitatis monumenta, etsi numero exigua sint, fidē tamen facient, qualis ea Mansoris tempore ciuitas fuerit. Omnia hoc sæculo vacua sunt atria illa, iam antea à nobis depicta: nisi quòd fortasse principis muliones, quiq; equorum curam gerunt, atrium illud occupent, quod iamiam balistarios atque sagittarios

nos habuisse diximus: reliqua omnia auibus tan tummodo relicta sunt. Hortus ille, quem antea paradisum dixisses, nunc locus est in quo totius vrbis sordes colliguntur. Vbi quondam copiosa illa fuit bibliotheca, nunc tantùm gallinæ, columbæ, cæteræque id genus aues habitant, ibiq; nidos construunt. Certum est, illum de quo iam sæpe locuti sumus Mansorem, fuisse potentissimum principem: nam constat eum à Messa vsq; ad Tripolitanum Barbariæ regnũ imperasse, quę nobilissima & præstantissima est totius Africæ regio, adeò lata atque ampla, vt quis huius longi tudinem nonaginta vix diebus itinere conficere possit: latitudo autem itineris quindecim adminimum est dierum. Imperauit olim ille Mansor huic Hispaniæ regioni quæ Granata dicitur. itẽ habuit quæ à Tariffa ad Arragoniam extenduntur, cũ bona Castellæ atq; Portugalliæ portione. Neque solùm hic, sed & ipsius auus Abdul Mumen, pater Iosephus, hic Iacobus q Mansor fuit, tum & huius filius Mahumetes Enasir, qui victus in ea regione quã Venalza appellant, milites ami sit tam equites quàm pedites ad sexaginta millia hominum: ipse tamen saluus euasit, ac Maroccũ reuersus est. Christiani hac victoria superbi, non prius à bello destiterunt, q̃ triginta annorum spa cio hæc omnia oppida suis regnis adiecerint, Valentiã, Deniam, Alicantũ, Murciam, Çarthagenã, Cordubã, Hispalim, Iaen, & Vbedã. Infaustũ hoc illis gestum bellum, mox subsecuta est Marocci regni ruina. Reliquit Mahumetes ab obitu decẽ iam puectæ ætatis filios, inter quos variè de regni

im

imperio certatum. Hinc factum est, dum nihil inter fratres conuenire potuit, dumq; illi se mutuis infestarent bellis, cœpit Marinorũ populus Fessæ, cæterarumq; regionum adiacentium sibi id imperium vsurpare. Populus qui illis Habdul uad appellatur rerum Telensinarum potitus est, Tuneti verò principe ab hoc populo expulso, illi pro arbitrio alium instituerunt. Habes iam illorum exitum, qui Mansori relicti sunt successores. Deuolutum igitur est regnum ad quendam Iacobum Habdulach filium, qui primus fuit Marinorum rex. Tandem autẽ insigne illud oppidum ad summam deuenit calamitatem, perpetuis Arabum iniuriis obnoxiũ: tanta est rerum omnium vicissitudo. Quæ hic de Marocco scripsimus, partim vidimus ipsi, partim cùm ex historia cuiusdam Ibnu Abdul Malich, rerũ Maroccenarum historiographi accuratissimi, tum ex eo quod de rebus Mahumeticis compendio conscripsimus, desumpta sunt.

## *Agmettum oppidum.*

Distat à Marocco Agmettum miliaribus plus minus vigintiquatuor, ãnte aliquot sæcula ab Afris ædificatum oppidum in cuiusdam montis dorso, qui ab Atlante ferè principium habet. Familias quondá plus sexies mille numerabat, dum principẽ habuit Muachidinũ: populus erat sic satis ciuilis, tantaq; his erat omnium rerum affluentia atq; magnificẽtia, vt eam Marocco æqualem dicere quamplurimi non dubitauerint. Amœnissimos vtrinque habuit hortos, nec nõ & vitium magnam copiam, quarum nõ-

nõnullæ in ipſo monte,reliquæ in planicie erãt. Huic ſubterfluit flumen ſatis amplum,quod ex Atlante naſcẽs,tandem in Tenſiftum delabitur. Qui flumini adiacet ager,tantæ eſt fertilitatis vt ſatorum quinquagecuplum quotãnis proferre dicatur. huius aqua perpetuò alba,quanquam ſi quis flumẽ aſpiciat,Narniæ ſolum,aut etiam Nigrum Vmbriæ fluuium colore non male referre videatur. Nec deſunt qui id flumen Maroccum vſque fluere affirment,idq́; ſubterraneis quibuſdam ductibus,vt nuſquã ſeſe prodat niſi in loco quodam Marocco proximo,vbi tandẽ erumpere dicitur.Complures olim principes fuere,qui abſcõditi fluminis viam cognoſcere ſtudẽtes,quoſdam per eos ductus intromiſere, qui vt facilius viam reperirent, faces atque lucernas circunferebant. Hi vbi aliquãtò proceſſiſſent,ventorum tantam ſenſere procellam, quæ lumen extinxit, quæq́ue illos non ſine maximo vitę periculo repulſit, vt nunquam ſe tale quid ſenſiſſe affirmarent. Tum & hoc addunt,quòd flumen crebris ſcopulis interruptum, quos aqua nunc hac nũc illac pulſat,item quòd & ſcrobes atque gurgites non infrequentes tranſitũ impediant. Remanſit igitur in hunc vſq; diem res illa incognita, neq; iam quiſquam reperiri poteſt, qui tantum diſcrimen amplius aggredi audeat. Illud me apud quoſdam hiſtoriographos legiſſe memini, quòd is qui Maroccum condidit,cuiuſdam Aſtrologi vaticinio edoctus,fore vt ea regio perpetuo vexaretur bello, arte magica effeciſſe, vt id flumen omnibus ſemper remaneret incognitum: ne ſi

quis

quis in posterum hostis lædere vellet,non posset huius cursum adimere ciuitati.Huic flumini vicina est via illa publica,quæ vltra Atlantē ad Guzulam Marocci regionem ducit.Verùm hæc ciuitas cuius iam descriptionem habuistis,nullos omnino præter lupos, vulpes, ceruos, & id genus animātia,incolas habet.Nisi quòd cùm illac forte iter facerem,heremitam quendam inueni,qui centum secum ducebat suæ vitæ sectatores: hi omnes equos habebant maximè habiles, studebantq; imperiū exercere,verùm non illis suppetebat facultas. Apud hūc decem,ni fallor,diebus cōmoratus sum,inueniq; inter huius discipulos quendam,quo cum ab ipsa adolescētia maxima fuerat familiaritas: nos enim aliquot annos Fessę vnà studueramus, & cùm eiusdem ferè essemus eruditionis,eum Theologiæ librum audiuimus, qui Epistola Nensefi illis nuncupari solet.

¶ *Hannimea oppidum.*

EST in eo Atlantis dorso quod planiciem respicit,oppidulum quoddam,quod Hannimea illis appellatur, à Marocco circiter quadraginta distat passuum millib⁹ Orientē versus: hac ex ea Atlantis parte Fessam proficiscentibus iter patet.Hoc oppidum Agmet fluuius ad miliaria ferè quindecim præterfluit: ager autem inter eum fluuium & ipsum oppidulum feracissimus, quemadmodum & ille quem Agmeto adiacere modò scripsimus.Ea regio quæ inter Maroccū & fluuium hunc continetur,Marocci principi paret: à fluuio autem ad Hannimeam, sub ditione Hannimeorū est. Habuit hoc oppidum

egre-

egregium quendam Ducem ætate iuuenili, qui continuum gerebat cum Marocci principe, interdum etiam & cum Arabibus bellum. Amplissimam habuit & in Atlante ditionem, ingenium illi liberale atque strennuum: vix decimum sextum egressus annũ, auunculum interfecit, sibiq; illius imperium vsurpauit. Mox vbi id Arabes resciuerunt, numeroso suo exercitui trecentos equites Christianos, qui è Lusitania venerát, adiungunt: ac ex improuiso ad portam vsque ciuitatis exercitum educunt. Princeps verò cum suo exercitu, cui vix centum intererant equites, pedites perpauci, hostib. occurrit, ac eo animo pugnauit, vt Arabum bonam partem interfecerit: Christianos item in hunc modum fudit, vt nõ putem ex iis quenquã in Portugalliam rediisse, quod eam ob causam illis euenisse volunt, quòd Christiani neque regionem, neque illorum bellandi nouerant modum. hæc gesta sunt Anno 920. Christi verò. 1511. Posthæc & à Fessæ rege bello fatigatus (hic sibi ab Hannimeis tributum exsolui volebat) bombardæ ictu cecidit: quare & oppidulum regi Fessæ tributarium remansit. Quin & defuncti principis vxor regi aliquot nobiles captiuos in manum dedit. Rex verò postq̃ ducem quẽdam instituisset, qui suas vices apud Hannimeos gereret, vrbem reliquit Anno. 921. à Christo autem nato M. D. XII.

## ¶ *Mons Nififa.*

ENumeratis hactenus omnibus Marocci ciuitatibus, superest nunc, vt & montium summo quod fieri poterit compendio, sitũ atq;

atq; naturam explicemus. Exordium igitur sumemus à monte Nifisa, vnde ex Occidente principium sumit Maroccorum regio, quiq; Maroccum ab Hea diuidit. Incolarum hîc maxima est copia: huius mõtis iugum etsi perpetuas habeat niues, hordei tamen maximã producit quotannis affluentiam. Agrestissimum hoc hominum genus tam ab omni humanitate atque morum ciuilitate est alienum, vt non exteros modò, verùm & exterorum vestitum maximè mirentur. Ego biduo tantùm apud hos mansi, quo omnes totius oppidi ciues ad me confluxere, neque poterant satis vestem mirari, quæ candida erat, vti solent ferè nostrates incedere, qui literas profitentur, eam quisq; manibus contrectare gestiebat, adeò vt quę antea cãdida erat, intra biduum atra sit facta atq; sordidissima. Hic ciuem quendam inueni, qui rei nouitate allectus, non prius à rogãdo quieuit, quàm illi ensem meum, quem Fessæ sesquiaureo emeram, illius equo commutassem, quem plusquã decem emptum affirmabat. Id ex eo facile euenire existimarim, quòd nunquam neque Fessam, neque alias adeant ciuitates. Neque si maximè velint, non auderent tamen se publicæ cõmittere viæ, propter prędonũ atq; latronum frequentes impetus. Maxima illis mellis, caprarum, atq; olei arganici copia est: nam ab hac regione illud oleum in vsu esse incipit.

¶ *Semede mons.*

A Nifisæ terminis initium habet & alius quidam mõs, qui illis Semede appellari solet: hos duos diuidit fluuius Sessaua:

extendit sese Semede ad orientem Solem per viginti ferè miliaria. huius incolæ vilioris sunt cõditonis,ingenijq́ue hebetissimi. Magna hîc fontium vbiq; copia est,perpetua nix,nulla lex,nullusq; prorsus ciuilitatis aut probitatis cultus,nisi fortassè aduenæ cuiusdam sequantur consilium, si viderint aliquam præseferre modestiam . Hîc ego à quodam illius gentis religioso (is plurimi inter suos habebatur) exceptus,iisdem cibis vescendum fuit,quibus solent illi,hoc est,hordei farina calida commixta aqua,tum & additæ erant caprinæ carnes,quæ duriçie ipsa magnam præseferebant ætatem. A cœna,nullus omnino datus est lectus,præter nudam terrã. Postridie vbi iam equitationi summo mane me parauerã , me isthinc discedere volenti circuncingunt plusquã quinquaginta incolæ: horum mox quilibet suas causas enumerare cœpit,non aliter ac solent corã iudice nostrates. Quibus ego me illius regionis mores nunq̃ neq; sciuisse neq; audiuisse,respõdi. Mox se nobilis quidam magnique nominis vir obtulit,qui apud eos id esse moris affirmauit,vt nullum à se exterum discedere patiantur, quin prius omnes incolarũ lites & audierit & optimè diffinierit. vix ille hęc dixerat,cùm mihi equum ademptũ vidi: quare per nouem dies totidemq; noctes,illius regionis penuriam, ne dicam miseriam, mihi ferendum fuit. Accessit hoc & meæ molestiæ,quòd in tanta tamq; varia negociorum turba, nullus fuit qui vel verbum scribere,aut adnotare nouerat: quare mihi & iudicis & scribę fuit obeundum munus. Vbi iam octauus dies

nobis fuit transactus, egregium oẽs impoſterum munus polliciti ſunt. Ea nox totus viſus eſt mihi annus: ſperabam me poſtridie ingentem aureorũ ſummam à montanis recepturum. Poſtquã iam dies ſequẽs illuceſcere cœpiſſet, ſub quadam templi porticu me cõſtituunt: hîc finita quadam de more oratiuncula, quilibet ſuum munus ſumma cum reuerentia attulit. Hîc gallum dono adferebat, ille nuces aut cœpas, nonnulli & allij manipulum offerebant. Qui nobiliores videri cupiebant, hircum adducebant: atqui cùm nullas habeat hic mons pecunias, nemo fuit qui pro muneribus vel obulum numerare poſſet: quare hæc omnia meo hoſpiti pro egregio reliqui hoſpitio. Hæc inſignis illa fuit tantorum laborum remuneratio: quibus omnibus peractis, quinquaginta mihi inde proficiſcenti adiungunt milites, qui viam alioqui periculoſam, ſecuram reddiderunt, atque à latronum inſidiis tutam.

## ¶ *Mons Seuſaua.*

SVmit hic mons à Semede initium, producitq; de ſe riuulum, qui à monte ceu à progenitore ſibi nomen accepiſſe creditur. Nunquam huic niues deeſſe quiſquam vidit. Incolæ beluino prorſus viuũt more: perpetuum illis cum vicinis geritur bellum: qua in re neque gladiis, neque haſtis, neque aliis omnino inſtrumentis, præterquam funda vtuntur, qua lapides mirum in modum emittere ſolent. Horũ victus hordeum & mel, quibus inſuper carnes addunt caprinas. Innumeri in hoc monte reperiuntur Iudæi, qui artem exercent fabrilem, conficiunt

& hi ſapam,falces,& calces equinos. Multi item hîc inueniuntur cementarij. Nõn ex alia materia,quàm ex crudo lapide atque creta muri apud hos conſtrui ſolent, quibus tandem culmen ex palea addi conſueuit: neque aliud habent calcis aut laterum genus. Ex huiuſmodi materia ædificatæ ſunt domus omnes,quas iam dicti mõtes habent. Magna hîc doctiſſimorum & legiſperitorum copia, quorum ſemper vtuntur conſilio. Inter hos nonnullos repperi, qui mihi in ſtudiis literariis Feſſę commilitones aliquando fuerant: quique propter veterem illam inter nos amicitiam, magnificè me exceperunt: & quò tutior eſſem à latronum iniuria,bonam itineris partem comitati ſunt.

¶ *Secſiua mons.*

NIhil fere in hoc monte altiſſimo atque frigidiſſimo, præter ſyluas niueſq; perpetuas reperiri poteſt.Incolæ pileos can didos geſtare ſolent: eſtq; maxima illis fontium copia. Ab hoc ſcaturiginẽ habet fluuius ille, qui Aſifinual à nobis antea dictus eſt. Altiſſima hîc paſſim inueniuntur antra, quibus illi per totos tres mẽſes, Nouembrẽ,Decembrẽ,& Ianuarium pecus introcludere ſolent, pabulumq; quantum ſufficere putant,fœnum,ac frondes quarundam arborum apponũt. Victus illis ex proximis aduehitur montibus, cùm nihil frugum id ſolum gignat: niſi fortè Veris & Æſtatis temporibus, lactis, caſei recentis, & butyri bonam habeant affluentiam. Senectus illis in annũ nonageſimũ, aut etiam centeſimum,nonnunquã vegetiſſima

atque

atque robuſtiſſima agitur. Pecus ad extremum vſque vitæ diem cogunt, neq; vnquam aut raro exteros vident. Nullos omnino calceos, præter ſoleas quaſdam,quò pedis planta tueatur,gerũt: tum & cruribus pannum quendam ſeu faſciam crurulem addunt, vt à niuis iniuria aliquantò ſint tutiores. ¶ *Temnella.*

ALtiſſimus ſimul & frigidiſſimus hic mõs, incolas vndique permultos habet: huius vertex oppidum habet,quod à monte nomen accepit. ciuium item maxima hîc copia: egregium quoque atque ampliſſimũ templum viſitur. Riuulum habent amœniſſimum atque limpidiſſimũ. Eſt illud oppidum Elmahdi concionatoris quondam diſertiſſimi,nec non & huius diſcipuli Abdul Mumen monumẽtis nobile. Incolæ etſi ab omnib. pro hæreticis habeantur, nulla tamen eruditio,quam ſibi nõ arrogare audeant: idq́ue eò fortaſſe, quòd Elmahdi ſcripta (qui tamẽ & hæreticorum dux fuit) ad vnguem teneant: adeò vt ſi quem ad ſe exterum veniſſe ſciant,mox hunc ad literarium certamen prouocent. Pannoſi admodum incedunt, idq́; eam ob cauſam,quòd nullos apud ſe habeant veſtiarios. Reſpublica beluino illis regitur modo,quanquã ſacerdotem habent, qui hanc reſtituere ſuo conſilio maximè ſtudet. Horum victus panis hordeaceus & oleum oliuarũ: magna item illis nucũ atque pinorum copia eſt.

¶ *Mons Gedmeua.*

GEdmeua à monte Semmeda ad Occidentale latus principium habet, ꝓtrahiturq́;

Orientẽ versus per miliaria ferè viginti & quinque, adeò vt regioni Mizmizi contiguus sit. Incolæ omnes rustici, miseri, inedia vexati, Arabib. subditi, eò quòd iis campis vicini sint, q ex Meridie mõti Tenmellæ opponitur. In huius dorso innumeræ proueniunt oliuæ, ager hordeo fertilissimus, spaciosa in montis iugo nemora, fontes item producunt quamplurimos.

### ¶ *Hanteta mons.*

NVsquam me, quòd sciam, excelsiorẽ vidisse puto montẽ, quàm eum qui Hanteta illis appellari consueuit. Ex Occidente principium sumit à Gedmeua, extenditq; sese Orientẽ versus per quadraginta quinq; ferè miliaria, ad eum vsq; montem, quem Adimmei antea diximus. Huius accolæ validi, ditissimi, & equorum numero copiosissimi. Est & hic arx quædam munitissima, quæ à quodam nunc nobili possidetur, quem Marocci principi affinitate iunctum volunt: perpetuum tamen inter hos geritur bellum, idq; propter quosdam agros inter horum ditiones sitos. Multi hîc Iudæi habitant, quorum quilibet suam exercet artem. numerantq; huius montis principi ingentem quotannis auri vim. Quod ad fidem attinet, eorum potissimum sententiam sequuntur, qui Carrain sunt nuncupati. Perpetua in huius summitate nix est. ego cùm primũ hunc montem vidi, nubes propter incredibilem altitudinem arbitratus sum. huius costæ herbis atque arboribus planè destitutę, loca habet complurima vnde marmor egregie candidum effodere possent, nisi illorum

cùm

cùm ignauia, tum & poliendi ac effodiendi inſcitia in cauſa eſſet. Innumeræ hic columnæ atque epiſtylia, quæ ſummo artificio confecta curauerunt præpotentes illi principes, quorum antea non vno loco nomina ſcripſimus: decreuerat autem iis in conſtruendis fontibus vti, ni belli iniuria inſtitutum interrupiſſet. Vidi & apud hos rerum memorabilium maximam copiam, quorum nulla hoc loco fiet repetitio, partim quòd memoria exciderint, partim etiam quòd ab huiuſmodi minutulis ad ſeriora progredi ſtatuerimus, ne quid lectori ſimus plus ſatis moleſti.

## ¶ *Adimmei mons.*

AB Hanteta ex Occidente initium habet & alius quidam mirandæ magnitudinis atq; altitudinis mons, quẽ illi Adimmei vocitare ſolent, porrigitq; ſeſe Orientem verſus ad fluuium vſq; Teſeutum. In hoc ſita eſt ea ciuitas, cuius principem in prælio cum Feſſę Rege inito, cecidiſſe diximus. Maximus huic monti incolarum numerus, ſyluæ frequentiſſimæ, quæ iuglandes, oliuas atq; mala cotonea producunt. hîc homines inhabitant validiſſimi, animalia omnium generum poſſident, eſt enim mira illius aëris temperies, maximaq; agri fœcunditas. Innumeri ferè fontes, item & duo flumina ex hoc monte ſcaturiunt, quorũ copioſior fiet ſuo loco deſcriptio. Enumeratis igitur omnib. Marocci ciuitatibus ac montibus, hoc eſt iis locis quę Atlanti ex Meridie adiacent, nunc montem traijciamus, eamq́ue regionem deſcribamus oportet, quæ vltra Atlanta Marocco è regione ſita eſt,

Guzzulam vulgò dicunt.

¶ *Guzzula Regio.*

EST regiò hæc incolis ditiſſima, ex Occidente Ildæ Suſæ monti confinis: ex Septentrione Atlanti contigua, ad orientem verò Solem Heæ vicina eſt regioni. Incolæ feri, pecuniarũ egentiſſimi, pecudum verò atq; hordei copioſiſſimi. Maxima hîc effoditur æris atq; ferri copia, conficiunturq; apud illos ænea vaſa, quæ ad alias ſolent deuehi nationes: hæc panno, telæ, equis aliiſq; id genus mercimoniis illorum regioni neceſſariis, cõmutant. Nullum hîc neq; oppidum, neq; caſtrum inuenitur, quod aliquo ſit muro cinctum: pagos habent latiſſimos atq; ditiſſimos, quorũ multi familias plus mille enumerant. Nullus illis rex eſt neque dux, qui leges præſcribat: ſibi hîc quiſque dux eſt atque imperator, hinc fit quòd perpetuum inter illos ſit bellum, neque vnquam diutius illis ſunt induciæ, quàm tribus qualibet ſeptimana diebus, quibus liberè ac tutò illis licet vel cum hoſte mercaturã exercere, atque quocunq; velint locorum proficiſci. Verùm his tranſactis, ingentẽ quotidie ſtragem inter ſceleſtiſſimos huius regionis nebulones reperias. Inducias illis quidam heremita inſtituit, quem illi ceu numen quoddam venerabantur. hunc ego monoculum vidi, fidum tamẽ, ſyncerum, humanum, atq; modis omnibus liberalem. Veſtitus illis ſubucula eſt ex lana confecta, ſtrictiſſima & ſine manicis. Pugiones circunferunt incuruos, latos atq; ancipites: gladij verò iis perſimiles, quales illi qui in Hea inueniuntur.

Se-

Semel in anno apud hos sunt nūdinæ,q̃ duobus durant mensibus: hoc tempore omnib⁹ victum gratis præbent,qui apud illos aut merces attulerunt, aut illuc merces euehendi causa venerunt, quantumuis etiam magnum habeant mercatorum numerum educandum. Vbi illis nundinarū appetit tempus, mox inducias ineunt,ac subito quælibet pars suum creat ducem,qui cum centū peditibus nundinarū fidem ab omni nebulonū incursione atq; iniuria sanctam tueatur. Si quid peccatur,mox in reum à ducibus animaduertitur:quòd si quisquam fuerit furto deprehensus, ille continuò non aliter ac si brutum esset interficitur:interfecti verò furis cadauer canibus ac feris dilaniandum relinquunt. Celebrantur nundinæ in quadam planicie,quæ inter montes sita est: merces omnes intra tentoria continentur,& in tuguriolis ex frondibus cōpositis,sic vt quodlibet mercaturæ genus suum habeat ab aliis secretum locum.qui armenta habent venalia,procul à tentoriis sunt semoti. Habet & quodlibet tentorium suum ex frondibus compositum tuguriolum,in quo se magnates atque nobiles recipere solent. Hic exteris mercatoribus mensa sternitur, victus vt iam diximus gratis ministratur. Sunt & quidam inter eos,qui eduliorum curam gerunt,quiq; aduenis optimè de cibis prouidere solent. Et quāuis ingens hac in causa insumatur pecunia,id tamen multo cum fœnore ad illos redit:illuc enim omnes illius regionis mercatores ad mercatū confluere solent, tum & è Nigritarū regione huc proficiscuntur nō pauci,qui copiosis-

ſiſſimos ſecum adferunt omnium mercium cumulos. Et quanuis craſſiſſimũ illis ſit ingenium, mira tamen in conſeruandis nundinis induſtria eſt: quarũ initium eſt, eodem ipſo die quo natus fuit magnus ille Mahumetes, hoc eſt. 12. die menſis Rabih, qui tertius eſt anni Haraba, vt illi numerãt. Interfuimus & nos vna cum Seripho his nundinis p. 15. dies anno. 920. hoc eſt Chriſti. 1511.

*¶ Duccalæ regionis ſuccincta deſcriptio.*

SVmit hæc regio ſuum ex Occidente à Tenſifto principium, terminatur ad Septentrionem mari Oceano, ex Meridie flumine Habid clauditur, atq; ad Occidentem ſolem fluuio Hammirabih finitur. Huius longitudo iter eſt trium dierum, latitudo verò plus minus duorũ. Incolis hæc eſt frequentiſſima: populum habet admodum rudem, ciuilitatis atque humanitatis plus ſatis ignarum. Paucas habet ciuitates muris cinctas, de quibus omnibus ſuo dicetur loco, neque quicquam quod memoria dignum videbitur, diis fauentibus, omittemus.

*¶ Azafi oppidum.*

IN eodem Oceani littore ab Afris exſtructum, familias numerat quater mille: incolarũ maxima frequentia: ciuilitatis autem atque humanitatis mira illis raritas eſt. Quamplurimos olim habuit Iudæos, qui & varias exercebant artes. Ager illis ſupra modum fertilis, ſed tanta eſt ingenij ruditas atque ignauia, vt neque colendi, neque ſerendi, neque vites plantandi artem calleant: niſi forſan qui ingenioſiores videri volunt, hortulis neſcio quid olerum inſerant. Poſtquam

Ma-

Marocci reges huius reliquerũt imperium,cœpit ea ciuitas à quibuſdam occupari,qui ex Farchon originem traxiſſe dicebantur.Noſtris aũt temporibus hæc imperio cuiuſdam principis paruit, qui Hebdurrahmã dictus fuit. Hic regnandi auiditate adactus,auúculum interfecerat:poſt cuius mortem aliquot annis oppido imperauit.Filiam habuit forma præcellentẽ,quæ amore cuiuſdam aulici capta (Hali vocabãt,eratq; cuiuſdam Gneſimeni filius ) opera matris ac ancillæ ſæpenumerò cum amatore rem habuit. Pater vbi rem reſciuit, vxorem obiurgauit, ac mortem ni filiæ mores corrigeret, minatus eſt: poſtea verò furorem diſſimulauit. At quoniam mater probè mariti animum nouerat,filiæ amatori nunciauit,q̃ non eſſet regi fidendum,proinde ſibi cauendum eſſe. Hali verò metuens ne quid ſibi mali inferri poſſet,ipſe de interficiendo rege cogitare cœpit, ac ſuæ coniurationis ſibi ſocium adiungit,quem à pueris & fidum & maximè familiarẽ habuerat, eratq; & ille quorundam peditum dux.Vbi iam vtriq; idem eſſet erga ſuum regem animus,nihil illi aliud quàm ſuæ conſpirationis locum atque opportunitatem exſpectabant. Rex contrà, ſui inſtituti quantum poterat anſam quærens, Hali quodam feſto die renunciari iuſſit,ſe finita concione cum eo deambulare velle: ac locum indicat in quo collecto ſatellitio eum interficere ſtatuerat:poſthæc templum adiit. Hali porrò non nihil mali ſuſpicans,conſodali indicat iam tempus adeſſe,quo,quicquid illis in animo erat,peragendum eſſet.Id mox & aliis decem familiarib.

ex-

exponunt,quod animo conceperant:ac vt res omnino secura atque rata euaderet, ingenté mox colligunt peditum copiam,quam postridie se in Asamurum missuros fingebant,vt si fugiendum esset, mox haberent in promptu,vnde auxilium peterent. Postquam iam quisq; probè armis instructus esset,ea ipsa hora templum adeunt,qua rex vix intrauerat cum suis,ac se concionatori q̃ proximè iunxerat. Templum auditoribus plenum,rex circũ se suam habebat custodiam, quæ quoniam sciebant hos iuuenes principi admodum notos atque familiares, noluerũt accessum illis impedire, nihil enim mali suspicabantur. Iuuenum igitur alter quasi salutaturus regem,à fronte sese obtulit: Hali verò, à tergo se ingerit, ac pugione transfodit: alter eodem momẽto gladio quoque regem transfixit,adeò miser ille animam cum multo sanguine exspirauit. Regij milites coniuratos apprehendere conati sunt,sed ab aliis viribus superati,tum etiam eam esse populi coniurationem suspicati,fuga salutem sibi quæsierunt. Id quoque & alij omnes sequuti, ita vt soli remanserunt,qui huius coniurationis fuerãt autores. Hi etiam mox in publicum prodierũt, ac populo multis verbis persuaserunt, eam ob causam regem interfectum, quòd & sibi,& vniuerso populo exitium fuerat machinatus. Ciues plus satis creduli,hos duos in regnũ admiserunt: verùm non diu inter illos de regni imperio conuenire potuit,quin mox variè huc atq; illuc,nũc ab hoc,nunc ab illo coacta fuit illorum Respub. Quare mercatores Lusitani,quorũ maxima semper

per in ea ciuitate erat còpia, suo regi rescripserũt, vt exercitum mox ad eam vrbem mitteret: nam illi fore sperabant, vt facillimè minimoq; negocio eam in suam redigeret deditionem. Rex verò nihil hoc nuncio commotus, nullas omnino colligere copias voluit, quàm prius à mercatoribus audiuisset, interfecto ciuitatis rege, multa esse inter coniuratos dissidia. Tum etiam quòd huiusmodi pactum cum quodam alterius partis duce inierant, vt nihil ferè in deuincendo oppido laboris insumendum esset. Illis enim arx quædam munitissima in ipso maris littore erat exstructa, qua in tuto illorum seruarentur mercimonia. Persuaserant nanq; Lusitani, quòd dum magnus ille tumultus propter regẽ interfectum irrepserat inter ciues, non procul abfuerat, quin & vita & bonis omnibus destituerentur. In hanc arcem bombardas, ac oĩum generum bellica instrumẽta intra olei vasa atq; mercibus obuoluta deuehi curauerunt: ciues autem rerum ignari, nihil præter debitum pro mercibus tributum exegerunt. Postquam iam abundè sibi de machinis bellicis atque armis prouisum viderunt Lusitani, omnibus modis ansam cum ciuibus pugnãdi quærere cœperunt. Tandem eò res rediit, Seruus quidam Lusitanus cùm carnes emeret, lanionem ad tantam concitauit iram, vt post multas lites, Lusitanus pugno læsus, lanionẽ gladio transfoderit, eumq; humo strauit, ac mox arcem petiit quam mercatores occupare sciebat. Mox populus ad arma confugit: arcem eo omnes animo adeunt, vt hanc euertant, omnesque quotquot erant iugulent,

gulent. At quæ tum erãt paratæ bombardæ atq; balistæ, in ciues mirum in modum sæuire cœperunt: quę res multum terroris attulisse, nemo est qui dubitet. Ceciderũt primo hoc instanti plusquam centum & quinquaginta ciues, nõ tamen propterea à bello destiterũt reliqui, quin arcem crebris indies oppugnationibus vexarent. Tandem à Portugalliæ rege auxiliares missæ sunt copiæ, bombardarũ magna copia, peditum. 5000. equitum verò. 200. Quos vbi aduentare ciues viderunt, mox se in pedes coniecerunt, ac ad montem Benimegher confugerunt: neque illorum quisquam manere ausus fuit, præterquam qui exstruendæ arcis autor fuerat. Ita factum est, vt Lusitanorũ exercitus minimo negocio eam sibi vrbẽ occupauerit. Posthæc totius exercitus dux arcis conditorem ad se accersi iussit, illumq; ad Portugalliæ Regẽ misit. Rex verò hunc cum aliquo satellitum numero Azafin remisit, atque totius circumiacentis regionis gubernatorem instituit. Lusitanus enim non illorum ritum nouerat, neq; quopacto administranda esset illorũ Resp. didicerat. Subitò subsecuta est non ciuitatis modò, verum & totius regionis miseranda ruina. Nos aliquantò prolixiores hac in re æquum fuit, vt quid posset mulier, quidque mali secũ adferrent dissidia, doceremus. Ego cùm hæc agerentur, annũ agebam, ni fallor, decimũ: anno verò ætatis decimoquarto iam dicto duci me loquutum fuisse memini. Hic cùm exercitu quingentorum equitum Lusitanorum, Arabum verò equitum plus. 12000. Marocci Regem aggressus,

Portugallię Regi totam eam recuperauit prouinciam anno .920. vti in nostro compendio fusius atque copiosius dicetur.

*Conta Duccalæ oppidulum.*

AB Azafi miliaribus plus minus viginti situm est, à Gotthis iis temporibus, quib9 eam regionem occupabant, exstructum volunt: nunc autem deletum est prorsus: huius tamen ager imperio quorundam Arabum paret, qui Duccalam inhabitant.

*Tit eiusdem regionis ciuitas.*

ANtiquissima hęc ciuitas ab Azemuro miliaribus ferè viginti quatuor sita est, ab Afris quondam in ripa Oceani condita. Spaciosos habet agros, qui frugum fertilitate nó immeritò laudari debēt. Huius incolæ crassiori sunt ingenio atque infelici, neq; hortorum, neq; ciuilitatis vlla illis cura est. Vestitus aliquo modo ferendus: solent enim illi maximum semper habere cum Lusitanis cōmercium. Eo tempore quo subactum fuit Azemurum, hæc quoque ciuitas se in deditionē Regij ducis coniecit, exsoluitq; Regi per aliquot annos tributum. Nostro tempore conatus est Fessæ Rex regioni Duccalę subuenire, verùm ea re non fœliciter illi cedente, Christianum quendam, qui regi fuerat à thesauris, cum Iudæo suspendi iussit. Quos secum habebat socios, Fessam adduxit, illisque regiunculam quandam inhabitandam dedit, quæ incolis nuda erat, hæc à Fessa .12. distabat miliaribus.

*Elmedina Duccalæ vrbs celeberrima.*

El-

ELmedina ꝓpemodũ illius regionis caput, viliorib. quibuſdam ad regionis modum cincta muris. Incolæ quemadmodum ingenio,ita & veſtitu planè ſunt inculto:pannum gerunt qui apud illos confici conſueuit. Horum mulieres argentea habent ornamenta: viri validiſſimi, equorum magnam habent affluentiam. Hi à Feſſæ rege regno pulſi ſunt, eò quòd nonnullam hic de Luſitanis opinionem animo conceperat. Audierat enim quendam illius regionis ducem ſuis ſubditis conſilium dediſſe, vt Portugalliæ regi tributa exſoluerent. Hunc ego miſerum nudis pedibus captiuum abducere vidi: neque potui ſanè lachrimas tenere,cùm coactus non perfidia hæc fecerat. Duxerat enim vir bonus,multò ſatius eſſe Luſitano nonnihil cenſus exſoluere,quàm ſimul cum omnibus facultatib. vitam amittere. Huius liberandi cauſa permulti proceres ſummã adhibuerunt diligentiam: tandem ingenti nummorum ſumma adnumerata, in priſtinam rediit libertatem.Pòſt verò remanſit ea vrbs habitatoribus orba,idq; Anno.921.

¶ *Centum putei Duccalæ oppidum.*

EST in colle quodam qui ex Tyburtino eſt marmore oppidulum conditum,quod in ſuburbano multa habet antra, in quibus ſuum recondere frumentum ſolent: quod illic adeò integrum atque ſanum ſeruabatur, vt vel centum annis perdurare poſſet,nullo prorſus cõtracto fœtore aut corruptione.A multitudine aũt antrorum,puteorum formam referentium,is locus Centum putei appellari cœpit. Illius incolæ

nul

nullius aut exigui admodum sunt nominis, nullos præter Iudæos quosdã habent artifices. Cùm Fessæ Rex Elmadinę inhabitatores in suam coëgisset regionem, conatus est & hos quoque illuc ducere: verùm illi loci mutationem recusantes, maluerunt ad Azafi ditionem confugere, quàm patriam deserere exoptatissimam. Id vbi ad Regem peruenit, mox id oppidulum depopulari iussit, in quo nihil præter frumentum, mel, & res quasdam minimi potuit inuenire momenti.

### ¶ *Subeita eiusdem regionis oppidum.*

SVbeita angustum est oppidulum in ripa fluminis Ommirabih exstructum à Meridie. Distat ab Elmadina miliaribus plus minus quadraginta, atq; imperio Arabum quorundam qui in Duccala habitant, parere dicunt. Frugum atq; mellis maxima illis est affluentia: sed ea est illorũ cùm ignorantia tum ignauia, vt neq; hortum, neq; vineam vllam hîc quis reperire possit. Eo tempore quo deuicta fuit Bulahuan, Rex Fessæ hos omnes in suam coegit prouinciam, illisq; plagam quandã antea nunquam habitatã dedit, quæ Fessæ cõfinis erat: Subeita verò, deserta atq; incolis vacua in hunc vsq; diem remansit.

### ¶ *Temeracostum.*

HAbet & Duccala angustissimũ quoddam oppidulum ad flumen ferè Ommirabih, ab eodem exstructum qui Maroccũ condiderat, vnde & nomen sibi vsurpasse creditur. Incolis ditissimum familias numerat plusquam quadringentas. Illud quondã sub Azemuris fuit, sed deleto à Lusitanis Azemuro, periit & hoc op

pidulum,populus verò se Elmadinam contulit.

¶ *Terga.*

SItum est & ad ripam fluminis Ommirabih oppidulum, quod Terga illis appellari solet,ab Azemuro miliarib.plus minus triginta distat: maxima hîc populi confluentia, focos numerat circiter trecentos. Hæc quondam Duccalæ incolis paruit, sed exciso Azafite, Hali qui in Lusitanos exercitum duxerat,per aliquot dies hoc oppidulum cum suo exercitu tenuit.Postea verò à Fessæ rege eiectus est, remansitque oppidulum desertum : adeò vt nihil ab eo tempore præter noctuas,ac huiusmodi auiculas in ea reperire potuisses.

¶ *Bulachuan.*

EST & hoc oppidulum in ripa fluminis Ommirabih exstructum, familias supputat circiter quingentas : habuit olim incolas nobiles atq; præclaros, & præsertim eo vico qui flumini adiacet,quiq; ad Marocci regnum ducit. In hac vrbe egregium condiderunt hospitium, quod & multas habuit mãsiones: hîc quotquot illac prætereunt peregrini,magnificè excipi solent,atque cõmuni totius oppidi sumptu asymboli dimitti. Ditissimi hîc sunt incolæ, frugum atque pecudum opulentissimi.Nullus ferè ciuis, qui non centum possideat boum iuga: horum præterea sunt qui duo milia,sunt & qui tria milia frugum mensurarũ quotannis colligãt: indeq; Arabes tantum frumenti euehunt, quantum totius anni necessitatib.satis esse putant.Anno.919. misit Fessæ rex fratrem,qui Duccalæ regionẽ &

re-

regeret & tueretur, qui cùm ad hoc oppidũ perueniſſet,à quibuſdam illi nunciatum eſt,principem Azemuri cum exercitu copioſo eo animo huc aduentare,vt vrbe exciſa,ciues omnes captiuos abduceret. Quare mox duos ad id oppidulũ duces cum .2000. equitibus,ac .800. ſagittariis miſit. Eadem autem hora qua hi ad vrbem venerunt,Luſitanos quoque milites cum.2000.Arabibus illuc appuliſſe ſenſerunt:à quibus,eò quòd militum numero eſſent multò inferiores,miſerè fuerunt trucidati,adeò vt ſagittariorũ qui à Feſſa venerant vix duodecim ad montes proximos cũ equitibus confugere potuerint.Poſtea tamen Arabes ad prælium redierunt,ac interfectis ex Luſitanis pluſquam centum & quinquaginta equitibus, hoſtes in fugam redegerunt. Deinde regis frater Duccalam peruenit,ac tributa ſibi à populo exſolui iuſſit, pollicitus ſe ad extremum vitæ diem hoſtes repulſurum. Poſthæc viribus ſuperatus,coactus fuit Feſſam redire ad fratrem. Populus verò vbi vidit regis fratrem tributa recepiſſe, neq; quicquam ipſius aduentum illis profuiſſe,mox oppido relicto ad Tedletis promontorium confugerunt: timebant enim, ne ſi Luſitani quoque cum exercitu aduentarent,multò maiorem exigerent argenti ſummam, quam qui non ilico exſoluerent,captiui abducerentur. His omnibus ipſe interfui, atque vidi ſtragem illam quam dixi ſagittariorũ : ab his nanq; ad integrũ ferè miliare aberam, eratq; mihi equus velociſſimus.Tum temporis mihi Maroccum iter erat, miſſus à Feſſæ principe, vt Marocci regi atq; Se-

ripho indicarem, iam Duccalam mox venturum regis fratrem: proinde illi milites pararent, quò facilius Lusitanorum resisterent exercitui.

¶ *Azaamurum.*

AZaamurũ Duccalæ oppidum Afris conditoribus ad Oceani littus eo ipso loco, quo flumen Ommirabih initium habet, exstructum: ab Elmadina miliaribus ex Meridie plus minus triginta distat. Spatiosum est atque amplissimum, habitatorib. copiosissimum, familias numerat circiter quinquies mille. Hanc perpetuò Lusitani mercatores inhabitant. Incolas habet ciuiles, habituque admodum ornatos. Populus in duas diuisus est partes, & tamen perpetua illis pax est. Frugum atque leguminum maxima illis prouenit copia, etsi nihil quicq̃ horti præter ficus producant. Piscium his tanta est affluentia, vt inde singulis annis aureorũ aliquãdo sexies mille, nonnunquam & septies mille prouentus redeat. Piscandi autem tempus ab Octobri mense, ad finem vsq; Aprilis est. Solent pisces in sartagine cũ aliqua olei portione frigere, atq; inde tantum pinguedinis colligunt, vt nõ facilè quis credere possit: hanc lychno pensili infundunt, nõ enim aliud habent huic rei aptũ oleum. Huc semel in anno cõfluunt Lusitani, ac tantam piscium copiam inde auehunt, vt illi iam dictam enumerent aureorum summã. Hinc factum est, quòd Portugalliæ Rex, spe prædæ allectus, non semel ad eos classes miserit exstructissimas: quarum prior, propter ducis imperitiam, in ipso gurgite disiecta, ac ꝓpemodum omni ex parte submersa

mersa fuit: Posthæc rex ducentarum nauium classem expeditiss. misit, qua conspecta tantum intulit ciuibus terrorem, vt omnes in fugam sint redacti, tanta cum portas ingrediētium strepitu atque turba, vt in ea ciuium plusquā octuaginta fuerint interfecti. Venerat his in auxilium princeps quidam, qui, vt suæ saluti consuleret, se ex alia vrbis parte fune demisit. Mox variè huc atque illuc dispersi sunt incolæ: hic nudis pedibus, ille eques fugit. Nec potuisses, scio, à lachrymis continere, si fœminas, si senes atque pueros capillis passis, nudisque pedibus fugere vidisses. At priusquā Christiani cum Iudæis aliquod sint prælium auspicati, qui relicti erant à fuga ciues, eo pacto sunt in gratiam recepti, vt Lusitanus nullis inuitis portisq; vndique patentib. illarum rerū potiretur, quæ ciuitatis erant: proinde nulla præterea inferretur ciuibus iniuria. Hunc in modum cœperūt Lusitani eam incolere regionem. Iudæi verò partim Salæ & partim Fessæ adierūt regnū. Nec puto aliam ob causam id illis à Deo Opt. Max. fuisse illatum, quàm propter horrendum illud Sodomitarū crimen, cui ciuium pars maxima tam fuit addicta, vt iuuenem vix non corruptum à se dimitterent.

## ¶ *Merameris.*

Oppidum est à Gothis in ipsa planicie exstructū, ab Azafi miliaribus ferè quatuordecim distat, focos habet circiter quadringētos: ager olei atq; frumenti mire ferax est. Paruit olim imperio Azafitis principis, verùm postea à Lusitanis occupatū, incolis omni-

bus in fugam redactis, remansit per integrũ fere annum habitatorib. vacuum. Sed inito tandem cum Lusitanis fœdere, ad solitum quisque rediit locum. Nunc de montibus quoque nonnulla annumerare lubet, que memoria non indigna videbuntur.

### ❡ *Mons Benimegher.*

BEnimegher mons est ab Azafite circiter.12. distans miliaribus, multos habet omnis generis artifices, quorum quilibet suas quoq; habet Azafiti ædes. Loci tanta est fertilitas, idq; olei præcipuè atque frumenti, vt non facile quis sibi persuadere possit. Paruit hic mons aliquandiu imperio principis Azafitis, verùm incolæ in fugam redacti, nullum habuerunt alium quo se reciperent locum, quàm ad montẽ Benimegher. Postmodũ per aliquot annos Lusitanis tributa exsoluit, sed cùm illuc Fessæ Rex cum suo exercitu appulisset, quosdam secum Fessam cõduxit, reliqui Azafitem redierunt: quasuis enim iniurias perferre parati erant, quàm sub Christianorum degere imperio.

### ❡ *Mons Viridis.*

VIsendæ altitudinis hic mons est, initium habet ex Oriente ad flumẽ Ommirabih, extendit sese Occidentem versus ad colles vsque Hasara illorum lingua dictos, separatq; Duccalam ab aliqua Tedeletis parte. Est autem hic mons nemorosus atque asper, magnam producit glandium & pinuum copiam, nec non & eius fructus quem Itali vulgò Africanum appellitant. Innumeri in hoc monte heremitæ, non ali

aliis vefcuntur cibis, præterquam quos illis fuppeditat locus fylueftris: abfunt enim ab omni hominum cómercio plufquam.25.miliarib. Maximus hic fontium, máximus item ararum numerus, quæ omnes ad Mahumetanorum exftructæ funt modum: reperias & paffim multa ædificia ab Afris exftructa antiquiffima. Ad huius montis bafim infignis vifitur lacus, illi perfimilis, qui à Romanis lacus Volfinienfis appellari cõfueuit. Infiniti in hoc reperiuntur pifces, anguillæ, lupi pifces, atq; id genus alij, quos nunquam in Italia vidiffe memini: fed nemo eft qui in hoc lacu pifcib. infidietur, quare nõ mirum, fi tantus fit illorum numerus. Cùm quodam die Mahumetes Feffæ Rex illac ad Marocci regnũ iter faceret, ad hunc lacum per totos octo dies fuum exercitũ fiftere voluit. Hic quibúfdam pifcandi fecit copiã, inter quos nonnullos vidi, qui fubucularum manicas atq; collaria farciebant, ac circulis quibufdam diftendebãt, vt quoniam nihil aliud in promptu erat, retis loco illis effet, & tamen hoc modo multas captabant pífcium myriades: illos taceo, qui retia habebãt, quos multo plures cepiffe, nemo eft qui dubitet. Atqui pifces vti mox dicemus, planè perturbati ad retia quafi coacti fuerunt. Nam Mahumetes .14000. equitum ex Arabia habebat, qui & multo maiori numero camelos fecum adduxerãt: erant & equites huius fratris numero plufquam. 5000. cum infinito propemodum peditũ exercitu: hos omnes lacum introire iuffit, adeò vt vix tantum aquæ fupereffet, quantum camelorum fiti fatis effe po

tuit: quare non vsqueadeo mirum videbitur, si tanta intra casses reperta est piscium multitudo. In huius lacus ora multæ reperiuntur arbores, quæ folia habent pinus foliis nô admodum dissimilia, intra quorum ramos infiniti sunt turturum nidi, sic vt mira hîc sit huiusmodi auiû vilitas. Postquam ad hûc lacum iam per octiduum latitasset Mahumetes, voluit montem visere, quẽ viridem iamiam diximus: nos cum maxima doctorum atque aulicorum copia illum sequuti sumus. Quotiescunque aram aliquam videret, exercitum illic paululum manere iussit, ac positis genibus supplex his orabat verbis: Tu scis Domine Deus meus, me non aliam ob causam huc venisse, quàm vt Duccalæ populû à tyrannide Arabum atque ab immaniss. Christianis liberarem: quòd si institutum non rectum esse cognoueris, in me solum cadat peccati vindicta quæso: nihil enim mali qui me sequuntur meruerût. Eo modo per totum illic remansimus diem: appetente verò noctę ad tentoria reuersi sumus. Postridie Rex venationem parari iussit, mox canes atque falcones (erat horum magna semper penes Mahumetẽ copia) in promptu erant, ea venatio non aliud quàm anseres anatesq; syluestres, turtures atq; alias id genus aues dedit. Sequenti verò die alia instructa est regis iussu venatio, cui canes venaticos, falcones atq; aquilas interesse voluit: prę da fuerunt lepores, cerui, hystrices, capreoli, lupi, coturnices atq; ariones: adeò non fuit infelix ea venatio, cùm centum vix ante id tempus annis quisquam venatus fuerat. Postquam autem per

ali-

aliquot dies hic cõmorati ſumus, Rex cum exercitu Elmadinam Duccalæ oppidum profectus eſt, doctores omnes atq; ſacerdotes quos ſecum adduxerat, Feſſam redire voluit. Me autem legatum cum aliquo militum numero, Maroccum miſit: id anno euenit. 921. Hegiræ, qui Chriſti fuit. 1512.

*Haſcoræ regionis dilucida delineatio.*

Regio hæc ab iis collibus ex Septentrione originem habet, qui Duccalæ regioni confines ſunt, ad Occidentem ſolem eo flumine terminatur, quod ad Hadimmei montis radices præterfluit, Tenſiftum antea appellauimus. In Occidẽte finitur flumine Quadehabid in Serui regione, quod flumẽ interſtitium ponit inter Haſcoram & Tedeletem. Duccalæ autem colles, Haſcoram à mari Oceano diuidunt. Huius incolæ illis multis partib⁹ ciuiliores ſunt, qui in Duccala habitant. Magna hic olei eſt affluentia, nuſquam maior Maroccenorũ copia, caprarum item greges complures, è quarum pilis pannum conficiunt atq; ephippia. Huc omnes vicinæ regiones caprinas cõferunt pelles, è quibus iam dictũ conficitur corium. Plurimum his eſt cum Luſitanis commercij, telam enim huiuſmodi coriis atq; ephippiis commutant. Moneta illis eadem eſt quæ Duccalæ. ſolent ex hac regione Arabes oleum, aliaq; illorũ victui neceſſaria conuehere. Nunc ciuitates omnes ſuo ordine enumeremus.

*Elmadina Haſcoræ oppidum.*

EST Haſcoræ oppidum quoddã quod Elmadina ab incolis vocari ſolet in Atlantis

dor

dorso fabricata,focos habet aliquātò plures 2000. distat à Marocco Orientē versus nonaginta ferè passuum milibus,à Duccala verò circiter sexaginta. Hîc multos reperias coriarios, aliosq; omnis generis artifices,mercatores Iudæos innumeros. cingitur id oppidum sylua,oliuis atq; iuglandibus altissimis consita. Incolæ perpetuò ferè bello intestino vexantur, nec non & cum quodam oppidulo,quod quatuor hinc dissidet miliarib. continuas alunt inimicitias. Neque quisquam planiciē inter duas has vrbes intrare audet (mancipiis tantum & fœminis demptis) nisi egregio satellitio securus: quare sibi quisque sagittarium habet,cui singulis mensib⁹ decem aut duodecim exsoluere aureos tenetur, qui apud Italos sedecim æquiualent aureis. Reperiuntur & inter ciues doctissimi quidam insignisq; eruditionis viri,ex quibus iudices creantur atq; notarij. Quicquid exteri census exsoluunt, id quibusdā ad id destinatis quæstoribus ærariis enumerant,qui & eandem postea pecuniam in communē vertunt vtilitatem. Arabibus pro iis possessionibus quas in ea planicie habent,nonnihil tributi exsoluere coguntur,verùm ea pecunia illis ab Arabibus ad decuplum aut eò plus redit. Ego cùm Marocco redirem,hac iter facere libuit,vbi à quodam Granatensi meo conciue homine ditissimo splendidissimè exceptus fui,hic per octodecim annos sagittarium in his egerat regionib. Et quanuis haberet ea ciuitas insigne quoddam hospitium, in quo mercatores omnes illac iter facientes ęre alebantur publico,hic tamē nunquam id permisit,

quin

quin me cum nouē aulicis,præter seruos omnes quos nobiſcum adduxeramus,humaniſſimè per totos tres dies exceperit, quibus alij ciues nunc vitulos,nunc agnos,nonnunquã & gallinas offerebãt. Ego verò cùm quodam die innumeras in ea ciuitate vidiſſem capellas,rogaui ex meo conciue,quare non nobis capellam aliquam apponi iuſſiſſet:hic ille,id omnium abiectiſſimum atq; viliſſimum animal apud eos eſſe,reſpondit. Horum mulieres formoſæ atque candidæ, adeò exteros non faſtidiunt adoleſcentes, vt ſi quando id ſecreto fieri datur, horum concubitum non inuito animo admittant.

¶ *Alemdinum.*

IAmdicto oppido vicinum eſt illud quod Alemdin vulgò appellant,diſtat hinc Occidentem verſus miliaribus quatuor,in valle,ac inter quatuor altiſſimos eſt exſtructum montes, quare & loci mira eſt frigiditas. Incolas habet mercatores, artifices,atque nobiles,familias numerat plus minus.1000. Perpetuum huic cum iam ante dicto oppido bellum gerebatur,verùm noſtro tempore redactæ ſunt duæ illæ ciuitates in Regis Feſſæ deditionem,idque cuiuſdam mercatoris opera,vti mox dicemus. Mercator quidã Feſſanus in hac ciuitate amicam habuit, quam propediem ſibi in vxorē ducere decreuerat, verùm vbi iam nuptiarum veniſſet dies, repperit amicam ſibi à quodam vrbis rectore pręreptam, quę res mirũ in modum huius excruciauit animum, etſi quantùm poterat ęgritudinem celaret. Vbi iam ille ad Feſſæ regē rediſſet,rara quædam

dam atque pretiosissima illi obtulit munera, rogans vt sibi centum exhiberet sagittarios, trecentos equites ac pedites quadringentos: hos omnes se propriis stipendiis aliturum, nec non & iam dictum oppidum regis nomine occupaturum, è cuius prouentibus septies mille aureos singulis annis missurum pollicitus est. Hæc Regi conditio placuit, & ne illiberalis videretur, noluit cõmittere, vt mercator cuiquam preterquam sagittariis stipendium numeraret. Mox Tedletis prefecto mandauit, vt mercatori equites atque pedites suppeditaret, tum vt adderentur & duo exercitus duces. Sic tandem Alemdinũ ventum est, quam sex diebus obsidione cinxit. quibus transactis ciues prefecto indicarunt, nolle se Fessæ regem sibi hostem, nedum quicquã sua causa mali ferre. Quare ille mendici habitu fugam tentare cœpit, sed agnitus ad mercatorem ductus, ab eodem in carcere asseruatus fuit. Mox ciuitatis portæ apertę, mercatorem cum exercitu intromiserunt, ac se illi regique Fessæ dediderunt. Puellæ parentes apud mercatorem præfecti vim in causa fuisse affirmauerũt, quò minus ille optata potitus erat amica. Illa verò ex præfecto relicta erat grauida, sed postquam hanc enixam intellexisset mercator, rursus ad illam animum adiecit, ac tandem in vxorem duxit. Captiuus autem præfectus fornicationis reus à iudicib. pronunciatur, ac eodem ipso die lapidibus obruitur. Remansit autem mercator duarum ciuitatum dux atque dominus, pacem inter eas firmissimam stabiliuit, Regiq; Fessæ bona cum fide promissam quo-

tan

tannis numerauit pecuniam. Ego poſtea & oppidum illud ingreſſus, mercatorē principem probè noui. Eo ipſo anno Feſſa relicta itineri me cõmiſi, vt Conſtantinopolim venirem.

*Tagodaſtum Haſcoræ oppidum.*

EXſtructum eſt id oppidum in vertice excelſi cuiuſdam montis, habetq; circum ſe & quatuor alios montes eximiæ altitudinis: inter hos & iam dictũ oppidum multi ſunt horti ſpacioſiſſimi atque amœniſſimi, in quibus nullum deſiderare fructum poſſes: hic mala aurea ita luxuriant, vt non facilè horum magnitudinem quis credere poſſet. Vineæ omnes in arborum ramos reiectæ, pergulas efficiunt elegantiſſimas: horum vuæ ſubrubræ, apud illos à magnitudine, ni fallor, oua gallinacea vocantur. Olei atque mellis optimi maxima apud hos eſt copia: mel autẽ quoddam candidum, quoddam flauum reperitur. Habet hoc oppidum multos fontes, qui in fluuium tandem conuerſi, quibuſdam molis vrbi vicinis aquam præbent. Innumeri hîc reperiuntur artifices, qui rebus tantùm neceſſariis ſumptum exercent ſuum. Incolæ ſic ſatis ciuiles, fœminæ formoſiſſimæ, multóq; argento ornatiſſimæ. Oleum ad vicinas vrbes cõferunt, quæ infra Atlantẽ ſunt Meridiem verſus: corium verò Feſſam atque Mecnaſam mittunt. Illorũ planicies patet in longũ ſex ferè paſſuum millibus: ager frugibus ferendis fœcundiſſimus, cogitur Arabibus nõnihil quotannis cenſus numerare. Habet id oppidum & ſuos iudices atque ſacerdotes, necnon & nobilium copioſam multitu

titudinē. Ego,cùm hac quodam die fortaſſe iter
eſſet,illius loci rectorē quendam inueni extremę
ſenectutis,qui iam ſenio viſu captus erat. Hic vt
à quibuſdam intellexi,fortiſſimus atque validiſ-
ſimus in adoleſcētia vir fuerat,atque poſt multa
alia præclarè ab eo geſta facinora, propria manu
quatuor duces interfecerat ipſi populo infeſtiſ-
ſimos. Deinde tantum ſua induſtria effecit, vt
qui antea perpetuò inter ſe bellum geſſerāt,ami
citia reddiderit coniunctiſſimos. Nihil hîc quic-
quam ab vrbis rectoribus fit,quod ad Rempub.
attinet,niſi huius id fiat conſilio atq; autoritate.
Apud hunc ſenem cum octuaginta equitib. di-
uerti, atque magnificè ab eo exceptus, quotidie
è recenti venatione,recentes nobis apponi cibos
iuſſit. Familiariſſimè nobis omnes ſuos labores
expoſuit,quos in pace ſarcienda ſumpſerat: neq;
puto rem illi tam arcanam fuiſſe,quam nobis vir
bonus ceu germanis,nō explicauerit. In digreſſu
ſymbolum pro me ac ſociis numerare volui: ve-
rùm homo ille liberalis id nullo modo permiſit,
quin ſe regi Feſſæ addictiſſimum pronunciauit,
non tamen illius cauſa hos ſumptus feciſſe affir-
mauit: verùm quicquid bonorū habebat,id ſibi
à parentib. ea lege legatum,vt in amicos omnes,
notos,atque exteros illac iter facientes,munificū
ſeſe præberet atque liberalem: tum etſi non ea
lex aſtringeret, tamē ſuum erga Deum amorem,
ſibique à Deo inſitam liberalitatē id exigere dice
bat.Quin & Dei Opt.Max.beneficio omnia opti
mè prouidentis,hoc ipſo anno ſeptem milia fru
menti atq; hordei modia collegiſſe ſe affirmabat:
adeò

adeò vt plus ſatis & ſibi & omnib.incolis prouentuum eſſet. Tum & numerum tam ouium q̃ caprarum centum millia excedere dicebat, vnde ſibi lanã tantùm reſeruari iubebat, caſeum enim & lac paſtoribus relinquebat, niſi fortaſſe ſibi aliqua inde butyri afferretur portio. Nemo hîc eſt qui caſeum, butyrum, lac, aut huiuſmodi quicq̃ habeat venale, cùm omnes maximũ habeant pecudum gregem. Coria verò, oleum, atque lanam ab ea ciuitate in circumiacentes deuehũt nationes. Præterea & hoc addidit, ſi fortè, inquit, contingat Feſſæ regem Duccala redeuntem noſtram ingredi regionem, non permittam quin mox illi obuius eam, ac me totum illi ceu principi obſeruantiſſimo dedam. Eo tandem modo ab hoc ſene dimiſſus, nõ potui ſatis ignoti erga ignotum laudare humanitatem atque beneficentiam.

¶ *Elgiumuha.*

IAmdicto oppido vicina eſt Elgiumuha, quod quinque circiter paſſuũ millibus ab eo diſtat. Noſtro æuo in iugo excelſi montis exſtructa, familias numerat plus minus quingentas, totidemq; domos pagi habẽt, qui in eo monte inueniuntur. Innumeri hîc fontes: horti vbiq; amœniſſimi, omniſque generis fructibus feraciſſimi. Iuglandes hîc maximæ atq; altitudinis non vulgaris. Colles qui montẽ cingunt, campos habent hordeo vberrimos, neque hîc oliuarum deſideraбis copiam. Innumeri in hac vrbe inueniuntur artifices, fabri, coriarij, & id genus alij. Et quoniam maxima apud hos ferri eſt fodina, calces conficiunt equinos. Quicquid autem ex eorum pro-

prouenit labore, id ad externas deuehunt nationes, in quibus ea desiderari putant: vnde mancipia, glastum syluestre, & quorundam animalium corium sibi conferunt, ex quo scuta construunt durissima belloq; validissima: hæc tandẽ Fessam ad mercatum deferũt, quorum vice tela, pannus, aliaq; illorum vsui necessaria, mutuò succedunt. Est illud oppidum publicę vię adeò propinquũ, vt pueri quotidie prætereuntes illac mercatores summè admirentur, idque præsertim, si inusitato incedant vestitu. Omnes huius montis incolæ illius oppidi imperio atque consilio reguntur. Huius conditores eos fuisse volunt, quos Tagodastum inhabitare antea diximus: idque hunc in modum id factum narrant: Cùm enim inter Tagodastenses nobiles orta esset dissensio, populus neque huic neque illi fauere parti cupiens, Elgiumuha condiderunt, ac nobilibus Tagodastum reliquerunt inhabitandum: quò fit vt in nostra vsque tempora hîc tantùm ignobiles, illic verò solùm nobiles inueniantur.

## ¶ *Bzo Hascoræ oppidum.*

BZO oppidum antiquissimum in monte altissimo exstructum, à iam dicto Occidentem versus viginti distat miliarib. hoc ad tria ferè passuum millia præterfluit fluuius, quem Serui nuncupauimus. Ciues habet probos mercaturam exercentes, atque circa vestitum satis curiosos: ad eos qui deserta incolunt, pannũ, oleum, atque corium transmittunt. Horũ montes, oliuis, frugibus, atq; omnis generis fructib. luxuriant: solentq; quotannis vuas desiccare, quæ colo-

colorem habent atque saporem non vulgarem. Ficus hîc vbique copiosa: iuglandes vero tantæ altitudinis reperiuntur, vt in illarum summitate Miluus sibi securè nidum construat: nemo enim est, qui eovsque ascensu pertingere queat. Habet ea via, quæ ab hac vrbe ad Serui fluuium ducit, hortos vtrinq; elegãtissimos atq; amœnissimos. In hac regione me fuisse memini, eo ipso tempore quo chrysomela, ficus, atque alij huiusmodi fructus maturi legebantur: vbi ab illius vrbis sacerdote exceptus fui: hic non procul à templo quodam magnifico habitabat, quod fluuiolus ille præterfluit, qui per forũ quoq; suum habet cursum.

¶ *Mons Tenueues.*

SItus est hic mons è regione Hascoræ, ea Atlantis facie, quæ Meridiem respicit: incolas habet permultos, validissimos, armis gerendis tam equites quàm pedites aptissimos: ingens illic equorum exiguæ magnitudinis numerus. Plurimum in hoc monte glasti syluestris atque hordei prouenit: sed frumenti ne spica quidem, adeò vt non nisi hordeaceo vescantur pane. Nullum datur anni tempus, quo non niues hîc reperias copiosas. Magnus item hîc nobilium atque magnatum numerus, qui imperio cuiusdam parent principis. Huic satis largum numerant quotannis tributum, quo ille suos alat milites: continuum enim illi geritur bellum cũ montis Tensitæ inhabitatorib. Princeps mille fermè equites bello aptissimos habet, ac totidem semper huius montis nobiles propriis alunt stipendiis. Sunt præterea & principi centum, partim sagittarij,

 par

partim sclopettarij, qui regem quouis eunte͂ comitantur. Ego cùm hunc montem inuisi, principem offendi, qui supra modum laudari ab omnibus gestiebat: cæterùm, quod ad liberalitatem, humanitatem, atque ciuilitatem spectabat, non puto facilè reperiri posse, qui cum hoc sit vllo modo conferendus. Linguam Arabicam etsi nō intelligebat, tamen amabat vnice: plurimumq; inde voluptatis capiebat, si quis sententiam illi explicabat, quæ in illius laudem composita esset. Eo ipso tempore, quo meus auunculus à Fessæ rege ad Tombuti regem legatus missus erat, in cuius sodalitio ego quoque eram, cùm Daram regionem ingressi essemus (distat ea regio ab hoc principe centum ferè passuum milib.) protinus ille auunculi nomine audito, qui insignis erat orator atque poëta elegantissimus, Daræ principi literas misit, quibus orauit, vt ille auunculo persuaderet, illumq; vt per Tenueuē montem Tombutum proficisceretur, oraret: cupiebat enim hominem videre & alloqui. Auunculus autem id non decere affirmauit, vt qui à Rege legatus aliquò missus erat, principes longè à via distantes inuiseret, ac sic sui principis seriora negocia in longum differret. Verùm ne videretur omnino non morigerus huius principis animo, se nepote͂ illuc missurum pollicitus est, qui homine͂ salutet, ac suo nomine debitos exhibeat honores. Post hæc insignia quædam dedit ad principem deferenda munera: stapedes inauratas artificiosissimè fabricatas, vigintiquinq;, ni fallor, aureis emptas: calcaria duo elegantissima quindecim aureorum.

Duos

Duos præterea funiculos holosericos, miro artificio filis aureis intertextos, quorum alter punicei erat coloris,alter cerulei. Insuper & librum elegantissimum,qui illustrium atq; eximiæ sanctimoniæ Africanorum vitam enarrabat, cum quibusdam carminibus in laudem huius principis compositis. His tandem rebus onustus, ego me itineri cómisi: súmpsiq; mecum duos equites,qui me ad hunc montem proficiscentem comitarentur:atq; inter equitandum carmé quoddam in eiusdem encomium composui. Vbi iam eò peruentum esset, princeps regiam egressus venationi sese parauerat cum summo nobilium apparatu. Qui postq̃ me aduenisse intellexit, ad se accersiri iussit,ac post salutationé exhibitam,rogauit,quî se auunculus haberet: ego illum perbellè valere,ac principi ad omnia addictissimum respondi. Postea hospitium egregium parare, ac tantisper ab itineris molestia cóquiescere iubet, donec à venatione redeat. Vbi verò multa iam nocte à venatu rediisset, continuò nos in regiam vocari iussit: vbi postquam hominem honorificè quoad potui salutassem,munera ab auunculo missa obtuli: quæ,quantum coniicere potui,acceptissima fuerunt. Tandem & carmen ab auunculo cópositum dedi: quod mox à quodam sibi legi iussit, quem à secretis habebat. Interea verò dum ille principi singulas explicaret voces atq; sententias,dictu mirum quantum ipsa facie alacritatis atque gaudij præseferebat. Absoluto carmine continuò mensæ accumbit,ac me sibi non modò conuiuam,verùm & proximú esse voluit.

 Dis-

Discumbentib. appositi sunt castores, ac tandem carnes vitulinæ assæ, atque elixæ, sed pane in placentæ ferè modum fartæ. Allati sunt præterea & alij permulti cibi, quorum non fuit facilè memini nisse. Exacta autem cœna, cœpi principem his tandem alloqui verbis: Habes modò, mi domine, ea munuscula, quæ auunculus tibi ad omnia paratissimus per me misit, quò animi erga te promptitudinis fidem faceret, vtque in tua memoria vel aliquis illi relinqueretur locus: ego verò, idem & sororis filius & discipulus, nihil habeo præter verba, quod tibi ceu principi obseruantissimo offeram: accipe igitur & à me quod nostrũ in itinere potuit parere ingenium. His dictis cœpi illi & meum recitare carmen: hîc princeps summa animi alacritate mé (qui iam annos ferè sedecim natus eram) legentem auscultauit, ac quicquid non probè intellexerat, id sibi per interpreté exponi iussit. Posthæc à venatu fatigatus, cùm iam multam esse noctem intellexisset, nos oẽs somno operam dare voluit. Postridie summo mane ad ientaculũ vocari iussit, quo lautissimo traducto, centum aureos numerari curauit, quos auũculo deferendos dedit, insuper & tria addidit mancipia, quę auunculum in itinere comitarẽtur. Mihi verò, quinquaginta aureos & equum egregium dari iussit: vtriq; illorum qui mecum venerant, decem aureos dono dedit; auunculo autem renunciare iussit, illud quicquid erat exigui muneris, propter elegãs in illius laudem compositũ carmen exhibitũ fuisse, non propter insignia illa quæ acceperat donaria: nam horum gratiæ relationem

tionem,in reditum à Tombuto differre se affirmauit,quò sui in illũ animi significationem aliquam daret. Deinde per quendam qui illi à secretis erat, nobis viam commonstrari iussit: atq; humanissimè salutatos,valere iussit: se eodẽ die in hostes incursionem facturum affirmans. Ab eo itaq; digressus,ad auunculum sum profectus. Hæc ea de causa hoc loco subnectere libuit, quò & Africam etiam homines liberales & humanos habere doceremus.

### ¶ *Mons Tensita.*

TEnsita Atlantis pars est, initium habens ex Occidente à iam dicto monte,vergitq; Orientem versus ad montem vsq; Dedes, ad latus verò meridionale eo deserto clauditur, quod apud illos Dara appellari consueuit. Est autem hic mons multitudine hominum abundans,habetq; castella plus minus quinquaginta, & cretá crudis lapidibus exstructis muris circun septa: & quia ad Meridiem vergit, ferè semper imbrium expers. Omnia autẽ ea castella ad Daran fluuium exstructa, hæc per tria,illa verò per quatuor miliaria ab inuicem distant. Potentissimus huius regionis princeps equites numerat ferè mille & quingentos,pedites autem numero haud multò minori,quàm princeps ille, de quo modò sumus loquuti. Et cùm inter hos maxima sit consanguinitas, nunquam tamen non potest alter quin in alterũ bellum moueat atrocissimum. Incredibile dictu,quàm sit ille mons dactylis felix,incolæ partim agriculturam,partim mercaturá exercent. Hordeum illis summa pro-

 uenit

uenit affluentia, verùm frumenti atque carnium tanta apud hos penuria eſt, vt nuſquam ferè maior: non enim pecudes neque armenta ea alit regio. Ex hoc monte annuus prouentus viginti millium aureorum ad principem redire ferunt: ſed illorum aureus duas tantùm tertias Italici æquiualet aurei. Maxima ſemper inceſſit inter hunc principem & Feſſę regem familiaritas atq; conſuetudo, adeò vt frequentiſſimè alter alteri inſignia miſſitet donaria. Memini me cum primis inſigne ab hoc principe ad regē miſſum vidiſſe munus, quinquaginta nempe mācipia maſcula & totidem fœminea ex Nigritarū regione collecta, decem eunuchos, duodecim camelos, vnum camelopardalum, ſtrutiones decē, ſedecim feles ex iis quæ excrementum odoriferum emittunt, tum & eius excrementi libram vnam, electri libram vnam, ac ferè ſexcenta coria animalis cuiuſdam quod apud illos Elamt appellatur, ex quibus clipeos ſibi conficere ſolent, valetque quodlibet corium Feſſæ aureis octo. Mancipiorum maſculorū ſingula viginti aureis erant empta, fœminæ verò quindecim. Eunuchus aureos quadraginta æquiualebat, camelus quinquaginta, felis ducētos: muſci iam dicti excrementi atq; electri libra vna, ſexaginta apud hos emitur aureis. Mittebantur vnà cum his quæ iam enumerauimus & alia permulta, quæ breuitatis cauſſa conſultò hic omiſimus. Ego, cùm hæc ad regem deferrentur donaria, vnà præſens aderam: orator natione Nigrita fuit, corpore humili atq; obeſo, cæterùm idiomate atq; moribus pluſquam ſatis

bar

barbaris: hic Regi literas obtulit ineptiss. atque imperitissimè depictas, sed multò rudior atque ineptior ea fuit oratio, quã pro suo principe coram rege pronunciauit, adeò vt rex ipse cum omnibus qui tum aderãt, vix risum temperare valerent, quin cogebantur omnes os aut veste aut manu tegere, ne plus satis viderentur inciuiles. Finita tamen oratione, Rex oratorẽ splendidissimè excipi iussit apud summi templi sacerdotem, apud quem per aliquot dies cum quatuordecim sociis, quos secum adduxerat, commoratus, tandẽ regis liberalitate asymbolus ad suum principem reuersus est.

### ¶ *Mons Gogidema.*

EST prædicto monti & alius quidam confinis, quem Gogidema nominant. hic ad Septentrionalem tantùm faciem incolas habet: ea verò pars quæ Meridiem respicit, habitatoribus omnino vacua est: cuius rei hãc rationem esse affirmãt, quòd cùm Marocci Rex Abrahamus ab Elmadi discipulo prostratus regnoq; pulsus esset, ad hunc montem cõfugerit. Incolæ Regis excidio commoti, omnibus modis (sinistro tamen Marte) illi auxilio venire studuerũt: Quod vbi resciuit Elmadi discipulus, in hos maximo exercitu, maximaq; animi furia cõmotus, omnes illorum mansiones atq; pagos incendio deleuit, habitatores partim in fugam egit, partim interfecit. Ea verò facie quæ incolas habet, vilissimos tantùm, pannosos atque abiectissimos homines reperias: hi olei atque hordei exercent mercaturam: neque hîc aliud præter hor-

deum prætérque oliuas prouenit. Satis magna apud hos caprarũ & mularum copia est, verùm mulæ & equi exiguæ admodum sunt magnitudinis. Huius montis cùm situs tũ qualitas prohibet, quò minus habitatores libertatẽ obtineant.

*¶ Teseuon.*

TEseuon duo sunt montes contigui, habentq; à supradicto ex Occidente initiũ, finem verò in monte Tagodasto. Incolæ paupertate summa premuntur: nihil enim illorum agris præter hordeum & millium prouenit. Ex hoc monte scaturit flumen quoddam, quod inde per campos fluit amœnissimos. Sed quia hi montani nunquam in campos illos descendunt, hinc fit, quòd illud flumen ab Arabibus tantummodo occupetur. De his hoc loco satis dictũ est, nunc ad Tedletis descriptionem veniamus.

*¶ Tedletis Regionis descriptio.*

TEdles regio non vsqueadeo ampla, principium habet à flumine Serui, idque ex Occidente, finitur autem ad fluuium Ommirabih, hoc est ad caput iam dicti fluuij: ex Meridie Atlante terminatur, ex Septentrione autem eo loco finẽ habet, vbi Serui in fluuium Ommirabih prolabitur. Est ferè hæc regio figura triangulari: nascuntur enim duo hæc flumina ex Atlante, fluuntque Septentrionem versus, paulatim sese astringentia, donec in vnum confluant.

*¶ Tefza Tedletis oppidum.*

TEfza totius Tedletis celeberrimum oppidum, ab Africanis in Atlantis costa conditum, ab ipsa planicie quingẽtis circa passuum

ſuum milibus ſitum eſt. Huius murus ex Tybur
tino marmore extructus, qui illorum idiomate
Tefza appellari ſolet, hinc & oppidum ſibi no-
men ſumpſiſſe aſſerunt. Hanc ditiſſimorum om
nis generis mercatorū turba maxima inhabitat:
ducentæ ferè hic reperiuntur Iudæorum, merca-
turam variáque vitæ munera exercentium fami
liæ. neque hic deſiderabis exterorum copioſam
affluentiam, qui inde chlamydes cum cucullis
auferunt inconſutas & nigras, Ilbernus vulgò no
minant: harum non tam in Italia, quàm in Hiſ-
pania copioſus eſt numerus. Nulla ferè Feſſæ
mercatura eſt, quæ nō in hoc oppido reperiatur:
quòd ſi quis mercator velit ſuas merces in alias
cōmutare, facilius extrudit: indigenis enim mul
tæ ſunt merces, veluti mancipia, equi, glaſtum,
tergora, atq; id genus mercimonia: quæ quidem
ſi non niſi prōpta pecunia diſtrahere velint, tum
verò æquum valorem non adipiſcuntur. Num-
mum habent tantùm aureum, neque imagine,
neque vlla inſcriptione inſignitum: veſtitus ſatis
cultus atq; ornatus: mulieres forma moribusq́;
præcellentes. Multa hoc in oppido reperiuntur
templa, multi ſacerdotes atque iudices, fuitq́ue
optima ſemper inter illos Reſp. ſed in peius ſem
per degenerantib. rebus, varia poſtmodum ſub-
orta diſſidia atq; bella, adeò quòd quidam hinc
expulſi ad Feſſæ regem venerunt, ſuppliceſq; ro
gauerunt vt illos alicuius ſatellitij auxilio in pa
triam reſtitueret, ea lege vt illi feliciter pacatis
omnibus, regi id oppidum in manus traderent.
Conditio placuit, Rex mille equites expeditiſſi-
mos

mos mox ad hanc rem peragendam in promptu habuit,his insuper & quingentos sagittarios atq; ducentos sclopetarios equites addidit. Præterea quibusdã Arabibus (Zuair vulgò dictis, hi equitum quatuor ferè milia sub se habent) rescripsit, vt si fortasse eorum auxilio opus esset, mox illi cũ suis copiis suppetias ferrent. Huic exercitui rex quendam ducem præfecit strennuissimum, quẽ Ezzeranghi dicebant. ille mox vbi iam sua tentoria oppido vicina fixisset,cœpit oppugnationem cum oppidanis conferre. Verùm vbi res summis viribus attentata esset, ciuium animi ar mis belloq; paratissimi exterorum conatum facilè reddiderunt irritum. huic quoque accessit, quòd vicini Arabes Benigebir appellati,oppido cum.5000.equitum exercitu subsidio veniebãt. Quod vbi Fessæ dux animaduertisset, continuò obsidione soluta in aduentantes subitò irruit Arabes:quibus post triduum fusis,ille tutò se rursus ad obsidionẽ recepit. ciues vbi omnem sibi ab Arabibus spem ademptam viderent, legatis cum hoste pacem attentare seriò cœperunt, quã vt facilius impetrarent, oẽs se sumptus restituturos,quos Rex in hanc expeditionẽ insumpserat,deinde & singulis annis plusquã decies mille aureos missuros polliciti sunt, ea tamen lege, vt illi in quorum gratiam Rex milites miserat, oppidum ingressi, ab omni Reip. regimine secluderentur. Illi verò,postquam cõditiones intellexerunt,ducem his verbis sunt aggressi: Si tuo præsidio contingat nos in pristinam redire dignitatẽ atque statum, aureos numerabimus plusquam

100000. neque eſt quòd quiſquam iniuriam ſibi aut vim vllam illatam iri formidet, neminem enim ne minimum quidem detrimenti à nobis paſſurum certiſſimùm pollicemur: quin ab aduerſariis tantum redditus bonorum noſtrorum exigemus, quæ per tres annos continuos inuitis legibus ſibi vſurpauerunt. excreſcet autem pecunia ad ſummam vſq;.30000. aureorum, quos tibi in ſolidum pro omnibus noſtro nomine inſumptis laboribus, vel lubẽtiſſimè perſoluemus. dehinc & redditus huius regionis ad te quoque redibunt, qui aureos circiter. 20000. producunt. præterea corradentur tibi ex Iudeorum tributo aureorum decem millia. His itaque præfatis, totius exercitus dux ciuibus renunciari iubet, Feſſæ regem his qui ſecum venerant ſanctiſſimè promiſiſſe, ſe illis nunquam defecturũ, donec ad optata peruenerint: quare illos regere malebat, quàm qui iam adhuc oppidum illud occupabant, idq; multas ob cauſſas: quocirca, inquit, ſi in Regis deditionem vos concedere ſtatuiſtis, nihil quicquam mali vobis euenturũ habetote: ſinautem ad extremum lubet veſtra iſthac perſiſtere pertinacia, extremum à vobis teruncium exacturum regem certiſſimùm ſcitote. Hæc vbi populus intellexiſſet, ſubitò in varias ſcindi cœpit partes: erant enim qui Regi per omnia fauebãt, alij perpetuum gerere bellum, quàm regem admittere malebant: adeo vt iurgiis, rixis, atque diſſidiis tota vrbs mirum in modum adimpleretur. quod tandẽ per exploratores ad obſidionis ducem peruentũ eſt, qui mox dimidium ſui exercitus

ercitus ad arma vocari iussit: ac illorum opera trium horarum spatio vrbe potitus est, idque vel absque minima suorum strage. nam qui ex oppidanis regi fauebant, intus portas suis munimentis nudabant, idem agebant foris & illi, qui obsidionem iam per aliquot dies tenuerāt, neq; quisquam illorum resistebat conatui, idque fortasse propter intestina illa quæ iam diximus bella. Tandem Fessani exercitus dux, vrbem ingressus, regis signa in foro atque in mœnibus attollere iussit, equites totam circumagere vrbem voluit, ne quis ciuium hinc aufugere posset: deinde militibus per preconem nunciari præcepit, vt si quis vel minimā ciuibus inferret iniuriam, continuò capite plecteretur. Mox omnes alterius factionis duces ad se captiuos adduci imperauit, quibus tantisper carceres minatus est, donec Regi abundè, quicquid in illo exercitu consumptū erat, satisfactū esset: summa autem ad duodecim aureorū millia accreuerat, quam ilico captiuorū vxores atq; cognati annumerauerunt. Necdum tamen illis libertas est concessa: nam illi in quorum gratiam Rex milites miserat, omnia sibi restituta volebant, quæ per aliquot annos sibi inuitis legibus adempta affirmabant. Asseruati igitur captiui in proximū diem, quo summo mane vtrinq; producti sunt oratores atque causidici, qui coram iudice atque duce dissidia finirent. Verùm post prolixam admodum inter eos disceptationem, nihil omnino cōuenire potuit, quin dux tædio affectus se ad cœnam cōtulit. Posthęc captiuos sibi adduci iubet, ac debitum vt exsol-

uant

uant argentum hortatur,ni malint ad Fessæ regem deduci,qui duplum (inquit ille)aut eò plus sibi exacturus est. His itaq; verbis attoniti,vxoribus rescribunt,vt alicunde eas corradere pecunias velint,alioqui de se actū esse. Octo posthæc diebus,mulieres cum aliquot aureis annulis, armillas,aliaq; id genus ornamenta attulerūt, quæ 28000. aureis æquiualebant: hæc enim dare pro maritorum liberatione,quàm quib.pollerent diuitiis ostentare,malebant; quasi exhaustis pecuniis coactæ fuissent,mundum adferre muliebrē. Vbi igitur & Regi & aliis ciuibus abundè satisfactum esset,adeò vt nihil obesse videbatur quò minus illi liberarentur captiui,illos in huncDux alloquutus est modum: Ego, Domini mei, Regi omnia significaui,quæ hic acta sunt,quod tamē me malè habet: nam ego vos nullo modo dimittere auderem,ni prius id mihi regiis fuerit concessum literis. Atqui vos bono esse animo velim, quia quandoquidem cuiq; quod suum erat,bona fide reddidistis,nemini dubium,quin vos propediem in pristinā restituat libertatem.Hac eadem nocte dux quendam ad se vocauit,cuius sæpenumero consilio feliciter vsus fuerat, ac quopacto plures pecunias ex iisdem extorquere posset,rogat: adeò vt culpa tamen atq; perfidia carere videretur. Ad quod ille: Finge te à Rege literis ad hoc coactum,vt illos ad vnū omnes capite trunces: verùm misericordia commotum, non posse tantum facinus perpetrare in innoxios: cęterùm te illos Fessam missurū,quò Rex pro arbitrio aut puniat aut cōdonet. Fictæ igitur sunt tanquam

à

à Rege missæ literæ, quas dux postridie quadraginta duobus illis (tot enim erant captiui) flebili voce ostendit. Sinistrum de vobis nuncium (inquit) ad Regem peruenit, amici mei, vos nescio quid conspirationis in aĩo habuisse: quapropter his literis q̃ arctissimè iniungit, vt vobis omnib. ense caput auferam: id autẽ etsi animo maximè inuito, tamen principi mos gerendus est mihi, nisi meipsum quoq; perditũ iri malim. Quibus intellectis cœperũt miseri multis lachrymis ducis implorare misericordiam. Ille etiam lachrymas simulans: Quandoquidem, inquit, nihil iam melius occurrit, quod eligamus, ego vos cum aliquo equitum numero ad Regem mittam, cuius fortassis aliquo modo iram mitigare poteritis. Hîc captiui illi multò q̃ antea tristiores effecti, se dijs atque ducis benignitati cõmendare, multoq; cum luctu illius implorare clementiam cœperunt. Continuò interuenit alius quidam, qui vt aliquam inter se auri summam inueniiẽt, hortatus est, quæ forte Regis animum flecteret: ducemq; captiuorũ nomine orare videbatur, vt & ille apud Regem literis quantum posset efficere vellet. Idem omnes vna voce captiui agebant, ad Regem se bonam auri vim missuros, nec non & ducẽ amplissimis donis salutaturos pollicebantur. Hîc ille, quasi conditio non vsqueadeò placuisset, tandem quantum auri ad Regem mittere statuissent, rogat: hic aureos. 1000. ille. 500. alius verò. 800. numeraturũ promittit. At quasi hoc parum fuisset, finxit dux nolle se Regi tantillum renũciare: sed præstabit, inquit, vos ipsos

Re-

Regem adire, futurum forsitan vt melius quàm speratis cum illo agatis. Illi autem metuentes ne si Regem adirent, malè secum ageretur, multò q̃ antea feruentius instare atq; rogare, vt ipse quantum posset, illorum cõsuleret saluti. Quare dux tandem tanquam precibus victus, in hunc illos alloquitur modum : Vos hîc quadraginta duo nobiles atque ditissimi, si mihi singuli duo aureorum millia pollicemini, vestro omnium nomine id Regi indicabo, speroque me hoc pacto persuasurum: quòd si ea conditio non arriserit, ego vos ilico in Regis aulam relegabo . Conditionem omnes accipiunt, ea tamẽ lege, vt quisq; pro facultatum ratione numeraret, atque vt numerãdi tempus in quindecim ꝓduceretur dies. Duodecimo die, finxit à Rege missas literas, quibus significabatur, regem ducis gratia erga captiuos mitiorem redditum. Decimoquinto die numerata sunt duci octuaginta quatuor aureorum millia: neq; potuit ille satis mirari tantam auri vim in tam angusto oppidulo, inter .42. tam subitò reperiri potuisse. Pòst suo Regi quid actum esset rescripsit, atque quid de auro agendum sit rogauit. Rex statim cum duobus qui ei erant à secretis, centum equites misit, qui aurum adferant. Qui libertati erãt restituti, duci equos, mancipia, muscum, aliaq; id genus munera miserunt aureis plusquam .2000. empta: gratiasq; egerũt pro recuperata salute maximas: illud rogãtes, vt quicquid erat muneris, æqui boniq; consuleret: nam nisi exhaustæ omnino pecuniæ fuissent, multò sumptuosiora se daturos affirmauerunt.

Pa

Paruit igitur ab eo tempore ea regio Fessæ Regi, nec non & imperio iamdicti ducis (Ezzeranghi vocabant) donec à quibusdam Arabibus proditoribus interfectus est. Recipit & in hunc vsque diem Rex ab ea ciuitate aureorū. 20000. singulis annis prouentū. In hac narratione aliquantulò q̃ par erat ꝓlixior fui, id eò fortasse, quòd his ego omnib⁹ interfuerim, bonâq; nauauerim operā vt ciues liberarentur: neq; me vnquā memini maiorem vidisse auri cumulū, q̃ qui his astutia ademptus fuit. Imò ne ipse Rex quidem vnquam tantū vno tempore auri penes se habuit: quáuis enim quotannis. 30000. aureos recipiat, nunquā tamen tantū potuit vno momento colligere cumulum: id quod & de huius patre affirmant nō pauci. Gesta sunt hæc Anno. 915. Christi verò M. D. VI. Nunc mihi hoc loco perpende, quid humana possit in extorquēdis pecuniis efficere industria. Miratus est Rex hanc auri summā, sed multò magis postea cuiusdā Iudæi miratus opes, qui solus plus exoluit, q̃ omnes antea enumerati ciues. fuitque huius opulentia in causa, vt Rex à Iudæis collationem. 50000. aureorum exegerit, eò quòd eius hostibus nonnihil fauisse diceban tur. Ego ipse illum sum comitatus, qui Regis nomine aureos à Iudæis recepit.

¶ *Efza Tedletis oppidum.*

ATefza duobus passuum millibus sitū est, familias habet ferè sexcentas in colliculo ad Atlantis radices sito, constructū. Multos hîc Mauros atq; Iudęos reperias, qui bernussi conficiunt. Incolæ aut alicui artificio, aut agricul-

culturæ ſunt addicti, parentq; Tefzanitarum im perio. Horum fœminæ lanificio ſunt præcellentes, adeo vt eas plus lucrari dicāt, quàm eiuſdem oppidi viros. Inter id oppidum & Tefzam præterfluit fluuiolus quidam, Derne incolæ vocant, naſcitur autem ex Atlante, ac per illius regionis campos fluens, tandé in Ommirabih delabitur. Habes ex vtraque fluuij parte hortos amœniſſimos atq; ſpacioſiſſimos, in quibus nihil fructuū deſiderare poteris. Ciues habet liberaliſſimos atque humaniſſimos, mercatorib. illac iter facientibus libere hortos ingredi, atque inde quantum velint fructuum ſibi decerpere licet. Nulla gens in perſoluendo debito tardior: nam etſi mercatores præſentes annumerant pecunias, ea lege vt ab oppidanis barnuſſum intra trimeſtre recipiāt, in integrū tamen interdum illis eſt exſpectandū annum. Ego in hoc fui oppido eo tempore quo Regis exercitus Tedletem occupabat, atq; tum ſe Regis dediderunt imperio. Regij exercitus duci, cùm ad hos ſecundo iam veniſſet quindecim equos totidemq; mancipia dono dederunt. Deinde &.15. vaccas obtulerūt, quo ſuæ erga Regem fidei atque animi fidem facerent.

¶ *Cuhiteba.*

AB Africanis in monte excelſo exſtructa, à prædicto oppido Occidenté verſus decem fere diſtat paſſuum milibus. Incolis ditiſſimis atq; nobilibus ditiſſima: & quoniam apud hos quoque barnuſſum confici ſolet, hinc fit quòd magna ſemper hic reperias mercatorū multitudinem. Perpetuæ hic niues in montis

M iugo,

iugo: qui ciuitati circumiacent campi, vineis ac hortis spaciosis sunt amœnissimi, prouenitque illis tanta fructuum copia, vt in foro nullos omnino fructus reperias. Horũ mulieres albissimæ, & quia pinguiores acceptissimæ, multoq; argẽto ornatæ incedunt: oculi atque capilli subnigri. Incolæ morosi plus satis, nunquã regis (qui Tedletis sibi deuicerat reliquas ciuitates) imperio pa rere voluerunt: quin duce quodam mille equites collegêre, qbus ita regio sese opposuerunt exercitui, vt non semel illi periculum fuerit, ne non quod partum erat, rursus amitteret. Posthæc Rex vnà cum fratre auxiliares suo Duci copias misit, verùm ille quoq; infausto pugnauit Marte. Tandẽ vbi bellum in totum triennium protraxissent, huius ciuitatis dux à quodam Iudæo regis iussu veneno necatus est: sic tandem hanc sibi quoq; Rex prouinciam nactus est, anno Hegiræ .921.

## ¶ *Eithiad.*

OPpidulum hoc in quodam Atlantis colliculo ab Africanis exstructum, familias numerat plus minus trecentas. Ex montis tantùm parte muros habet, nam ea facies quę planiciem respicit, tam est rupibus munita, vt muro nequaquam egere videatur. A Cithiteba miliaribus circiter. 12. distat. Templum hic angustum tamẽ ornatissimum est, quod circum se riuulum habet ad fluminis ferè modum. Incolæ ditissimi atque nobiles, frequentissima illis mercatorum tam incolarum quàm exterorum semper est copia. Qui hic habitant Iudæi, partim artem,

tem,partim mercaturã exercent. Innumeri hic fontes,qui per montis rupes erumpentes in fluuiolum oppido suppositum delabuntur. Ex vtraq; fluuij parte horti reperiuntur vuis,ficubus atque iuglandibus fœlicissimi. Costę item huius colliculi oliuis sunt feracissimæ. Mulieres nō minorem habent formę quàm ciuilitatis portionē, multo ornatæ sunt argento,annulos tum digitis tum brachiis addunt elegantissimos. Campus illis omnis generis frugibus,collis autem hordeo atq; capellis aptissimus est. Nostro æuo sibi Raoman Benguihazzan id oppidulum vsurpauit, ac ad extremum vsque vitæ diem eo potitus est. Ego quoq; ab huius regionis sacerdote hospitio exceptus fui, anno. 921.

¶ *Seggeme Tedletis mons.*

ETsi Meridiem respicit hic mons, tamen inter Tedletis mōtes adnumerari volunt. Initium habet ex Occidente à monte Tesauonio, extenditur autem Orientem versus ad montem Magranum, vnde & Ommirabih fluuius notissimus suum habere exordium dicitur. Meridies illum Dedete monte terminat. Huius accolas à Zanagatibus genus traxisse volunt: habiles sunt,alacres,animosi,belloq́ue valentissimi. Illorum arma sunt iacula,gladij incurui atq; pugiones. Mira illis quoque in mittendis saxis dexteritas atq; vis est. Continuum illis cum Tedletis incolis bellum geritur,adeò vt mercatorib⁹ illac transire non liceat,nisi fide publica interposita, maximoq́ue pecuniarum dispendio. Adeò non voluptariæ illorū sunt mansiones, vt ternæ

interdum aut quaternæ in vnam ſint conſtrictæ domus. Caprarum hic maxima eſt copia,nec nõ & mulorum aſini ſtaturam vix excedentium,hi pabulum ſibi iis in nemoribus quærunt, fitque ſæpenumero vt à leonib⁹ dilanientur. Nulli vnquam voluerunt parere principi,adeò enim ſcabroſus atque difficilis mons eſt, vt inexpugnabilis ferè videatur. Noſtro tempore conatus eſt dux ille qui Tedletis ſibi oppida deuicerat, & in hos quoq; mouere arma. Quod vbi montani animaduertũt,collecto copioſiſſimo exercitu, ſe in quodam montis loco condunt, quà mox tranſituros hoſtes ſciebant. Poſtquam verò vidiſſent equos omnes montem aſcendiſſe,ſubitò ex inſidiis irrumpentes ſe in hoſtes conijciunt.Bellum nõ admodum prolixum fuit, verùm pluſquam ſatis cruentum:ducis nanque exercitus montanorum vim ferre nõ potuit,neq; aſcendere,neq; deſcendere dabatur : quare cum hoſte cominus ad extremum vitæ ſpiritum dimicandum erat. Multi vnà cum equis à rupibus diſiecti, animam cadendo exſpirauerunt;reliqui aut capti,aut interfecti ſunt, adeò vt quenquã vix ſaluum inde aufugiſſe crediderim. Captiui autem omnium miſerrimi fuerunt:nam cùm viri captiuos interficere nollent,eos vxoribus dilaniandos dederũt, quæ miſeros non aliter ac ſi beluæ fuiſſent, crudeliſſimo affecerũt mortis ſupplicio. Ab eo tempore nullum omnino habuerunt cum Tedletanis commercium,neq; etiam illorum opera magnoperè egere videntur: magnã enim habet ille locus hordei,pecudũ,atq; fontium copiam : niſi

quod

quod fortasse ab omni mercatura excludantur.

*Magranus mons.*

ALiquantò vltra iamdictum montem situs est Magran⁹, qui ex Meridie Farclam regionem deserto confinem respicit: ex Occidente initium ferè sumit à Seggeme, in Oriente verò ad radices Dedetis finem habet. Perpetuis cooperitur niuibus, incolæ pecudib. atq; armentis opulentissimi, adeò vt non vno possint manere loco. Domos sibi ex quarundam arborũ cortice construunt, quibus tectum ex perticis gracilioribus compositum addunt: trabes huiusmodi sunt circuli, è quibus cistarum coopercu-lum, quam secum mulieres Italæ in muli dorso gerunt, cum aliquò proficiscuntur. Integra illis hunc in modum domus quibusdã circunfertur, mulis, donec locum aptum inuenerint: quẽ vbi nacti sunt, in eo domos figunt, ac cum tota familia tantum temporis remanent, quantũ gramen illis sufficere potest. Vernis tamen temporibus fixas sibi seruant mansiones, stabula componũt admodum humilia, quibus tectum ex frondibus consertum addunt, atq; in iis armenta noctu seruantur: & ne frigus illis impense noceat, ignem stabulo propinquum construunt maximum: fit autẽ sæpenumero, vt ignis ventis agitatus stabulum inuadat, adeò vt nisi pecus fuga saluti consuleret, in maximo esset vitæ periculo: quemadmodũ igitur nullos habent domus parietes, sic neque stabula. Maximo indies à leonibus atque lupis afficiuntur incõmodo. Vestitus atq; ritus illis omnino iidem sunt cum iis, quos

prædictum montẽ occupare antea diximus, nisi quòd hi domos ligneas, illi verò lapideas sibi habeant. Fuimus & nos in hac regione anno. 917. cùm Dara Fessam rediremus.

*Dedetis montis descriptio.*

EXcelsus atque frigidissimus hic mons fontes habet quàplurimos, totus nemorosus. à Magrano initium sumit ex Occidente, finiturq; non procul à monte Adesano: in Meridie Todgæ campis confinis est. patet autẽ in longum octuaginta ferè passuum millibus. In huius montis summitate antiquissima fuit fabricata ciuitas, cuius propter ruinam raræ tantùm hodie visuntur monumenta: muri nempè ex candidis lapidibus, in quibus quasdam inscriptiones videre licet, quas nec incolæ intelligere possunt. Permulti adhuc in ea perstant sentẽtia, vt illam à Romanis conditã arbitrentur: verùm ego nullum vnq̃ rerum Africanarum historiographum inueni, qui illud affirmet, aut qui de ea ciuitate scribat. Nisi quòd Serif Essacalli in quodam suarum historiarum libro Tedsi mentionem faciat, quam Segelmessæ atq; Daretæ confinem scribit: sed non indicat, sit ne in Dedete monte fabricata nec ne. Nos tamen eandem esse iudicamus: nam in ea regione non alia quàm hæc reperiri ciuitas potest. Incolæ, vt verum fatear, vilissimi sunt: horum pars maxima antra inhabitant: illorũ cibus hordeum est atque Elhasid, hoc est hordei farina aqua cum sale elixa, vti antea diximus, cùm Heæ regiones describeremus: nam nihil hîc omnino præter hordeum reperiri potest. Maxima illis capra-

caprarũ atq; asinorũ copia: antra aũt in quibus pecudes seruare solent, nitro mirum in modum sunt referta: adeò vt nõ dubitem si hic mons Italiæ vicinus esset, quin singulis annis inde plus q̃ 25000. aureorum prouentus colligeretur. Verùm tanta est illorum cùm ignauia tum inscitia, vt ad quid nitrum conducat prorsus ignorent. Tantam illi in vestibus præseferũt ignauiam, vt plusquã dimidia corporis pars nuda remaneat. Mansiones habẽt admodum deformes, multoq; caprarũ numero fœtidas. Toto hoc monte neq; castellum, neque oppidum inuenias muris cinctum: si quando domunculam exstruere velint, lapides tantum lapidibus sine aliqua calce super imponunt, tectum autem ex rudere conficiunt, quod & in quibusdam locis Sisæ atque Fabriani videre licet: reliqui vt iam diximus, antra inhabitant, neque vnquam me maiorem vidisse pulicum copiam memini, quàm apud hos. Sunt præterea & proditores, furtis, rapinis nec nõ & rixis addictissimi, ita vt vel minimo cõmoti verbulo, non rixentur modò, verùm & se mutuo interficiant. Neque Iudicem, neque sacerdotem, neque alicuius probitatis rectorem habent. Nullus hic mercator reperiri potest: nam cùm incolæ perpetuum agant ocium, nec operæ quicquã inter illos sit, nihil mercatoribus est negotij. Quòd si quis merces per illorum regionem deuehere studuerit, nisi ab illorum duce fide publica sit munitus, ei periculum est, ne bonis omnibus spolietur. Si verò merces illorum non videantur conuenire necessitatib. harum partem quartam pro-

tributo ſibi exigunt. Horum mulieres ſordidiſſimæ, multoque quàm viri pannoſiores. Illarum conditionem aſinorum poſthabendam dixeris, adeò perpetuis ſunt laboribus impeditæ: atque vt ſemel dicam, nullus fuit in tota Africa locus qui magis me tædio affecit: tamē illac mihi iter neceſſariò fuit, dum cuiuſdam iuſſu Marocco Segelmeſſam proficiſcerer, anno. 918.

# Ioannis Leonis Africani deſcriptionum Africæ rerumq; in ea memorabilium LIBER TERTIVS.

*Feſſæ exactiſſima delineatio.*

FESSÆ regnum in Occidente à flumine Ommirabih initium ducit, finitur autem in Oriente Miluio flumine: Septētrio Feſſam partim mari Oceano, partim Mediterraneo claudit. Diuiditur autem Feſſa in ſeptem regiones: Temeſnen, Feſſæ tractum, Aſgaram, Elhabetum, Erriſam, Garetum, & Elchauſum: habuitq; quondam harum quælibet ſuum ducem: neq; ſemper Feſſa regiam habuit ſedem, ſed à quodam Apoſtata extructum, remanſit ibi huius poſteritas annis ferè centum & quinquaginta. Huic ſucceſſit Marinorum familia, quæ omnium prima Feſſæ regni dedit nomen, ſuaſq; hic fixit ſedes, idq; rationib. quibuſdam, quas in eo libello, quē de rebus Mahumetanis ſcripſimus, copioſius enarrabimus. nūc ſingulas partes ſuo ordine, ſum

mo

mo quoad fieri poterit cõpendio, perstringamus.

¶ *Temesna Fessæ regio.*

IN Occidente initium habet à flumine Ommirabih, finiturque Orientem versus Buragrago fluuio: Meridies hanc regionẽ Atlante, Septentrio autẽ mari Oceano claudit. Perpetua est planicies, patetque in longum ex Occidente Orientẽ versus octuaginta ferè passuum millib. ab Atlante autem ad Oceanum vsque sexaginta circiter numerantur miliaria. Fuit ferè semper hæc regio totius Africæ caput; habuit namq; oppida plus minus quadraginta, castellã verò trecẽta, quę incolas omnis generis Barbaros habuit. Anno Hegiræ trecentesimo vigesimo tertio, à tributo liberata fuit à quodam concionatore hæretico, Chemim Mennal filium vocabant. Hic populo Fessano nullum principi neq; tributũ neq; honorẽ exhibendum persuasit, quòd homo esset plus satis iniquus: tum etiam se prophetam professus est: quare mox nõ religionis modò, verùm etiam & totius Reipub. negotia sibi vsurpauit. Tandem bello cõtra Fessæ regem moto (hic cum Zenetis bellum gerebat) eò res rediit, vt pacis leges hæ fuerint inter illos sancitæ, quòd hic Temesnam, ille verò Fessæ sibi ditionem seruaret, neque post hæc alter alteri quicquam noceret. Tenuit hic imperiũ annis circiter trigintaquinque: post hunc verò eius successores annis ferè centum regno potiti sunt. Ast vbi Iosephus Maroccum condidisset, conatus est & hunc in suam redigere ditionem. misit ergo doctores atq; concionatores quamplurimos, qui hominem ab hære-

resi

resi auocarent: atque, si modò fieri posset, sine armis illius se dederet imperio. quod vbi incolæ animaduertunt, vnà cum prædicti concionatoris cognato in quadam vrbe (Ansa vocabant) consilium inierunt, vt legatos Marocci regis interficerét: quod tandem fecerunt. post hæc exercitu quinquagintà millium collecto, Maroccum eo animo suas traduxere copias, vt Luntinos cũ principe régno expellerét. Hoc vbi nuncium ad Iosephum allatum esset, dictu mirum, quantum inde conceperit animi mœrorem. Expeditissimo igitur atque numerosissimo exercitu non hostium expectauit aduentum: quin agmen ex insperato Temesnam tertio duxit die, atque iam Ommirabih cũ suis transmiserat, cùm Temesnitę huius perterriti copiis, Buragragum fluuium transmiserant, Fessamq; omnes confugiebát. Rex autem adeò totam depopulatus est Temesnam, vt ne puellis qdem pepercerit, quin omnes gladio subiicere iusserit. Remansit huius exercitus per octo menses in ea regione, atque ciuitates omnes sic deleuit, vt exigua tantùm hodie illarum videre licet monumẽta. Fessæ verò rex vbi Temesnitas iam aduentare intellexisset, induciis cum Zenetis pactis, se cum ingenti exercitu in horum copias conuertit. Hos tandem ad Buragragũ multa iam fame atque inedia fractos repperit, illisq; vlterius progregiendi omnem facultatem ademit, quare præruptos montes atq; syluas adire coacti sunt. Postremò regiis copiis circumacti, nonnulli fluminis aquis submersi, alij ab excelsis rupibus præcipitati, reliqui ab hostibus miserè trucidati

sunt

ſunt. Decem igitur menſium interuallo, adeò omnes Temeſnitæ deleti ſunt, vt perpaucæ admodum relictę ſint ab eo bello eius populi reliquiæ. Luntunorum porrò Rex Ioſephus poſthæc Maroccum redijt ſuas copias reparaturus, quò Feſſę Regem bello peteret. Temeſnam autem habitatoribus vacuam, feris tantùm inhabitandam reliquit. neque prius nouos ea regio ſibi incolas recepit, quàm centum & quinquaginta pòſt annis Manſor à Tuneto rediens quoſdam ſecum Arabes adduxit, quibus Temeſnam inhabitandam reliquit. Hi tantiſper ſibi id regni occupauere, donec quinquaginta ab eo tempore annis Manſor regno pulſus eſt: atque tum demum à Luntunis eiecti, ac in extremam calamitatem redacti ſunt. Quibus tranſactis Marinorum Rex Zenetis atque Haoaritis eam regionem dono dedit. Hinc factum eſt quòd Zeneti atque Haoaritæ Luntunis vt plurimũ ſemper fauiſſe, ac à Marocci principis impetu ſecuros reddidiſſe creduntur. Ab eo ergo tempore Temeſnam tranquillè occuparunt, ac in tantum nunc creuiſſe dicuntur (centũ annis ni fallor illorum vix ſtetit imperium) vt regẽ Feſſæ nihil formident. equites enim. 60000. aut eò plus numerant, caſtra verò ducenta. Ego maximam cum illis habui conſuetudinem atq; notitiam, quare & ſingula quæ hîc memoratu digna reperiuntur, enumerabo.

### *Anfa Temeſnes oppidum.*

AMpliſſimũ hoc oppidum à Romanis in Oceani littore exſtructũ, ab Atlante Septentrionem verſus ſexaginta; ab Azemuro

muro Orientẽ versus totidem, à Rabato autem Occidentẽ versus, quadraginta distabat passuum milib. Ciues habuit humanissimos atque opulentissimos: ager illis omnibus frugum generib⁹ fœcundissimus: neq; est vlla in tota Africa ciuitas, quę cum hac situ locique amœnitate certare queat. Planicies illi (præterquã in Septentrione, nam ea parte mare respicit) patet in longum octuaginta fere passuum milib. Templa quondam habuit magnificè exstructa, officinas complures, palatia insignia: cuius rei facilè fidẽ facient, quæ in hunc vsq; diem relicta sunt monumenta. Spaciosi illis fuere horti, è quib⁹ & hodie magna fructuum copia decerpitur, melonum præsertim ac citrioli: quæ omnia maturitatẽ medio Aprili attingũt. quare incolæ suos fructus Fessam deferre solent, quod multò citius matura colligantur, q̃ Fessæ. Vestitus illis cultus est atq; ornatus, fuitq; summa eis semper cum Lusitanis ac cum Anglis consuetudo. Eruditorum hîc copiosus numerus est. Verùm duas ob causas huius loci ruinam euenisse volunt, primò quòd supra modum libertatem ambiebant, secundò quòd myoparones in portu habebãt, quibus Gades atq; Lusitanos miris indies vexabant incõmodis. Quare tandem Portugalliæ Rex classem expeditissimam quinquaginta nauium ad eos misit, quæ incolis tantum terroris intulit, vt illi arreptis secũ quæ poterant bonis, Rabatum nonnulli, alij Selam confugisse dicantur, hostibus eam vrbem depopulandam relinquentes. Qui autem à Rege totius classis dux missus erat, fugę omnino ignarus, suas

co-

copias accurate inſtruit. Poſtea verò quæ geſta erant à quibuſdá intellectis, milites in vrbem introduxit, quam vnius diei ſpacio ſic vaſtarunt, domos incendio deleuerunt, atq; muros multis locis ſolo æquarunt, vt in hunc vſq; diem habitatoribus vacua remanſerit. Ego cùm huc veniſſem, vix lachrymas tenere potui, vbi quorũdam ædificiorum atque templorum (quorum adhuc quædam exſtabant monumenta) miſerandam ruinam ſeriò contemplatus fuiſſem. Horti etſi nonnihil adhuc fructuũ producant, ſyluas tamẽ dicas magis quàm hortos. Nunc autem Feſſanorum iniuria ad tantam redacta eſt ea vrbs calamitatem, vt nulla prorſus ſpes ſit, nouos in poſterum colonos recipiendi.

### ¶ *Manſora.*

A Manſore Marocci rege ac pontifice in amœniſſimo campo extructum eſt oppidulum, ab Oceano duobus, à Rabato quinque & viginti, ab Anfa verò totidem diſtat miliaribus: familias olim numerauit fermè quadringentas. Hoc oppidum alluit fluuius quidam quem Guir incolę appellant, feliciſſimos habuit vtrinque hortos, verùm nunc nihil hic omnino fructuum reperire licet. Exciſa enim Anfa, huius incolæ relicto oppido Rabatum confugerũt, metuentes ne à Luſitanis ſimili vexarentur incommodo. Huius tamen murus vbiq; integer remanſit, niſi quibuſdam in locis Temeſnitę ſolo æquarunt. Hoc ego etiam oppidum non ſine maximo animi mœrore inuiſere potui: faciilimè reſtaurari, nouiſque incolis reparari poſſet,

ſi quis domos aliquot à ruina reuocet: ſed tanta Temeſnitarum nequitia eſt, vt neminem hic ſibi ædeis exſtruere paterentur.

¶ *Nuchaila.*

MEdio ferè Temeſnæ exſtructũ fuit oppidulum quoddam non vſqueadeo amplum, Nuchaila incolæ vocauere. Inhabitatores olim habuit quamplurimos, fueruntq; illis iis temporibus quibus hęretici id imperium tenuerũt, nundinæ annuæ, ad quas omnes totius Temeſnæ ſolent accurrere mercatores. Ciues habuit ditiſſimos, planicies enim illis omni ex latere quadraginta ferè in longũ patebat paſſuum milib. Ego me apud quendam hiſtoriographum legiſſe memini, tantam illis fuiſſe frugum vbertatem, vt quantum camelus frumenti ferre poterat, pro calceorum pari commutauerint. Cùm autem Ioſephus Temeſnæ Rex eam regionẽ vaſtaret, deletum eſt & hoc oppidulum cum omnibus cæteris, quæ tum ea regio capiebat ciuitatibus: hodie tamen aliquot huius monumenta videre licet, partes nempe quaſdam muri, item turrim quandam templi eminentiſſimã. videas & hic hortos quoſdã ſpacioſiſſimos, vitibus atq; arboribus cõſitos, quæ propter ætatẽ nihil quicquam fructuum producunt. Vbi agricolæ illius regionis penſum diei abſoluerunt, raſtros, aliaq; id genus ruſtica inſtrumẽta in hanc turrim reponunt: arbitrantur namq; eximiæ ſanctitatis virum hic ſepultum, cuius vi effectum credunt, vt nemo huius terrore aliena loco amouere inſtrumenta audeat. Sępiſſimè hoc ego oppidulũ vidi,

cum

cum mihi Rabato Maroccum iter esset.

## *Adendunum.*

INfra quosdam colliculos exstructũ fuit hoc oppidulum, ab Atlante quindecim ferè miliaribus, à prædicto autem oppido viginti & quinque situm erat. Ager illis frugibus ferendis felicissimus. Nõ procul ab huius muris nascitur insignis quidam riuus. Innumeras hîc reperias palmas, verùm humiles admodum atque infrugiferas. Riuus per valles atque rupes preterfluit, vbi ferrifodinas olim fuisse affirmát, quòd partim ex terra ferri colorem referente, partim ex aqua gustu ferrum arguente, facilè deprehendi potest. Nihil hic præter perexigua quædam visuntur monumenta, domorum ruinas, columnasque humi prostratas: deletum enim id oppidulum fuit eo tempore quo totam eam regionẽ vastatam antea docuimus.

## *Tegegetum.*

AB Africanis in littore Ommirabih exstructum est, ea via, quæ à Tedlete Fessam ducit. Incolas aliquando habuit ciuiles atq; ditissimos, non enim procul distat à quadam via publica, quæ ab Atlante ad desertum tendit: huc omnes vicini confluere, atque frumentum inde auehere solent. Excisum etiam fuit & hoc oppidulum eo tempore quo aliæ oẽs ciuitates, quanq̃ longo pôst tempore nouos receperit incolas. Huc omnes Temesnitæ frumentum cõuehunt, quod à ciuibus seruatur. nullam hîc omnino officinã, nullumq; adeò artificem, preter quosdam fabros ferrarios reperias, qui agricolarum instrumenta,

so-

soleasq; ferreas cudant. Ciuibus autem ab Arabibus, quorum imperio parent, serò iniunctum est, vt exteros omnes illac iter facietes, honorifice excipiant. Mercatores pro panni aut telæ sarcina Regalis vnius portorium exsoluunt: ab equis aút ac camelis nihil sibi tributi exigunt. Mihi sæpissime illac iter facienti oppidum non admodum placuit, etsi illorum ager frugibus atque armentis sit felicissimus.

¶ *Haim Elchallu.*

EXiguum admodum oppidulum est, non procul à Mansora conditum in quadam planicie. Hîc frequentissimæ corni, aliæq; arbores reperiuntur spinosæ, fructum ferunt rotundum, cerasis non admodum dissimilem, nisi quòd crocei sint coloris: magnitudine oliuas excedunt, estq; exterior pars saporis nõ adeò grati. Frequẽs hic palus maximam habet testudinum atque rubetarum copiam: rubetas autem non venenatas ab illius loci incolis intelleximus. Nemo inter historicos Afros est, qui huius aliquam dederit descriptionem, propterea fortassè, quòd vix oppidi nomine digna putauerunt, vel quòd olim euersum fuerit atque destructum. Neque ab Africanis, quantum videre licuit, conditum est: verùm à Romanis, aut ab alia quauis gente nõ nota exstructum existimarim.

¶ *Rabati descriptio dilucida.*

MAximum hoc atque amplissimum oppidum, non multis abhinc annis à Mansore Marocci rege atque pontifice constructum in Oceani littore. Hoc ex Oriente alluit

flu

fluuius, quem Buragragũ antea nominauimus, vbi & se in Oceanum fundit. In Buragragi gurgite rupes est, quæ ab vna parte fluuium, ab alia verò mare habet Oceanum. Quod ad structuram pertinet, aut ædificia, Marocco non dissimilem dixeris, cùm Mansor id sedulò imitari iusserit: nisi quòd multis partib. angustius sit Marocco. Quòd autem eò loco conditum fuerit, hanc illi adferunt rationem, quòd Mansor Granatense regnum & bonam Hispaniæ partem occupans, vidit Maroccum adeò longè hinc abesse, vt si quod bellum ingrueret, non posset aduersus Christianos auxiliares copias mittere: quare oppidum in maris littore condere statuit, vbi tota æstate cum suo exercitu remaneret. Suaserant nónulli vt in Setta (quę ciuitas ad fretum Calpes sita est) cum suis remaneret: verùm Mansor cùm ea ciuitate propter soli penuriam non posset regios milites tribus vel quatuor mensibus alere, breui admodum temporis spacio hoc sibi construxit oppidum, quod mirũ in modum templis, collegiis, palatiis, officinis, hypocaustis, xenodochiis, aliisque id genus structuris ornandum curauit. Tum extra vrbis mœnia ea parte quæ Meridiem respicit, turrim quandam Maroccenæ turri persimilem composuit, sed ampliori multò cochlea, adeò vt terni equi turrim ascendere commodè possent: à summitate autem turris naues in mari quamlongissimè dissidentes videri possunt. Eius sanè meo iudicio altitudinis est, vt nõ facilè ædificium reperiri posse putem, quod hanc altitudine superet. Atque quò maior huc vndiq; con-

N flueret

flueret artificum atque mercatorum copia, statuit vt cuilibet pro officij aut exercitij ratione annua etiam prętereà numeraretur pecunia, quò factum est, vt intra paucos menses ea ciuitas omnis generis artificib. atque mercatorib. refertissima ferè totius Africæ euaserit, eò quòd duplum ciuibus contingebat lucrum. Hîc Mansor cum suis ab Aprilis initio in mensem vsque Septembrem remanebat. Et quoniam ei loco non erat aqua potui accõmoda (mare enim ad milia ria fere decem in fluuiũ irrumpit, putei item sal sam tantùm habent aquã) Mansor per quosdam aquęductus à quodam fonte miliarib. duodecim inde distãte aquam huc deriuari curauit. Aquæductus autem per arcus composuit, quales permulti reperiuntur in Italia, & Romæ potissimũ. Vbi in ipsum oppidum protractus esset aquæductus, illic in plures partes distribui voluit, quarum quædam aquam in templa, aliæ in collegia, aliæ in Principis aulam, cæteræ autem ad fontes cõmunes per omnes ciuitatis vicos mitterent. Post mortem verò Mansoris, id oppidum ita collapsum est, vt decima vix hodie pars videri queat. Egregius ille aquæductus eo bello deletus est, quod Marini cum Mansoris successorib. gesserunt, decrescitq́; indies magis ac magis nobilis illius vrbis imperium: adeò vt quadringẽtas vix hodie domos in tota vrbe reperias quæ habitatores habeant, reliquæ in campos atque vineta mutatæ sunt. Circa rupem duæ adhuc sunt aut tres plateæ in quibus officinas aliquot reperias, neque tamen periculo carent, nam quotidie à

Lu-

Lusitanorum exercitu sibi excidium inferri timent: cùm Portugalliæ Rex nō semel in animo habuerit hos armis adoriri, sperās fore vt ea vrbe sibi deuicta, facile ad reliqua Fessæ regna pertingeret. Summis tamen viribus hanc semper Fessæ rex seruauit, atque quantumq; potuit in aduentantes hostes munitam reddidit. Ego huius præteritam felicitatē cum præsenti rerum omnium mutatione conferens, non possum sanè quin lachrimis miserandam illorum vicem prosequar.

¶ *Sella.*

Oppidulum hoc nō procul à flumine Buragrago à Romanis exstructum, ab Oceano duobus miliaribus, à Rabato aūt vno tantùm miliari sitū est: per quod si quis Oceanum adire velit, iter sit peragēdum. Iisdem quoque temporib. deletum est, quibus vt antè diximus, hęretici inferiores euasere. Postea verò Mansor nouis illud cingi mœnibus curauit, ac in eo xenodochium egregium cum palatio magnifico exstruxit, in quo se eius milites vbi videretur recipere possent. Amplissimū item hîc templum locauit, in quo aulam opere vermiculato fenestrisq; vndiq; elegantissimis superbam construi voluit, atque vbi se morti proximum vidit, suis iniunxit vt corpus in ea aula sepelirent. Quod vbi sic factum esset, marmoream tabulam illi ad caput, vnam item ad pedes posuerūt, in quibus varia sunt descripta epitaphia. Hoc sequuti omnes eiusdem familiæ magnates, in eadem aula sepulturam sibi delegerunt. Idem à Marinis factitatum legimus, cùm illorum adhuc floreret

Respub. Ego eandem aulam aliquando ingressus, triginta ibi procerum sepulchra numeraui, omniaque sedulò epitaphia excerpsi: id autem Anno euenit Hegiræ .DCCCC.XV.

¶ *Mader Auuan.*

NOstris temporibus à quodam conditum est pontificis Habdulmumē thesaurario, in ripa fluuij Buragragi. Neq; desunt qui propter quasdam ferrifodinas tantùm exstructum affirment. Ab Athlante decem distat passuum milibus, reperiunturq; inter Athlantem & hoc oppidum nemora vmbrosa ingentibus leonibus atque leopardis plena. Tantisper dum penes conditoris posteros huius dominium remansit, fuit incolis, edificiis, templis, hospitiis, atque xenodochiis refertissimum: verùm quotidie magis ac magis ingruente Marinorum impetu, tandem ab illis deletum est. Incolæ partim trucidati, partim capti, & partim in fugā redacti Sellam confugerunt. Missæ erant à Marocci rege auxiliares copiæ, at ciues viribus victi, oppidum deseruerant, atque in deditionem Marinorū con iecerāt. Verùm aduentante à Marocco dux quidam cum exercitu numerosissimo, Marinum du cem oppido pellit, atq; ipse sibi eius imperium assumit. Tandem verò ipse Marinorum rex cum suis copiis, cùm fortasse Maroccum peteret, hac sibi iter instituit: qua re perterritus qui prædictum tenebat oppidum, antequam Rex adesset fuga salutem sibi quæsierat. Rex verò ciuibus omnibus interfectis, oppidum adeò destructum reliquit, vt ab eo tempore nullos habuisse incolas

las dicant. Visuntur & in hunc vsq; diem huius muri atque templorum quorundam turres. Ego hanc eo tempore visi, quo Fessæ Rex pacem cum suo cognato composuit, cumq; Thagiam proficisceretur, quò sepulchrum eximiæ sanctitatis viri inuiseret (Seudi Buhasa vocabant) id Anno euenit. DCCCC.XX. qui Christi fuit. M.D.XI.

## ¶ *Thagia Temesnæ ciuitas.*

ANgustum admodum est oppidum ante aliquot sęcula ab Africanis inter quosdã Atlantis montes exstructũ. Cœlo vtitur frigidissimo, agrum habet plus satis aridum ac sterilẽ. Vastissimas habet syluas leonibus aliisq; feris refertas. Exigua hic frumenti prouenit copia, sed id abundè mellis atque caprarũ pensatur affluentia. Nullam apud hos reperias ciuilitatẽ, domos habent rudi admodum modo fabricatas, nullum enim habẽt calcis vsum. Visitur hic egregium quoddã summę sanctitatis viri sepulchrũ, qui tẽpore Habdulmumen pontificis multa edidisse cõtra leonum sæuitiam miracula creditur, quare ceu vates summus à mnltis est habitus. Memini me huius miraculorum enumerationẽ, apud quendam illius gentis scriptorem legisse, quem Etdedle vulgò nominabant: verùm ea ne arte magica, an miro aliquo naturæ secreto effecerit, incertũ est. Huius interim fama, summaq; reuerẽtia in causa est, quòd id oppidum incolas habeat frequentissimos. Fessani quotannis mox transacto paschatis festo, huc sepulchri visendi caussa confluere sólent, idq; tanta cum hominũ caterua, vt exercitum iure censeas, quisque enim

ſuum tentorium, & quæ vitæ neceſſitati conuenire videntur ſecum deuehi curat, ſic gregatim centena tentoria aut numero interdũ plura incedunt. Totis quindecim diebus in eo ſunt itinere, diſtat enim id oppidũ à Feſſa C. XX. ferè paſſuum milia. Ego aliquoties cum patre illuc puer profectus ſum, & in virili ætate me propter crebra vota in leonum periculis nuncupata, ſæpiſſimè admodum recurrendum fuit.

## ¶ *Zarfa.*

IN ſpacioſa atq; amœna Temeſnes planicie conditum fuit ab Africanis hoc oppidum, fluuiolos atq; fontes habet limpidiſſimos. Circum antiqua vrbis veſtigia, frutices permultos, ficus, cornos atque ceraſos inuenias, quæ huiuſmodi ceraſa producũt, qualia Romani vltramarina appellare conſueuerunt. Spinoſæ præterea hic arbores ſunt, cuius fructum Arabes Rabich nominant. Aliquanto minor eſt ceraſo, ſapore autem Zizipho non adeò eſt diſſimilis. Reperias & hic paſſim palmas quaſdam ſylueſtres, Vnde fructum quendam oliuæ hiſpanicæ non multò diſſimilem decerpunt, niſi quòd nucleus maior, ſaporis verò non tam grati ſit: ſorbi propemodũ ſaporem habere dixeris, anteq̃ ad maturitatẽ peruenerint. Oppidũ vnà cum hęreticis deletũ fuit, nunc illorum poſſeſſiones Temeſnitarũ ſementẽ ſuſcipiunt, idq; ſummo fit cum frugũ fœnore.

## ¶ *Feſſæ tractus.*

EX Occidente à Buragrago flumine initiũ habet, diſtenditq; ſe Orientem verſus ad fluuium vſq;, quem Inauem vulgò dicũt: di-

diſtant autem ab inuicem hi fluuij centum ferè miliaribus. In Septentrione fluuio Suba, in Meridie verò Atlantis radicibus finitur. Ager illis tam frugibus, fructibus atq; armentis abundans, vt nulli planè cedere videatur. Pagos hic vbique maximos reperias, quos oppida non immeritò appellaueris. Planicies præteritorum bellorum iniuria adeò vaſtata, vt paucos admodū iam habeat incolas, niſi quòd miſeros hic quoſdam inuenias Arabes, quorum nonnulli proprium habent agrum, nōnulli cum Feſſanis, alij cum Rege aut cum quodam aulico cōmunem poſſident. Porrò Salæ atq; Mecnaſæ ager à quibuſdam Arabibus nobilioribus colitur, ſubijciturq; vt plurimum Regi Feſſæ. Nūc quæ hic memoriæ digna reperiuntur, ſuo quoq; loco enumerare decreuimus.

¶ *Sela.*

VRbs antiquiſſima à Romanis cōdita, poſt à Gothis vi occupata. Deinde cum Mahumetanorum exercitus eam regionem ingreſſus fuiſſet, Gothi eam Mahumetico duci Tarico in manum dederunt. Verùm ab eo tempore quo exſtructa fuit Feſſa, cœpit hęc vrbs Feſſanis parêre ducibus. Sita autem eſt in littore Oceani loco amœniſſimo à Rabato ſeſquimiliari vix diſtante, ſic vt Buragragus fluuius duas has vrbes ab inuicem dirimat. Hic ædificia antiquitatem præ ſe ferunt, domus opere vermiculato marmoreiſq; columnis admodū ſuperbæ. Templa ornatiſſima, officinæ ſub porticib. latiſſimis compoſitæ. Poſt verò multas officinas arcus eſt qui (vt illi volunt) artem ab arte diuidit. ac (vt

vno dicam verbo ) omnia hic reperias, quæ ad vrbem ornatissimam atq; Reip. statum elegantissimum pertinere videntur. Adde quòd vnus hic Fessæ portus frequẽtissimos omnis generis mercatores tam Christianos q̃ alios recipit. Huc Genuenses, Veneti, Angli, atq; inferioris Germaniæ populi se recipiebant. Anno Hegiræ . DCLXX. à Castellano quodam duce occupata fuit, incolis fugatis, Christiani sibi vrbẽ reseruarunt. At pòst quàm eam per decem tantùm dies occupassent, à quodam Iacob primo Marinorum rege adorti, (idq́ue ex improuiso: non enim putabant illum ab eo instituto posse desistere quod iam in Telemsinos cœperat) oppidani inferiores remanserũt. Maxima horum pars interfecta, reliqui fuga salutem sibi quæsierunt. Ab eo tempore Rex ille ceu princeps omnib. exoptatissimus illarum rerum potitus, atq; post hunc regno successerunt qui ex eadem stirpe ortũ ducebant. Et quamuis intra paucissimos dies hæc vrbs hostibus fuerit rursum adempta, non tamen facilè quis credat, quãta interea inciderit cùm domorũ tum Reip. stat⁹ immutatio. Vbiq; hic inuenire licet domos vacuas, idq́; circa mœnia potissimũ: quæ quãuis multo opere vermiculato marmoreq́; elegantissimo sint ornatissimæ, nemo tamẽ est, qui eas inhabitare velit. Quę ciuitati circumiacẽt loca, arenosa sunt: quorũ permulta frumẽto non admodũ sunt apta, sed hortos habent atq; campos lino xilino feracissimos. Incolæ vt plurimũ gossipiũ texunt subtilissimũ. Conficiuntur itẽ & hic pectines elegantissimi, qui per totum Fessæ regnũ di-

diſtrahũtur, habet enim ea regio buxi alteriusq́; ligni ad id peragendũ aptiſſimi bonam copiam. Compoſita admodum eſt in hunc vſq; diem illorum Reſp. doctiſſimi hic iudices, rectores atq; legis adminiſtratores ſunt. Innumeri illic Genuenſes, mercatores ditiſſimi à rege in ſummo ſemper habiti ſunt precio : nam ex illorũ induſtria haud paruũ quotannis ſibi colligit emolumentum. Mercatores partim hîc, partim Feſſæ ſuas habent menſas: atq; quod ad mercaturę tractum attinet, mutuam illi inter ſe operã prębent. Hos ego in negotiis atq; mercaturis peragendis inſigniter liberales intellexi: nihil non attentare audent, quò aulicis grati euadant, neq; id lucri gratia, ſed vt apud exteros etiam candidi vocari meritò poſſent. Meo tempore in Regis aula quendã vidi Genuenſem, quem Thomam Marinum vocabant, hominem ſanè doctum atq; ſapientem, hic à Rege ſummo profectò honore ſemper excipiebatur. Poſtquam iam triginta ferè annis in regis aula vixiſſet, vita defunctus à rege Genuã, vti morti proximus petierat, cadauer mitti iuſſum eſt. Reliquit mercator ab obitu multos in Regis aula filios, qui & ditiſſimi, & Regi per omnia amantiſſimi perhibentur.

¶ *Fanzara*.

OPpidum eſt nõ admodum amplum, ſed in amœniſſimo quodam campo à Rege Machidin conſtructũ, à Sela decem ferè paſſuum milia diſtat. Eſtq́; illis ager frumento cæteriſque frugibus mire abundans. Extra vrbis mœnia nõ procul à muro frequentes admodum

lim-

limpidosque inuenias fontes, quos hoc loco ab Abulchefeno Fessæ Rege exstructos ferunt. Temporibus Abusahidi qui vltimus Marinorum rex fuit, eius cognatus (Sahid vocabant) à Granatensium Rege Habdilla captus fuit; qui suum cognatum Fessæ Regi per literas orauit, vt summam quandam argenti, à Granatensiū Rege exactam mitteret. Quod vbi Rex facere denegasset, mox Habdilla suum captiuū libertati restituit, ac cum maximo exercitu Fessam misit, quò oppidum ipsumq; regem perderet. Sahid posthæc montanorum quorundam Arabum auxiliis adiutus septem annis Fessam obsidione cinxit, quo tempore deleta sunt omnia oppida vicina, oēs pagi atq; vici ferè totius Regni. Postea autem pestis inter milites suborta, ipsum ducem cum bona sui exercitus parte abstulit: Anno Hegiræ. 918. Deleta verò illa oppida nunquam nouos ab eo tempore incolas receperunt, præcipuè Fanzara quæ principibus quibusdā Arabibus, qui Sahid in auxilium venerant, inhabitanda tradita est.

¶ *Mahmora.*

MAhmora angustiss. oppidulum à quodā Muachidinorū rege eo loco conditū vbi Subo fluuius in mare labitur, distat tamen à mari ferè sesquimiliare, à Sela autē miliaribus plus minus duodecim. Quæ circumiacēt loca, omnia sunt arenosa. In hoc porrò exstructū fuisse ferūt, vt hostes à fluminis ingressu arceret. Haud procul ab oppido sylua est arboribus excelsis referta, quarum glandes magni atque oblongi, prunis Damascenis non admodum dissimiles

miles, gustu verò atque suauitate castaneas vincunt. Vicini bonam horum partem Fessam conuehunt, maximamq; inde pecuniæ vim colligũt, nisi quòd maximu semper illis instet à leonib. periculum, qui quum sint totius Africę maximi, necnon & hominibus atque pecudibus infestissimi, solent non rarò in eos sæuire qui hunc fructum colligunt, nisi sibi hoĩes prouídere sciant. Ab hinc Annis centum & viginti id oppidum eo bello deletum est, quod Sahid cum Fessæ rege gessisse diximus, neq; inde quicquam remansit, præter exigua quædam raraq; admodum vestigia, quæ angustissimum fuisse oppidulum declarant maximè. Anno Hegiræ . D C C C C. XXI. Portugalliæ Rex numerosum huc misit exercitum, vt propugnaculum in amnis ostiis exstruerent, id mox vbi eò appulissent cœptũ est. Iam iacta erant fundaméta, iam muros in altum extollere cœperãt, cùm à Fessæ regis fratre illis institutum est interruptum: quin vna nocte tria ferè Lusitanorũ milia à Fessanis sunt interfecta, idq; in hunc euenit modum: Lusitani quadam nocte ante Solis exortum trium milium exercitu collecto, eo animo Fessanos inuisére statuerunt, vt bombardas omnes secum in nouam arcem abducerent. id autem incogitanter ab illis factum est, cùm numero tantùm .3000. essent, Fessani autẽ peditum. 50000. equitũ verò. 4000. numerabãt. Verùm Lusitani milites tam astutè se suum negocium peracturos sperabãt, vt prius quàm Fessani ad arma prosilirẽt, illi bombardas in arcem, quæ inde duobus distabat miliaribus, ad-

aduehérent. Qui bombardas obſeruabant milites, numero ferè.7000. cùm Luſitani in eorum caſtra veniſſent,ſomno oẽs ſeſe dederant, fuitq́; res tam fauſto Marte attentata, vt ad integrum fermè miliare bombardas auexerint, priuſquam id hoſtes animaduertiſſent. Verùm rumore tandem neſcio quo oborto,mox ſe Feſſani ad arma parauerunt, ſummoq́ue impetu Luſitanos ſunt inſequuti, qui mox agmine in vnum cõtracto, prælio omnes ſe cõpoſuerunt. Et quamuis vndique ſe hoſtibus incluſos viderent,tam non timuerunt, vt etiam ſummo impetu ſe in hoſtes coniecerunt, tantoq́ue animo pugnauerunt, vt facilè ſalui ad ſuos rediiſſent, niſi ſceleſtiſſimi quidam nebulones Feſſani Luſitanorum lingua clamitaſſent: Ponite arma ſocij,iam pax eſt cum Regis fratre ſancita.Quod poſtquam Luſitani feciſſent, Mauri,vt ſunt admodum inhumani,hos omnes interfecerũt, tribus tantùm aut quatuor demptis,qui ducis miſeratione ſalui euaſerunt. Hac ſtrage fractus Luſitanorũ dux (in eo namq; prælio omnes amiſerat, quorum virib. maximè fiſus fuerat)auxilium ab alio quodam petiit,qui cum claſſe exſtructiſſima, cumq́; nobilium magna multitudine huc venerat. Atqui ille à Feſſanis impeditus (hi illũ quotidie maximis vexabant incommodis, adeò vt multæ eſſent naues ſubmerſæ) non potuit quod in animo erat perficere. Interea rumor de Hiſpaniarũ regis morte inter Luſitanos ſparſus eſt, ita vt permultæ naues adornarentur, quæ in Hiſpaniam innumeros propemodum Luſitanos veherẽt. Ille etiam qui

qui relictus erat nouæ arcis dux, vbi se ab omni auxilio destitutũ vidit, relicta arce naues intrare voluit, quæ tum in ipso flumine erant. Verùm facto in recessu totius ferè classis naufragio, sclopettariorum impetum euitare studentes, arenæ sese infigebant, cùm non adeò altum eo loco flumen esset, atque à Mauris miserè interficiebãtur. Quamplurimæ hìc naues igne consumptę sunt, machinæ autem bellicæ in mare sunt dilapsæ. Adeò magna fuit illa Christianorũ strages (decem milium scribunt nonnulli) vt totis tribus diebus maris vndæ eo loco multo fuerint sanguine tinctæ. Posthæc Fessanus in fundo maris quadringenta repperit tormenta ænea. Duabus igitur ex causis maxima hæc Lusitanis obuenit calamitas: primò quòd temerè vel minimo militum numero Fessanos aggredi sint ausi, quos tamẽ adeò potentes sciebant. Deinde quòd cùm Lusitanus propriis sumptibus ad hanc expeditionem classes mittere potuerat, nõ consultò videbatur suas cum Castellanis coniunxisse. Quandoquidem cùm propter militum, tum propter consiliorum diuersitatem, nihil perniciosius, q̃ si quis duos simul populos in eandem gentẽ ducat: quin Fessani mox futurã victoriam ex eo sperãt, quãdo exercitum ex duobus populis collectum vident. Nos singula huius regionis loca perlustrauimus, cùm hinc Constantinopolim proficisceremur.

¶ *Tefelfeltum.*

IN campo arenoso conditũ hoc oppidulum à Mahmora, Orientem versus quindecim, ab Oceano autem duodecim ferè distat miliaribus.

ribus. Non procul hinc riuulus præterfluit, qui vtrinq; nemora habet multò immaniorib. leonibus referta,quàm antea ſcripſimus,maximoq; illos afficiunt incommodo,qui in his regionibus pernoctare coguntur. In eo ſuburbano qua Feſſam proficiſci ſolitum eſt, domunculã inuenias deſertam,quæ conclaue concameratũ habet:huc ſe muliones atq; mercium vectores noctu recipere dicũtur, oſtium verò ramis atq; ſpinis muniunt quantum poſſunt. Neq; deſunt qui hanc domunculam (dum adhuc id oppidum incolas habebat) egregium fuiſſe diuerſorium affirmẽt. Deletum autem eſt eo bello Sahidico, cuius iam antè deſcriptionem dedimus.

¶ *Mecnaſæ deſcriptio.*

A Conditoribus Mecnaſitis nomẽ accepit hoc oppidum,à Feſſa triginta ſex, à Sela plus minus quinquaginta, ab Atlante verò quindecim ferè diſtat miliaribus.Familias habet ſexies mille, incolis ditiſſima . Quibus temporibus hi in campis degebãt,tranquillam inter ſe gerebant vitam : verùm diſſidio inter eos oborto, qui inferiores remanſere, cum pecore illis adempto, nihil amplius in campis eſſet quod agerent,conſortio inter illos inito,hanc ſibi ciuitatẽ exſtruxerunt in planicie amœniſſima.Huic vicinus eſt anguſtus quidam fluuius : horti qui hinc tribus circiter abſunt miliaribus, omnium generũ arboribus ſunt feliciſſimi. Mala hic cotonea inſignis ſanè magnitudinis atq; odoris colligere licet: mala itẽ punica hic reperias,quæ maxima atq; eſui gratiſſima cũ ſint,nullos omnino ha-

habent nucleos, tamen vili admodum emuntur. Magna hic etiam est prunorum damascenorum, candidorum atq; ziziphorum copia, quæ vernis quibusq; temporib. sole exsicca edunt, bonamq; partem Fessam deuehunt. Reperias & apud hos bonam ficuum ac vuarum affluentiam, sed quæ non nisi recentes edi possunt: nam si ficus desiccare conentur, non secus ac farina in puluerẽ reducuntur, neq; vnæ si exsiccatæ sint, palato gratę esse possunt. Tanta est illis malorum persicorum atq; chrysomelorum abundantia, vt ea planè negligant: sed persica mala aquosa, immatura palato minime sunt grata. Oliuarũ apud illos cantarus (qui centum libras Italicas continet) sesquiaureo emi solet. Est quoq; ea regio lini ditissima, quod Fessam ac Selam ad mercatum deferre solent. Templa hic ornatissima structurę mirificæ visuntur: tria item collegia ac decem Thermæ amplissimæ. Singulis Lunæ diebus forum hic frequentissimũ extra vrbis mœnia reperias, ad quod Arabes vicini confluere solent. Hîc boues, castores, aliaq; id genus animalia emuntur: neque butiri, neque lanæ, hic desiderabis affluentiam, quæ omnia paruo admodum emuntur. Nostro hoc æuo Rex id oppidum principi cuidam dono dedit, vnde tantùm quotannis fructuum colligitur, quantum è tertia totius Fessæ regni parte. Multa quondam passa est ea ciuitas bellorum incommoda, adeò vt huius redditus nunc triginta, nunc quadraginta, nonnunquam & plurium etiam aureorum milibus sint diminuti: totis enim sex aut septem annis obsidione

cin

cinctam legimus. Noſtro tempore huius princeps, qui Regi Feſſæ germanus erat, populi fauore fretus, cœpit bellum aduerſus ſuum principẽ atque germanum gerere. Quare Feſſanus cum numeroſo exercitu hanc vrbem duorum menſium obſidione vexauit, quæ cùm ei parêre nullo modo vellet, vicina circum loca vaſtauit atq; deſtruxit: adeò vt eo bello redditui annuo viginti & quinque aureorum milia adempta fuerunt. Quid de obſidione cenſendum, quæ ciues ſex aut ſeptem annis continuis fatigaſſe legitur? Tandem qui Feſſano fauebant ciues, portam quandam aperuerunt, atq; fortiſſimè aduerſariorum ſuſtinentes impetum, Regem cum ſuis intromiſerunt. Sic illorum ope vrbe potitus eſt Rex: perduellis autem Feſſam captiuus ductus, poſt aliquot dies effugit. Munitiſſima igitur atque amœniſſima hæc ciuitas vicos habet admodum latos, aqua his limpidiſſima ex quodam aquæductu, qui per tria ferè extenditur miliaria, profluit, atque variè ſe huc atque illuc inter ciues diffundit. Molæ ab vrbe duobus fermè abſunt miliarib. Incolæ validiſſimi armiſq; exercitatiſſimi, nullis liberalitate neq; ciuilitate ceſſerint, ingenio tamen ſunt aliquantò hebetiori atq; rudiuſculo præditi: illorum quidam mercaturam exercẽt, alij artificium aliquod, reliqui pro nobilibus habẽtur. Dedecori habetur ſi quis iumentũ frumento onuſtum ad agricolam mittat. Perpetuas ferè ſemper alunt cũ Feſſanis inimicitias, verùm vnde id natum ſit, vix ſciri poteſt. Nobilium fœminæ nunquam niſi noctu

domum

domum exeunt, nec tum non nisi coopertæ, vt à nemine videantur, tanta hîc viros vexat zelotypia. Vernis temporibus adeò lutosa hæc vrbs est, vt mihi sæpissimè non minus molesta quàm tædiosa fuerit.

¶ *Gemiha Elchmen.*

ANtiquum hoc oppidum in planicie non procul à Thermis quibusdam conditum, à Mecnasa Meridiem versus quindecim, à Fessa Occidentem versus triginta, ab Athlante verò decem circiter distat passuum milibus. Hàc Fessa Tedletem proficiscentibus iter patet. Illorum ager ab Arabibus occupatus, oppidum autem bello Sahidico deletum fuit. Quibusdam tamen in locis mœnia adhuc integra, turres autem atque templa tectis nudata videre licet.

¶ *Cannis Metgara.*

OPpidulum hoc ab Afris in Zuagę campo exstructum, à Fessa Occidentem versus quindecim fermè distat miliaribus: ager illis fertiliss. hortos habuit ad duo miliaria fructibus felicissimos: verùm iniuria belli Sahidici vastatum. remansit ea regio centum & viginti annis habitatoribus orba. Postquã autem Granatensium pars quædam Mauritaniam traiecit, cœpit hæc regio nouos recipere colonos. Et quoniam Granatę vt plurimum serico sese exercent, factum est quod innumeras huc aduehi arbores curauerint, quæ mora ferebant candida. Sacchari præterea cannas quamplurimas huc attulerunt, è quibus non tantum collegerunt, quantum solent in Bætica. Habuit hic locus aliquando in-

colas admodum ciuiles, sed id nostris temporib. videre non contigit, quandoquidem iam omnes agriculturam exercent.

### ¶ *Banibasilum.*

Oppidulum hoc ab Africanis in ripa cuiusdam riuuli eo loco extructum est, qui Mecnasen à Fessa æquis inter se spaciis dirimit. A Fessa Occidentem versus circa decem & octo distat passuum milibus. Planiciem habet in qua riuuli permulti suam desumût scaturiginem, quæq; omnino ab Arabibus hordeo atque lino exculta est: neq; hic aliud quicquam seri commode potest, cùm propter sterilitatem, tum propter perpetuam fere aquarum inundationem. Quicquid hic vtilitatis colligitur, id in vniuersum ad Fessæ summi templi Sacerdotes redit, colligût autem singulis fere annis XX.M. aureorum. Fuerunt & olim hic spaciosi atq; fructibus fœcundissimi horti, quod ex monumêtis quis facilè videre poterit, sed vna cum cæteris ciuitatibus excisi sunt tempore Sahidici belli. Vrbs circiter C. X. annis incolis nuda remansit, sed redeunte à Duccala Fessæ Rege, aliquam sui populi partem hunc locum inhabitare iussit, quamuis id populus agrestissimus inuito animo perficiat.

### ¶ *Fessa, totius Mauritaniæ Metropolis, eiusque conditores.*

FESSA temporibus Aronis Anno Hegiræ CLXXXV. hoc est à Christo nato. 786. ab hæretico quodam condita est. Cur autem sic dicta sit, nonnulli ex eo esse opinantur, quod

quòd quum prima eius iacerentur fundamenta, eo loco inuentus fuerit auri cumulus, quod Arabibus Fez appellatur: Quæ quidem ratio non mihi sinistre quadrare videtur, quanquam nonnulli à flumine sic dicto nominatam putent.. Quoquo autem modo se res habeat, aliis discutiendum relinquimus, illud certissimum habetur, conditorem habuisse Idridem, qui pontifici maxima consanguinitate coniunctus fuit. Huic eò magis pontificia dignitas debebatur, quòd Hali Mahumetis germani nepos fuerit, qui sibi Falernam Mahumetis filiam in vxorē duxerat, adeò vt ex vtroque parente cognationem duceret: Aron verò ex altera tantùm parte, nepos videlicet cuiusdam Habbus, qui Mahumetis auunculus fuit. Vterque tamen à Pontificatu eas ob causas quæ in Chronicis reperiuntur, exclusus fuit, quamuis Aron fraude sibi pontificatū vsurpauerit. Nam huius auunculus cùm esset homo callidissimus, fingens se Hali familiæ maximè fauere, maximeq; optare vt hæc pontificatū adipisceretur, suos legatos in vniuersum ferè orbem misit. Hic in causa fuit, vt ea dignitas ab Vmeuo ad Habdullam Seffec primum pontificem translata fuerit. Quod vbi Vmeuus animaduertisset, Hali familiæ mox bellum indixit, tantumq; armis effecit, vt nonnullos in Asiam, reliquos verò in Indiam confugere coēgerit. Remansit tamen ex ea familia religiosus quidam in Elmadina, qui quum grandæuus admodum esset, dignitatē illam non curauit. Relicti tamen sunt huic duo filij, qui vbi confirmatā ætatem attigissent, cœ-

pere Elmadinorum familiæ mirum in modum fauere, adeò vt ab hostibus in fugã redacti, vnus in fuga captus, ac postea suspensus fuerit: alter, cui nomen Idris, in Mauritaniam aufugerit. Hic cùm in monte Zaron, qui à Fessa triginta distat miliaribus, habitaret, non Reip. tantùm, verùm & religionis quoque curam suscepit; atque huic annuum censum numerauit totius Mauritaniæ tractus. Tandem sine prole legitima mortuus Idris, ancillam reliquit grauidam, quæ ex Gothis in illorum fidem illecta erat. Filium patris nomine Idridem appellauerunt. Hunc sibi incolæ Principem cùm delegissent, curiosissimè educandum curarunt: pòst verò armis edoctum voluerunt, illique strennuum quendam atque rei militaris peritissimum ducem (Rasid vocabant) adiunxerunt, qui puerum instrueret. Vix puer decimumquintum excesserat annum, cùm præclaris facinoribus atque stratagematis omnibus innotescere, mirisq; modis regnum amplificare cœpisset. Quare crescente indies exercitu atque familia, de exstruendo oppido, deq; habitatione mutanda cogitari cœptum est. Quamobrem innumeros ex omni natione architectos accersiri iussit; qui omnibus regionis locis sedulò perlustratis, eum tandem locum delegerunt, vbi iam Fessa est sita. Hîc enim reperti sunt frequẽtissimi fontes, item & amplum quoddam flumen, quod ex planicie quadam nõ procul hinc nascens, placidè admodum inter colliculos per octo ferè miliaria fluit in planiciem. Ex Meridie verò nemus inuenerunt, quòd maximè ad oppidi cõmodum

fore

fore prouiderunt. Hîc igitur oppidulum in fluminis ripa ad Orientale latus condiderũt, quod ter mille familiarum capax erat: neq; quicquam quod ad egregiam Remp. pertinere videbatur, omissum est. Defuncto Idride, huius filius alterum e regione ab altera fluminis parte oppidum construxit. Successu verò temporis in tantum vtrumq; creuit oppidum, vt minima tantùm inter ea esset distantia: nam qui in hoc vel illo imperium habebât, in hoc quisque summis viribus incumbebat, vt suam amplificaret ditionem. Posthæc verò circiter centum & octuaginta annis, maxima inter has ciuitates sunt orta dissidia atque bella, quæ totos centum annos durasse leguntur. Tandem Luntunorum Rex Iosephus, exercitu maximo in hos principes educto, captiuos in suam patriam adduxit, atque crudelissimo mortis supplicio affecit. Incolas verò sic fudit, vt interfectorum triginta millia sint enumerata. Deinde statuit Iosephus, duo illa oppida in summam rerum omnium concordiam reducere: quare longo in trãsuersum fluuij ponte extructo, muroq; vtriusque ea parte soli æquato, in vnum tandem redegit, quod postea in duodecim diuisit regiones. Nunc singula quæ hîc hodie memoratu digna visuntur, suo quoque loco enumerabimus.

*Exactißima Fessæ descriptio.*

DIctu incredibile, quàm ampla, quàm frequens, quámque muris egregiè cincta sit hæc ciuitas. Maximã eius partem montes atq; colles occupant, sic vt vrbis tantum me-

dio planicies reperiatur. Duabus viis fluuius oppidum intrat,in duas namq; est diuisus partes, quarũ altera Fessam nouam alluit hoc est latus meridionale,altera autem eo loco ingreditur,qui Occidentem respicit. Moxque vrbem collapsus in infinitas ferè, per quosdam aquæductus sese spargit, ac per singulas ferè domos, per templa, per collegia,per hospitia,& Xenodochia sese diffundit.Templis vicinæ sunt quædam foricæ ad quadratæ domus figuram ædificatæ,quibus circum adiunctæ sunt cellulæ quædam cum suis porticibus: horum singulæ fontem habent, qui per parietem perrumpẽs,in quodam marmoreo recipitur vasculo. Deinde per foricas percurrẽs, totius ciuitatis sordes secum trahit atq; foras in fluuiũ educit. Huius domus medio fons est admodum humilis,cuius profunditas trium est cubitorũ,latitudo quatuor, longitudo autem duodecim, aqua porrò per quosdam canales in iam dictas foricas mittitur,quæ numero ferè centum sunt & quinquaginta. Maxima domorum pars lateribus depictoque lapide sunt elegantissimæ. Aperta item loca atq; porticus ex latere versicolori exstructa sunt,qualia sunt vasa illa cretacea quæ Itali maiorica appellant. Domorum laquearia multo auro aliisq; coloribus elegantissimis depingũt,quæ quidem lignea & plana fabricantur, quò æstiuo tempore pannus superinsterni commodè possit,nam hic propter æstum noctu quiescere solent. Habet autem quælibet domus duas,nonnullæ verò tres contignationes:deinde elegantissima his addunt deambulacra, quibus

ex

ex vno in aliud trāſeunt ſub eodem tecto cubi- culum, nam mediū ſemper domus tectō caret; cubicula autē quædam ab hac, alia ab illa parte ſunt ædificata. Oſtia cubiculorum inſignis ſunt altitudinis atque latitudinis: qui ditiores ſunt, ea ex quodam lignō elegantiſſimō atque artificio- ſe inciſo conficiunt. Cubile quodlibet arma- rium ornatiſſimē depictum habet eius latitudi- nis qualis eſt cubiculum; quidam illud altum, quidam ſex tantūm palmorum altitudinis vo- lunt, vt ſuprà lectum locari poſſit. Omnia cubi- culorum deambulacra columnis lateritiis maio- rica obductis, quædam etiā marmoreis innitun- tur. Columnas autē in ſuperiori loco arcu quo- dam connectunt, quē multo muſeaco exornant. Quæ tabulatū ſuſtinent trabes, ſummo artificio inciſæ ſunt atq; depictæ. Reperias & apud quaſ- dam domos ciſternas figura propemodum qua- dratas, quarum latitudo ſex, aliquando ſeptem, longitudo verò nonnullis decem, nonnullis au- tem duodecim eſt cubitorum, altitudo quorun- dam ſex, quorundam ſeptem eſt palmorum, om- nes autem apertæ lateribus & maiorica obducta variē pictæ. In longitudine ciſternæ fonticulos elegantiſſimos conſtruunt, qui aquam in vaſa quædam marmorea diffundunt, vti in Europa multis in locis videre licet. Vbi fontes aqua per- æquantur, quod ſupereſt in ciſternas coopertis quibuſdam aquæductibus effluit: quódq; ciſter- nis ſuperefluit, id rurſus aliis meatibus in latri- nas fertur, ac ſic tandem in fluuium dilabitur. Ciſternæ porrò mundæ atq; nitidæ ſemper ſer-

uantur, neq; eas vnquam præterquã æstate cooperiunt, quo tempore in iis se viri, mulieres atq; pueri abluere soleEt. Turrim insuper ædibus fabricare solent multis ornatã cubiculis, ad quam sese mulieres, vbi laboris sunt pertæsæ, recipere, animumq; remittere solent, à qua ad omnia ferè vrbis loca prospectus patet. Templa atq; oratoria hîc septingentesimum fere complent numerum, Reperias inter hæc quinquaginta magnifica atque sumptuosissimè exstructa templa suis instructa fonticulis, insigniter marmore atq; lapide Italis ignoto compositis, columnæ in summitate opere museaco, tabulisq; mirum in modum incisis sunt elegantissimæ. Culmen perinde atque in Europa ex asseribus compositum est: area verò storeis ad inuicem consutis tam artificiosè tegitur, vt ne latum quidem digitum nudatum videre liceat. Parietes quoque intus ad hominis altitudinem storeis vestiuntur elegantissimis. Turrim item quodlibet habet templum, è qua nõnulli qui huic negocio creantur, horas orationum indicare solent. Vnicum habet quodque templum sacerdotem, cui orandi com mittitur ratio: hic etiam omnes qui ad templũ pertinent redditus, pro necessitate dispergit: ex iis namq; fouentur lampades nocturnæ, ianitores, & qui noctu horas orationi statutas clamando indicant: nam qui interdiu à turri vociferantur, nihil inde lucri habent, quàm quòd ab omni tributo atq; exactione liberantur. Summum in hoc oppido templũ, Carrauuen appellatur, estq; tãtæ magnitudinis, vt in circuitu sexquimiliare

se-

fere contineat. triginta & vnam habet visendæ magnitudinis atque altitudinis portas. Tectum in longitudine centũ & quinquaginta capit cubita Hetrusca, in latitudine verò plus minus octuaginta. Huius turris, vnde pluſquã ſtentorea voce ad concionẽ vocatur populus, altiſſima eſt. in latitudine viginti, in longitud. verò triginta innititur columnis. Ex Oriente, Meridie atq; Occidente deambulacra habet, quorum longitudo quadraginta, latitudo autẽ triginta capit cubita. His ſubiecta eſt cella quædã, in qua oleum, lychni penſiles, ſtoreæ, aliaq; id genus templo neceſſaria recondere ſolent. In hoc templo ſingulis noctibus. DCCCC. accenduntur lucernæ, habet enim quilibet arcus ſuam lampada, atq; ij præſertim, qui per medium chori extenduntur. Reperias & quoſdam arcus, qui ſinguli centum & quinquaginta habent lucernas: item luminaria quædam maxima ex ære conflata, quæ mille & quingentas capiunt lucernas, quæ ex campanis confecta ferunt Chriſtianis olim à Feſſano rege ademptis. Suggeſtus in hoc templo iuxta murũ reperias frequẽtes, vnde doctiſſimi quidam viri populo ea prælegere ſolent, quæ ad fidem atque religionem pertinere videntur. Lectionem ſtatim poſt auroram auſpicãtur, atque in primam diei horã producunt. Æſtiua verò lectio tantũm à vigeſima quarta hora, in noctis ſeſquihorã durata. Neque hic minorem habent moralis philoſophiæ, quàm earum rerum rationẽ, quæ ad Mahumeticam fidem conducunt. Lectio æſtiua à priuatis quibuſdam hominib. prælegi ſolet, hyeme

me autem ij tantùm prælectioni admittuntur, qui legis summam habere notitiam creduntur. numeratur autem professorib. amplissimum in annum stipendium. Huius templi sacerdos orationũ tantùm curam gerit, & quicquid in pauperum vsum offertur, summa fide administrare cogitur. Singulis quoque festis ab eo omnibus pauperibus pro cuiusq; egestate erogatur, quicquid pecuniarũ aut grani allatum est. Quæstori verò reddituum singulis diebus aureum vnum pendunt. Hic octo sub se notarios habet, quorũ quilibet singulis mensibus sex aureos lucratur: item & alios sex, qui locationes domorum, officinarum, atque aliarum rerum recipiunt, quæ ad templum pertinent, hi pro mercede vigesimã sumunt omnium prouentuum portionem. habet præterea & viginti procuratores, qui extra vrbis mœnia ad operarios, ad agricolas ad vinitores atq; hortulanos eant, atq; de omnibus prouideant: horum lucrum est singulis mensib. tres aurei. Distant ab vrbe fornaces plus minus viginti, qui calcem, totidemque qui lateres conficiunt, quæ ad templi aut ad aliquam templi domum necessaria sunt. templum autem singulis diebus ducentorum aureorum prouentum recipit, quorum plusquam dimidia pars in res prædictas expenditur. Tum si quę sunt templa, quę nihil omnino prouentus habent, ab hoc omnia foueantur necessum est, si quid omnib. sumptibus superest, id in communem erogatur vtilitatem: populus enim nullum planè prouentũ recipit. Rex nostro tempore ab huius templi sacer

cerdote maximas sibi pecunias mutuo dari iussit, quas nunquam postea reddidit. Sunt in hac vrbe duo celeberrima collegia, multis ædificiis multoq́ue opere museaco elegantissima, horum omnes trabes incisæ, parietes tũ marmorei,tum cretacei. Sunt quæ centũ habent museolos,sunt quæ plures,sunt quæ pauciores, omnia autẽ diuersis regibus,qui ex Marinis oriundi erant,condita sunt. Atque horum quoddam est amplitudine & elegantia admirandum visuq́ue dignissimum, quodq́ue à quodam Rege conditum est, quem illi Habu Henon vocabant. Hîc egregium quendam fontem reperias marmoreũ, cuius vas duas cupas continet. præterfluit quoque in hoc collegio riuulus intra canalem nitidum atq; elegantissimum,cuius margines marmore & maiorica sunt elegantissimè cõstructæ. Tria item hic visuntur deambulacra tecta,miro artificio atque labore ornatissima, quæ columnis quibusdã innituntur octogonalibus variis coloribus distinctis. Ab vna autẽ columna ad aliam arcus videas labore museaco auro atq; ceruleo colore conspicuos, tectum autẽ ligneum est miro artificio incisum. Porticus cancellis elegantissimis sunt secreti,adeò vt qui foris sunt illos videre nequeant qui intus deambulant. Murus vndiq; quantum manu contingere licet,opere cretaceo,quod maiorica vocant,depictus est. Reperias multis in locis carmina quædã quæ annum indicant, quo extructum fuit collegium, item & permulta in conditoris laudem conscripta epigrãmata. Sunt & characteres magni admodũ nigro colore obduct

ductæ quæ à longè optimè legantur. Portæ collegij istius æreæ multo artificio ornatissimæ,cubiculorum verò ianuæ ligneæ miro item artificio incisæ. Aula quæ orationibus est dicata,suggestum habet, ad quem nouem gradib. ebore & hebeno constructis ascenditur. Absoluto collegio dicunt nonnulli, Regem quantum pecuniarum in eo exstruendo consumpsisset scire voluisse, moxq; folio vno aut altero perlustrato,quadraginta milium aureorum summã repperisse, quare omnino lacerũ librum in eum fluuiolum coniecit,hoc addens ex cuiusdam Arabis scriptis dictum: Quicquid charum quamuis carũ,si pulchrum,carum non est:neq; nimio constitisse dicendum,quod animo arridet. Fuit tamen Regi quidam à thesauris qui sumptum accuratissime annotauit,atque in egregium hoc opus quadringenta & octuaginta aureorũ milia insumpta collegit. Reliqua Fessæ collegia cum hoc aliquã habent similitudinem,habetq; quodlibet suos professores,quorum quidã ante meridiem,alij horis pomeridianis prælegunt. his autẽ optime à conditoribus prouisum est. Olim qui hic literis incumbebant,toto septennio vestitus atque victus dabatur,at nunc illis nihil præter cubiculum obtingit gratis. Bellum enim Sahidicũ multas deleuit possessiones,quarũ emolumentis alebantur studia: nunc autẽ ducenti huic collegio,illi verò centum vix aurei in annum redeunt,qui professorib. enumerantur. Hæc fortassè inter alias permultas vna ratio est, cur tam minutum sit non Fessanum imperium modò, verùm & totius A-

fricæ ciuitatum. Iam nullos habent hæc collegia præter exteros quosdã scholasticos, qui ciuium victitant eleemosynis: & si quis e ciuibus inhabitet, numerum duorum vel trium nõ transcendunt. Professore lectioni parato, ex auditoribus quisquam textum prælegit, cui postea prælector commentum addit atque locorum obscuriorum interpretationem aliquam. solent & interdum præsente prælectore discipuli inter se de lectionibus certare.

*Xenodochiorum atque balneorum, quæ in hac vrbe reperiuntur, descriptio.*

MVltã Fessæ reperias xenodochia, prædictis collegiis neque structura, neque elegantia inferiora. Solebãt in iis quotquot adueniebant exteri per triduum communi sumptu excipi. Sunt & in suburbano quædam, quę non minori sunt neque amplitudine neque artis præcellentia exstructa. Nihil his olim opulentius excogitari potuisset, verùm eo tempore quo Sahidicũ adhuc gerebatur bellum, cùm ingenti pecuniarum summa egeret Rex, non defuerunt, qui vt xenodochiorum diuenderet bona, hortati sunt. Quod vbi populus permittere nollet, orator regius ea omnia bona ab huius regis auis atq; proauis data populo persuasit, proinde multò præstantius esse, his periclitanti regi occurrere, qui bello finito omnia breui recuperare posset, quàm omnes regis fortũnas in discrimen adducere. Venditis igitur omnibus, Rex prius immatura morte interiit, quàm quod erat in animo absoluere potuerit: quare bonis omnibus

bus destituta remanserunt xenodochia. Recipiuntur quidem & hodie huius ciuitatis paupes res, verùm nullo modo exteri, nisi doctores sint aut nobiles. Est hîc & aliud quoddam, quod exteros recipit morbo correptos, his solus datur victus, nullus autem illis adhibetur Medicus, aut medicamentum: sed sunt quæ ægrotos curant, donec aut pristinæ sunt restituti sanitati, aut animam expirauerint. Habet in hoc xenodochio & fanatici suum locum, qui strictissimè catenati seruantur: huius autem loci pars quæ deambulacrum respicit, ligneis atque ferreis trabibus est munitissima. qui illorum curam habet, quoties cibum illis adfert, bacillo ad id composito mordentes atq; percutientes cohibet. Euenit etiam interdum, vt illac prætereuntes fanatici ad se accersant, ac quàm inique hîc detineantur, quantaque indies contumelia à ministris afficiantur exponunt, cùm tamen ad mentem se redisse affirment. Quod cùm ita esse persuaserunt, tandem aliquàtò propius accedentes veste vna manu attrahunt, atque altera vestem atque faciem multo stercore defedant. Et licet omnes habeant suas latrinas, nisi à seruis locus aqua subinde purgaretur, suo stercore perirent: adeò vt ingens perpetuusq; fœtor in causa sit, quò minimè à ciuibus inuisentur. Habet & hoc xenodochium multas mansiones, quæ à Procuratoribus, Notariis, coquis, aliisq; ægrotorum ministris occupantur, numeraturq; singulis in annum mediocre stipendium. Ego cùm adhuc iuuenis essem, duobus annis hîc notarium egi, quod officium qui exercet,

sin-

singulis mensibus tres aureos lucreantur.

Reperias præterea in hac vrbe plusq. centum balnea, multo artificio atque structura elegantissima: & quãuis inæqualis sint magnitudinis, omnia tamẽ ad eundem modum sunt fabricata. Habet quodlibet balneum quatuor aulas: foris verò sunt quædam ambulacra loco eminentiori fabricata, ad quæ quinque aut sex ascenditur gradibus: hic se homines exuunt, nudique inde ad balneum eunt. In medio aquã ceu in cisterna quadam conseruant. Primò igitur balneum intrare volentes, aulam quandam transeunt frigidam, in qua frigida seruatur aqua, qua calidam commiscere solent, deinde ad alium locum aliquantò calidiorem itur, vbi à seruis mundantur atque abluuntur: postea ad tertium vaporarium, vbi quantùm lubet sudatur, in hoc aqua calefit, quæ ligneis quibusdam vasis adfertur, ac in caldarium effunditur. Cuiq; homini eiusq; duo dantur vasa, qui plura, aut qui largius lauari volunt, ministro ad minimum liardum exsoluunt, vaporarij autem domino duo tantùm teruncij numerantur. Ignis quo aqua calefit non nisi stercore quorundã animalium desiccato exstruitur: quamobrem permulti ad hoc aluntur pueri, qui huc atque illuc per stabula discurrentes, stercus omne extra oppidum in cumulum congerũt, quo per duos aut tres menses sole indurato, ignem exstruere solent. Habent & fœminæ suum vaporarium à viris secretum. Quædam tamẽ & viris simul & mulieribus seruiunt, diuersis tamen temporibus, viris nempe à tertia

vsq;

vsq; in decimamquartam diei horam, reliquum temporis mulieribus patent. Interea dum se fœminę abluunt, funem in primum ingressum extendunt, qui viros tum temporis nó vlterius introeundum esse indicat. Neq; viris hic cùm vxoribus vel colloquiú misçere non datur, tanta illis est honestatis ratio. Solent hic tam viri quàm fœminæ genio admodum indulgere post lotionem atq; cantiunculis vocalissimis animi lætitiá indicare. Iuuenes nudi sine aliquo pudore balneú intrant, viri autem pudenda linteolo tegunt. Qui ditiores haberi volunt, non commune, sed ornatum atq; nitidum ingrediuntur, quod magnatibus semper seruatur. Quando aliquem abluere volunt, húc humi sternunt: postea núc vnguento quodam illinunt, nunc instrumentis sordes oés auferunt. Ditioribus pannum feretrum substernere solent, caput verò in ligneum puluinar panno feretro tectú reclinare iubét. Reperias quoq; hic tonsores atque chirurgos complures, qui & hic officium exercent suum. Maxima balneorú pars ad templa atque collegia pertinent, illisque maximam quotannis pecuniæ vim exsoluunt; nonnullæ enim centum, aliæ centú & quinquaginta enumerant aureos. Neque hoc loco tacendum, quod balnearum seruuli singulis annis festum habent diem, idque hunc in modum. Conuocatis amicis tubis atq; tibiis vrbem egrediuntur, atque ibi cæpam agrestem colligiunt, quam linteo lixiuio madido in æneo quodam vase tegunt: posthæc multo tubarum atque tibiarum sonitu cæpam, ad vaporarij vsq; ostium afferunt

vbi

vbi cæpam caniſtello incluſam ſuſpendunt, dicentes hanc fore vaporarij omen feliciſſimum. Mihi tamen magis huiuſmodi ſacrificium videtur, quale ſolebant olim Africani peragere, cùm nullam adhuc haberẽt legem, remanſitq; is mos illis in hodiernum vſque diem. Quod & inter Chriſtianos videre licet, qui cùm feſta habeant permulta, multorum tamen rationem ignorant. Habuit præterea & quodlibet oppidum ſuum feſtum, quæ nunc à Chriſtianis, cùm illi rerum Africanarum potirentur, aboleta ſunt, atque obliuioni tradita.

¶ *Hoſpitia.*

IN hoc oppido ducenta ferè ſunt hoſpitia, atq; inter hæc maxima, quæ in eminentiori vrbis parte ſummo templo ſunt viciniora. Horum quodlibet triplicem habet contignationem: cubicula autẽ centum & viginti, aut etiam plura. Eſt & cuique ſuus fons cum receſſu & aquæductibus elegantiſſimis, qui ſordes omnes efferunt. Neque vnquam maiora me ædificia vidiſſe memini, niſi fortaſſe Hiſpanorũ collegium quod Bononiæ eſt, aut palatium Cardinalis Sancti Georgij quod Romæ viſitur, cum his ſit aliquo modo conferendum: omnes autem cubiculorum ianuæ, deambulacro ex aduerſo ſunt poſitæ. Et quamuis magna admodum atq; ampla ſint huic vrbi diuerſoria, ſordidiſſimè tamẽ hoſpites excipiunt: nullus enim hîc neque lectus neque lectica reperiri poteſt: hoſpes ſaltem lodicem quandam cũ ſtorea exhibet. Quòd ſi cœnam tibi parari velis, neceſſum eſt vt macellum

ipſe adeas,atq; tuo hoſpiti coquendum des quod inde tibi contuleris.Fouentur & in his hoſpitiis viduæ Feſſanæ, quæ neque bona habent,neque affines à quibus alantur: harum ſingulis aut interdum binis cubiculum aſſignatur, proq́; egregio hoc hoſpitio mulieres lectorum & coquinæ curam gerunt.Pandochei hic omnes ex quadam ſtirpe originem habent, quæ Elcheua dicta eſt, fœmineo autem more incedunt veſtiti, barbam radunt, atque adeò fœminas imitantur, vt non ſermone tantùm eas referant,verùm & nent interdum. Habet ſuam quiſque meretricem, cum qua conſuetudinē ſeruat perinde ac ſi vxor eſſet, cùm illæ tamen non vultu ſolùm,verùm & moribus atque totius corporis habitu ſint infames. Vinum adeò liberè vendunt ac reuendunt,vt nemo ſit qui moleſtiam aliquam inferat.Nulli hic prętęrquam nebulones,ganeones,aliiq́; id genus homines ſceleſtiſſimi verſantur, idq́; vt liberius atque impunius peccare poſſint. Habent pandochei inter ſe conſulem,tributumq́ue vrbis rectori enumerant. Quòd ſi vſu veniat vt Rex exercitum aliquem conſcribat,mox illi largum militibus commeatum mittere cogūtur, vtpote ad hoc muneris aptiſſimi. Niſi me hiſtorica lex eò coëgiſſet, vt rem ita prorſus vt ſe habet enarrarem, maluiſſem ſanè hæc ſilentio prætermiſſa, quibus Feſſa miſere dehoneſtatur, quibusq́ue è medio ſublatis, nullam haberet tota Africa regionem,quæ cum hac ciuium probitate eſſet vllo modo conferenda. A pandocheorum igitur commercio adeò viri probi, literati, atque mercatores

catores abhorrent, vt ne colloquiũ quidem cum his miſcere velint. Eſt prætereà illis ſedulò iniunctum, ne quis aut templũ, aut mercatorũ cœtũ, aut balneum intret. Nec his quoq; permittitur, vt in illa diuerſoria commigrent, quæ ſummo templo ſunt vicina, quibuſque mercatores excipi ſolent. Nemo eſt qui non nequiſſimis his nebulonibus malè precetur: at quoniam regius exercitus his opus habet, vt iam diximus, eam ob cauſam inuitis etiam ciuibus admittuntur.

¶ *Molæ.*

QVadringentis circiter locis hîc molas reperias. habet autem quilibet locus molas quinque aut ſex, adeò vt molarum aliquot milia hîc inuenias. quælibet verò mola in ampliſſima quadam aula columnæ eſt ſuperimpoſita, ſolentq; multi ruſtici ciuitatis adire molas. Sunt & hic mercatores quidam, qui quum molas atque officinas habent conductitias, frumentum emunt, ac molitum ciuibus vendunt, vnde etiam maximum emolumentum colligũt: nam potiſſima ciuium pars, cùm per facultatum tenuitatem frumentũ penes ſe cumulare nequeat, farinam ab his emunt. ſed qui aliquãtò ditiores ſunt, frumentum ipſi emunt, ac ad quaſdam molas publicas delatũ curant, vbi pro qualibet menſura ſolidum exſoluunt. Pertinent autem molæ omnes aut ad templa, aut ad collegia: nam ciuẽ ditiſſimũ eſſe oportet, qui molam ſibi propriam habet, quælibet enim duorum aureorum ad minimum redditum domino perſoluit.

¶ *Artificum, officinarum, atque fori deſcriptio.*

HAbent hic quęlibet artes locum peculiarem, quarum nobiliores summo templo sunt proximæ: nam notariorũ officinas hic circiter octuaginta reperias, quarum quædã templo sunt contiguæ, reliquę ex opposito sunt positæ: habet autẽ quæuis officina duos semper notarios. Inde Occidentem versus bibliopolas inuenias plus minus triginta. Calcearij mercatores Meridionalem occupant plagam, hi à sutoribus calceos & cothurnos cumulatim emunt, atque inter ciues distribuunt. Deinde qui puerorum tantùm calceos suunt, quorum officinæ sunt plus minus quinquaginta. In Oriẽtali templi latere locum habent qui ænea vasa aliaq; permulta ex ære confecta venalia habent. Ex opposito portæ maioris prædicti templi forũ est fructuariũ, in quo nullum fructus genus desiderare possis, officinis constans quinquaginta. Horum ordinem sequuntur cerearij mercatores artificio adeo ingeniosi, vt non immeritò quis eos admiretur. Institores deinde reperias, sed numero admodum paucos. Forum hinc se offert olitorium, in quo mala citrea varijque generis frutices perpetua fronde virẽtes vernum tempus repræsentant, quorum sunt viginti circiter tabernę: nam qui vino vti solent, inter arborum ramos recumbunt. His confines sunt & ij lactarij institores, penes quos maxima semper est vasorum cretaceorum, quæ Itali maiorica vocant, copia: lac autem à quibusdam afferri curant ligneis quibusdam vasis, ferreis constrictis circulis, quæ angustum os, fundum aliquanto latiorem habent. ab

his

his solent nonnulli singulis diebus magnā emere lactis copiam, atque inde butyrum conficere: reliquum lactis aut congelatum, aut acre interdum ciuibus diuendunt, adeò vt vix diem præterire crediderim, quo amplius q̃ vigintiquinque venduntur lactis dolia. Hos sequuntur, qui gossipium vendunt, horum autem triginta sunt officinæ: mox eos reperias qui cannabum, funes, capistra, aliaq; id genus ex cannabe confecta venalia habēt. Deinde qui coreacea cingula, crepidas, capistra coriacea multo serico intertexta conficere solent: mox illorū sequuntur officinæ, qui vaginas gladiorum & equorum pectoralia consuunt. horum vicini sunt qui sal vendunt atque gipsum. Post hos circiter centum officinæ sunt figulorum, qui omnium generum vasa variis distincta coloribus fingunt. Dehinc qui ephippia, baltea, habenas, aliaque huiusmodi conficere solent. Deinde locus est baiulorum, quos numerū trecentesimum excedere puto: habent hi inter se consulem, aut potius, præfectum, qui singulis septimanis quantum perficiendum sit inter operas distribuit. Quod porrò inde lucrū venit quadam seruatur in arca, quod inter eos diuidūt, qui ea septimana operati sunt. Dici nō potest quāto amore quantáque beneuolentia se mutuo prosequantur, adeò vt si quenquam illorum è vita migrare contingat, viduam & proles communibus alant sumptibus, donec aut moriatur & ipsa, aut nouum sibi delegat maritū. pueros verò summa cum diligentia educandos curant, donec alicui arti adoleuerint. Quod si quenquàm contingat

vxorem ducere,prolemq́; ex ea suscipere,omnes ferè socios inuitare:vocati aũt ad festum,sponso aut patri munuscula singuli offerant. Nemo ad illorum admittitur consortium,nisi prius præci puos illius artis ad cœnã vocauerit duces : alioqui dimidiam saltem lucri portionem ferre potest. Ab omnibus liberi sunt tributis & exactionibus: quin & gratis illorũ pinsitur panis. Quòd si quisquam in flagitio aliquo depræhensus fuerit, is priuato tantum,non publico afficitur supplicio. Omnes dum operantur,vestib.vnius coloris breuiusculis vtuntur:ociosi autem,pro arbitrio vestiuntur:honestissimi aũt sunt omnisque probitatis cultores curiosissimi. Horum ordinẽ sequitur is locus, quem obsoniorum atque eduliorum præfecti occupant. Hic quoq; ædificium quoddam est arundine cõtextum atq; quadratũ, in quo ciceres atq; napi vendi solent, quæ tanto apud illos in precio habentur,vt à rusticis emere tantum liceat iis, qui ad id muneris sunt creati, qui quidẽ telonariis quoddam exsoluere tributũ tenentur:neque vllus vix est dies,quo non plusquàm quingentas cicerum atque naporum sarcinas inuenies. Et quanuis maximo (vt iam diximus) habeantur in precio,vilissimo tamen constant:triginta enim aut viginti ad minimum libræ liardo emuntur. fabæ recentes suo quoque tempore paruò admodum constant. Nõ procul hinc officinas reperias, in quibus pilæ quædam carnis pistillo contusæ oleoq; frixæ & multo aromate conditæ venduntur, quarũ quælibet vnius ferè ficus magnitudinem æquat,neq; alio carnis ge-

genere quàm bubula aridiſſima confici ſolent. Deinde ſeptentrionem verſus locus eſt,ad quem omnium generum olera adferuntur, quæ cum carnibus condiri conſueuerunt:huic autem rei quadraginta officinæ ſunt deſtinatæ.Poſthæc locus eſt,quem illi à fumo,fumoſum appellitant: hic panem oleo frictũ reperies illi per ſimilem, qui apud Romanos melleus dici ſolet. huius maxima quotidie venditur copia:ſingulis enim diebus ientaculi vice ſumũt,præſertim feſtiuis. cui obſonij loco carnes aſſas addunt aut mel: interdum iure quodam macerãt ſordido ex carnibus contuſis cõpoſito,quas ſemel elixas rurſum contundunt,atque inde ius conficiunt, quod poſtea terra quadã rubra tingunt. Carnes non hic veru ſed furno aſſantur. ſolent enim duos furnos componere,ſic vt vnus alteri ſuperponatur: in inferiori ignem exſtruunt, atque in ſuperiorem vbi calor ſufficere videtur,carnes inijciunt. Neq; facile credas quàm eleganter hic aſſentur.nõ enim illis fumus neq; calor ſuperfluus nocere poteſt, tota eñ nocte lento igne coquuntur,ac ſummo mane expromptæ publicè venduntur. Singulis autem diebus carnes illæ & panis (de quo antea diximus) tam copioſè inter ciues diuenditur,vt ducentorũ aureorum ſummam in ſingulos dies excedat: horũ enim quindecim reperiuntur officinæ,quæ aliud nihil venale habent. Venduntur & hic piſces quidam frixi,& carnes, præterea & panis ſapidiſſimus quẽ laganum fere dicas. Hũc autem cum butyro piſtum,nõ niſi cum butyro aut melle obſonij vice addito vorant. Reperias

& hic quorundam animalium pedes elixos, quibus rustici matutina hora in ipsis popinis ienta culum sumunt. deinde rursum se ad laborem recipiunt. Hos insequuntur, qui oleum, butyrum salsum, mel, caseum, oliuas, mala citrea & capparos vendunt: horum officinæ vasis testaceis elegantioribus refertæ sunt, quæ multo preciosiora q̃ quæ in iis continentur. Butyrum & mel per præcones diuẽdi solet, qui certi sunt baiuli huic officio destinati. Neq; quẽuis ad vasa implenda admittunt, id enim officij baiulis tantùm quibusdã reseruatur, qui ad hoc muneris lecti sunt, quique & olei mensuras implent, quoties illud mercatores emerunt. Vas apud illos centum & quinquaginta libras capit, tantum enim butyri singulis vasis iniicere solent rustici. Sequitur macellum constans officinis circiter quadraginta, in quibus carnes incidunt stateráque distrahunt. Nulla in macello animalia mactant, est eñ huic rei locus quidam non procul à flumine dicatus, vbi postquam carnes adornarunt, per quosdam seruos huic tantùm negocio destinatos in macellum mittunt. Verùm priusquam inter popu lum quis suas carnes vendere audeat, eas macelli præfecto deferendas curat, qui simulatq; carnes vidit, chartula quadam earum preciũ inscribit, quam populo vnà cum carnibus ostendunt, nec licet precium illud excedere. Sequitur forum in quo panni viliores vendũtur. horum centum ad minimũ reperiuntur officinæ: pannos quibusdam prçconib. tradunt (horum plus minus sexa ginta reperias) qui per singulas officinas pannũ

ba

baiulantes,precium cuiq; indicant:quòd si vendere contingat, pro singulis aureis liardos duos recipiunt. durat aût illud exercitium à meridie ad finem vsque diei, nec sanè sine maximo mercatorum commodo. Reperias deinde qui arma, gladios,hastas,aliaque id genus instrumenta expoliunt ac vendunt. Postea piscatorũ statio est, qui minimò optimos maximosque vendunt pisces,cùm in huius vrbis flumine,tum & alibi captos, libram enim duobus tantùm hic emas terunciis. Maxima illius hic est piscis copia,qui apud Romanos Laccia appellari consueuit,idque præcipuè à principio Octobris ad mensem vsq; Aprilem, vti postea fusius dicemus,vbi de fluminibus mentio inciderit. Hos sequuntur qui caueas gallinaceas conficiunt,idq; ex arundine duriori:horũ quadraginta sunt officinæ.solet enim quisq; ciuium bonam alere gallinarum copiam. & ne domum habeant multo gallinaceo stercore immundam,illas sic perpetuò caueis inclusas seruant. Posthæc illorum est locus,qui saponem liquidum venalem habent,verùm non multę admodum illorum sunt officinæ,quin & plures in aliis reperias vrbis locis. Neque etiam Fessæ,verùm in montibus vrbi proximis sapo confici solet, vnde per quosdam muliones eum sibi aduectum curant. Deinde aliquot reperias officinas eorum qui farinam vendunt, quanquam & illi quoque variè per vrbem huc atque illuc dispersguntur: horum ordinem sequuntur,qui fruges atq; legumina sationi quidem magis quàm esui accommoda,venalia habent;neq; hæc ab aliquo

ciue

eiue emere poteris, quandoquidem quisq; suos sibi fruges seruare mauult: reperias & eodem loco multos, qui mulis aut equis fruges aut legumina quocunq; velis deuehunt. solet autem mulus tres ferre in dorso leguminũ mensuras (quas muliones emetiri debent) idque tribus altero alteri superimpositis saccis. Postea sunt qui stramen vendunt, quorum decem reperiuntur officinæ. Deinde forum vbi filum ac linum vænit, tum & vbi linum pectitur: quod quidẽ adinstar magnarum ædium exstructum in circuitu quatuor habet ambulacra: primum occupãt qui telam vendunt, filumq; ponderant: in aliis duobus innumeræ sedent mulieres, quæ magna copia filum venale habent, quod quidem isthic per prçcones venditur, qui à meridie in vesperam vsque circunferũt. In huius loci medio frequentes reperiuntur mori, qui mercatoribus vmbram prçbent: tanta verò huc confluere solet mulierum multitudo, vt non facilè sit se ex hoc mercatu subducere: suboriturq; non rarò tanta inter fœminas rixa, vt risum illas audiendo vix tenere possis: quin & pugnis se mutuo afficientes sæpissimè videas. Nunc ad eam partẽ tandem descendamus, quæ occidentem solem respicit, hoc est, à templo ad eam vsque portam quà Mecnasen itur. Post eum locum, quem antea fumosum appellauimus, via recta suas habent mansiones, qui situlas coriaceas conficiunt, quibus vtuntur aqua è puteis haurienda: huius artis quatuordecim sunt officinæ. Deinde illorum locus est, qui viminea aut alia quæuis vasa frumento ac farinç repo-

reponendæ apta conficiunt, hi triginta occupãt officinas. Inde ſutorum locus eſt, qui plus quàm centum & quinquaginta officinas implẽt. Pòſt illorũ ordo eſt qui clypeos conficiunt coriaceos, quales ſæpenumero in Europa aduectos videmus. Deinde viginti ferè officinas lotores quidã occupant, vilioris conditionis homines, ad quos ciues qui domi ancillam non habent, ſubuculas, linteamina aliaq; id genus ſordida deferre ſolent, atque ab iiſdem poſt aliquot dies adeò nitida & candida recipiunt, vt incredibile ferè narratu videatur. hi contiguas in hoc loco habent officinas: reperias tamen per totam vrbem hinc inde diſperſos plus quàm ducentos eius generis homines. Deinde ſequuntur qui lignea ephippia corio tegenda conficiunt, horũ maximus in eo loco reperitur numerus, quà Orientem verſus ad regis Abuhinan collegiũ itur. Hos ſequuntur qui ſtapedes, calcaria, frena, aliaque huiuſmodi adeò artificioſè ornãt, vt non facilè tales in Europa reperiri poſſe arbitrer, horũ plus minus quadraginta ſunt officinæ. Tandem illorum vicus eſt, qui rudi modò ſtapedes, frena, atque calcaria fabricant. hinc in plateam deſcenditur eorum qui ephippia de quibus iam locuti ſumus triplici corio, eoque ſelectiſſimo, veſtiunt: quod optimum eſt, ſupremum locum habet, vilius infimum, quę miro artificio perficiunt, vt videre eſt in pleriſq; locis Italiæ. horum centum aut eò plus refertæ ſunt officinæ. Deinde longas admodum habent officinas, qui haſtas lanceaſq; cõficiunt. Ab hoc loco rupem inuenias, quæ deambulacra duo ha-

bet,

bet,quorum alterum ad Occidentalem portam, alterum ad regium quoddam palatium ducit,in quo se Regis soror, aut alius quispiam ex regis affinibus continere solent.hoc autem notandũ, quòd forum istud à summo templo initium ca pit: ego verò ne ordinem inuerterẽ,ea tantum describsi fora, quæ circumcirca sunt, vltimò de mercatorum statione dicturus.

¶ *Mercatorum statio.*

VRbem non immeritò eum appellabis lo cum, qui mercatorib. dicatus est, vndiq; muris cinctus,duodecim habet in ambi tu portas,quarũ quælibet ferrea catena in transuersum ducta,equis & vehiculis transitũ adimit. Locus in quindecim diuisus est partes, duas sutores occupant,qui nobiliũ tantum calceos con suunt:duas item sericarij mercatores,quorum alij,funiculos atq; id genus ornamenta venalia ha bent,suntq; horũ officinę circiter quinquaginta: alij sericum tantum ornandis subbuculis, puluinaribus,& huiusmodi rebus ex tela cõfectis aptũ venale habẽt,quorum totidem ferè reperiuntur officinæ.Deinde prostant qui muliebria cingula ex lana rudiori componunt,quæ nonnulli ex serico quoq; cõficiunt,verùm non admodum elegantiora,illorum enim crassitudinẽ duos digitos excedere putem, quibus vel nauem contra ventorum iniuriam retinere possent. Hos insequun tur qui pannum ac telam vendunt, quæ ex Europa huc mitti solet: apud quos & pannum ex serico confectum,pileos, aliaque huiusmodi venalia reperire poteris. Vbi hos præterieris, nonnul-

nullos reperies qui ſtoreas, ſtibadia, puluinaria, aliaque permulta ex corio compoſita vendunt. Dein illorum locus eſt qui vectigal recipiunt, ſolent enim panni per quoſdam præcones vendi, quos priuſquam in forum adferantur, neceſſe eſt vt ab illis ſignentur, quos iam vectigal recipere diximus. Præcones plus minus ſexaginta hic inuenies, qui pro ſingulis pannis liardum recipiũt. Poſtmodum ſartorum quoque locum inuenias, qui tres ſibi vicos occupant. Mox in forum deſcendis, in quo telæ mercatores ſunt, qui & mulierbres ſubuculas venales habent: habentur autem hi pro ditiſſimis totius Feſſæ mercatorib. nulla enim eſt mercatura, quę maius adferat emolumentum. Vltra hunc locum veſtes quaſdam venales reperias, eo panno confectas, qui ex Europa iſthuc deferri ſolet. Singulis horis pomeridianis pannum per præcones in hoc loco venditur, idq; cui libet licitum eſt, quoties neceſſitas aut alius quicunque caſus cogit. Poſtremus omnium is locus eſt, in quo ſubuculæ, mappulæ, aliaque permulta interpolata vendi ſolent: nec procul hinc tapetes, lectiq; ſtragulæ venduntur.

¶ *Quare hæc vrbis pars Cæſarea ſit appellata.*

LOcus iſte muro circonſeptus Cæſarea antiquo nomine à Monarcha illo Iulio Cæſare deducto, appellatur: cuius hanc ſcriptores adferunt rationem: quòd omnes Mauritaniæ ciuitates iis temporibus, primò Romanorum, deinde Gothorum paruerunt imperio. habebatq; quælibet ſemper ciuitas, aut Romanos, aut Gothos, qui tributa reciperent ac ſeruarent.

Ve-

Verùm quoniam frequenter in hos populus intestina mouerat bella atque direptiones, visum est vt in qualibet ciuitate locus aliquis muris vndique muniretur, vbi vnà cum tributo merces & preciosiora ciuium bona in tuto essent: sperantes hoc modo forè, vt ciues æquè anxiè principis ac sua seruarent bona. Quod consilium si imitati fuissent Itali, non tam crebras passi fuissent direptiones. Sæpenumero enim contingit vt intestino bello commoto, milites vbi hostium bona sibi non sufficere vident, mox quoque ad amicorum bona recurrant.

¶ *Aromatarij atque Pharmacopolæ.*

HVic loco vicini sunt Aromatarij, idq; ea parte quæ Septentrionem respicit, horum centũ & quinquaginta in via quadam recta sunt officinæ, quæ vtrinque munitissimis occluduntur portis. noctu vigiles quidam conductitij atq; armati vnà cum lucernis & canibus excubias agunt. Hi nec syrupos, nec vnguenta, nec electuaria conficere norunt: nam à Medicis domi perficiuntur, à quibus & petenda sunt. Maxima officinarum pars aromatariis contigua est, quanquam maxima populi pars neque Medicum norit, neque medicamentorum vsum. Adeò ornatæ summoq; artificio fabricatæ sunt hic officinæ, vt nõ crediderim posse vspiam tales reperiri. Memini me in Tauris Persiæ ciuitate egregias aliquot officinas vidisse, sub quibusdam deambulacris elegãtissimè exstructas, verùm obscuras, adeò vt multis partibus eas Fessæ officinis postpositas existimarim. Vbi has officinas

præ-

præterieris,aliquot inuenies qui pectines ex buxo,aut alio quouis ligno parant. Orientem versus non procul à Pharmacopolis, sunt qui acus conficiunt, horum circiter quinquaginta sunt officinæ. Deinde illorum locus est, qui torno ebur aliaque huiusmodi polire solent, quorum cùm inter cæteras artes misceantur, non vsque adeò magnus est numerus. Tandem aliquot reperias, qui farinam,saponem, atque scopas vendunt: qui cùm foro vbi filum vendi antea diximus,sint proximi,vix numerum vigesimum implent: reliqui enim alibi reperiuntur,vti postea dicemus. Inter illos qui gossypium vendunt,reperias & nonnullos qui lectorum atque tentoriorum ornamenta venalia habent. Horum ordinem aucupes sequuntur, apud quos, etsi numero perpauci sint, reperias tamen omnium generum tam esui quàm oblectationi aptas aues: vnde & aucupum locus appellari consueuit. Postea illorum sunt officinæ qui funes cannabinos venales habent.Mox sequuntur qui suberes siue magnatum crepidas conficiunt, quibus per lutosas plateas iter facturi nobiles vti solent,verùm sumptuosè admodum,multo serico conoq; excellentissimo parantur:quæ vilissimæ sunt,aureo ad minimum constant,nonnullæ decem, reperiuntur & quæ vigintiquinque emuntur aureis. conficiuntur autem ex moro alba & nigra, iuglande atro & zyzipho, quæ pro elegantiorib. atque sumptuosiorib. habentur,tametsi priores aliquantò fortiores sint,diutiusq; quamuis ferãt iniuriam.Deinde decem officinas Mauri aliquot

 His-

Hiſpani occupant, qui baliſtas conficiunt: tum qui ſcopas ex palma quadam ſylueſtri componunt, quales Romæ è Sicilia aduectas indies videmus. Scopas autẽ magna quadam ſporta per vrbis plateas ferunt, easque aut vendunt, aut fur fure, cineribus, detritisue calceis commutare ſolent: furfurem paſtoribus, cineres filorum dealbatoribus, detritos autem calceos ſutoribus quibuſdam reuendunt. Aliquãtò vlterius fabri ſunt, qui clauos fabrifaciunt: tandem vietores reperias, qui vaſa quædam prægrandia in ſitulæ modum componunt: apud hos & frumenti quoq; menſuras reperire licet. Quas vbi huius rei quidam præfectus examinarit, pro qualibet teruncium ſuo iure accipit. Mox lanæ ſequuntur venditores, qui poſtquam lanam à lanionibus emerunt, per quoſdam huic rei conductos purgandam atque abluendam curant. Corium ijdem adornare ſolent, ſed non niſi ouillum: bubulum enim, quoniam alia prorſus arte paratur, alium etiam habet locum. Deinde quoſdam reperias qui ſportas certoſq; funiculos parant, quos Africani equorum pedibus addere ſolent. Quos ſubſequuntur ænei opifices: hos, qui non procul ab his pondera & menſuras: tum qui inſtrumenta parant, quibus linum atque lana carminari ſolent. Tandem in longum quendam deſcenditur vicum, vbi promiſcuè multarum artium reperias artifices, quorum nonnulli ſtapedes, calcaria, aliaque huiuſmodi (quæ fabri rudia & impolita reddunt) limare ſolent. Poſtea fabros quoſdam lignarios habes, qui temonibus, aratris, molarum

rotis

rotis,aliisque huiusmodi conficiendis sese exercent. Tinctoribus sua est in fluuij ripa mansio, quarum quælibet fontem habet limpidissimũ, in quo quicquid ex serico confectũ est,abluunt. Ex opposito latum admodum & spaciosum habent locum vallorum fabricatores, qui cùm sit vmbriferis moris consitus,æstiuo tempore amœnitate sui valde recreat. Sequitur fabrorũ ordo, qui mulas & equos calceant: tum & qui balistis arcus ex chalybe accommodant. Vlterius qui equorũ calceos cudunt: hos, qui telam dealbant: vbi & vrbis pars quę ad Occidentẽ vergit,finitur: quæ olim ciuitas per se fuit (vt antea diximus) ac post alterã ædificata,quæ Orientem respicit.

¶ *Alterius Feßæ partis descriptio.*

ALia quoque vrbis pars ad Orientem sita, pulcherrimis palatiis,templis,ædibus,& collegiis abundat:quanquã hîc non tam copiosæ neq; frequentes sint diuersæ artes, atq; in ea quã modò descripsimus.Hic enim nec sunt mercatores,nec sartores,nec calcearij, præterquã ex panno grossiori. Aromatariorum est forum exiguum,triginta officinarum capax.Ad mœnia vrbis agunt laterarij & figuli: paulò inferius forum est amplum, in quo vasa candida figulina, catini,scutellæ,patinæ venundantur. Vlterius ad forum itur granarium,in quo cellæ sunt frumentariæ. E regione summi templi forum est lateribus stratum, in quo diuersæ exercentur artes atque opificia. Sunt & aliæ artes mechanicæ,variè per totam vrbem dispersæ:mercatores autem pannarij vnà cum aromatariis,loca sibi destinata

occupant. Numerantur in hac vrbe quingentæ & viginti textorum ædes, pluribus contignationibus aulisq; spaciosis magnificè admodum constructæ: in quarum singulis multæ sunt textrinæ, quæ locatoribus magno sunt emolumento: huius opificij asserunt in vrbe esse ad viginti milia, quemadmodum in molendinorũ exercitio. Sunt quoq; in hac vrbe centum officinæ filo candidando exstructæ, quarum potiores ad fluminis ripam sitæ, caldariis, & vasis muratis sunt instructissimæ: & in alios vrbis vsus sunt ingentia ædificia, in quibus varij generis ligna serrantur, quod quidem officium à Christianis mancipiis exercetur, & quicquid inde lucri consequuntur, ad illos redit à quibus aluntur. His nulla omnino quies datur, præterquã diebus Veneris à meridie in vesperam: & octo diebus diuersis temporibus per annum dispersis, in quibus Maurorum celebrantur festa. Habent & meretrices suum locum, quæ fautores habent maximos, interdum potentissimosq; vrbis rectores. Reperias quoque nonnullos œnopolas, quibus vel impune meretrices alere, & cuilibet tradere licet. Sunt & hîc amplius quàm sexcenti fontes limpidissimi muris cincti, curiosissimeque seruati, quorum quilibet subterraneis quibusdam ductibus, variè se huc atque illuc per domos, templa, collegia, & hospitia diffundit: estque illis hæc aqua multò charior: nam quæ è flumine peti solet, frequenter æstiuis temporibus desideratur: huc accedit, quòd quoties aquæductus sunt purgandi, flumen extra vrbem ducatur necessum est. Solet igi-

igitur quælibet familia ex fontibus sibi petere aquam: & quanquam nobiles tempore æstiuo fluuiali vtantur, iubent nihilominus & fontanã adferri, quòd frigidior sit, gustuq; gratior. Vere autem contrarium accidit. Fontium porrò maxima pars ex Occidente & Meridie fluit: nã quę Septentrionem respicit, mõtibus, marmoribusq; Tiburtinis est referta, vbi antra quædam reperias, in quibns frumentum ad multos annos seruari solet: quædã verò adeò ampla vt plus quàm ducenta capiant frumenti modia. Qui in ea vicinia habitant ciues, quiq; antra ea possident, satis inde pro vitæ necessitate colligunt, centesimam namque singulis annis frumenti mensuram pro locatione referunt. Pars quæ ad Meridiem est, dimidia fermè incolis est vacua, hortos habet fructiferos, in quibus nullum fructuum florumque genus desiderari potest. Cuilibet horto suæ sunt ædes, fonsque limpidissimus, rosis, aliisq; herbis cinctus odoriferis, adeò vt si quis Verno tempore hanc inuisat vrbis partem, habet vnde & animum & oculos pascat: quare paradisum nõ immeritò dixeris, cùm in iis nobiles ab Aprili ad Septembris vsque finem se continere soleant. Ab Occidente, hoc est ea parte quæ regiæ vicina est, arx visitur, quæ à Rege Luntunæ exstructa, magnitudine oppido æquatur: in qua Fessæ principes priusquam hic regiam statuissent, se continere solebant. Verùm postquam noua Fessa à Marinorum regibus ædificari cœpit, arx tantùm vrbis præfecto relicta est. Visitur in ea egregium sanè templum, iis temporibus ædificatum, qui-

bus,vt diximus,à principib. & magnatib. occupabatur, postea multa loca diruta,atq; in hortos conuersa sunt:præfectò quædam tantùm relicta sunt ædificia,partim habitationi,partim litibus definiendis apta; est & hic cócameratus quidam locus, in quo captiui detineri solent, adeò spatiosus multisque columnis superinstructus, vt trium millium hominum capacem multi affirmare velint. neque in hoc carcere locus aliquis segregatus reperitur, quandoquidem Fessæ omnibus vnus idemque carcer assignatur. Præterfluit hanc arcem riuulus quidam præfecti negociis accommodus.

### ¶ *Magistratus, Iura administrandi, atque vestiendi apud Fessanos modus.*

HAbet Fessa particulares quosdam magistratus atque iudices: est præfectus qui causas ciuiles definit, & in malos animaduertit. habet & ius canonicum suum quoq; iudicem, ad quem omnia quæ in lege Mahumetana continentur,pertinent. est præterea iudex quidam qui Matrimonia atque repudia curat, quiq; testes omnes & audire,& audita probè diiudicare consueuit. Deinde causarum patronus, ad quem ab iudicum sententia prouocant, cùm vel falluntur,vel authoritati interioris notæ doctoris innixi sententiam ferunt. Præfectus magnam vim nummorum sibi corradit ex condemnationibus,quæ diuersis temporibus fiunt. Hoc autem ferè modò reus peragitur: postquam centum aut ducētis coram præfecto plagis affectus est, carnifex catenam collo inijcit,atq; hoc pacto nu-

nudum (pudendis tantùm exceptis) per omnes ciuitatis partes deducit, carnifice comitatur quidam satelles, quodq́ue perpetratum est à reo faci nus omnibus nunciatur, donec miserum suis vestibus indutum, in carcerem reducant. Fit etiam sæpenumero, vt multi simul concatenati per vrbem ducantur: præfectus pro quolibet reo supplicio affecto aureum vnum cum quarta habet, nec non & à quolibet iam primùm carcerem ingresso nonnihil sibi tributi dari iubet, quod per quosdam mercatores aliosq́ue artifices ei rei destinatos particulatim numerari solet. atq; inter cętera emolumenta, ex quodam monte annuum prouentum septem milium aureorum colligit: idem quando res exigit, Fessę Regi trecentos alit equites, stipendiumq́ue persoluit. Qui ius canonicũ dicunt, nullum nec salarium, nec pręmium inde percipiunt: vetitum enim est lege Mahumetica, ne iudici quicquam persoluatur, sed victum sibi parent vel ex pręlectionibus, vel sacerdotiis. habet & hæc facultas suos causidicos idiotas literarum prorsus ignaros. Est in hac vrbe locus, in quem iudices ꝓpter debitum aliquod, aut leue quoddam crimen ciues conijcere solent. Repeřias in tota hac vrbe quatuor tantùm satellites, qui noctu ab hora vigesimaquarta in secundam vsque omnes ciuitatis partes circumeunt, neque aliud salarium quàm certũ censum, quem ab iis quos in vincula deducunt, pro delicti magnitudine exigunt, illisq́ue liberè permissum est, vt & vinum publicè vendant, & scorta domi alant. Nullos habet præfectus neque scribas, neque no

tarios, ſed ſententiam quam lubet ore profert. Vnus tantùm eſt in tota vrbe qui cenſus ac vectigalia recipit,numeratq; ſingulis diebus in Regis vſum triginta aureos : ſubſtituit nonnullos qui ſingulas vrbis portas obſeruent,neq; vlla res eſt,quamuis exigui precij,quæ non aliquid cenſus exſoluere cogatur. Solent & interdũ in cam pos vſq; extra vrbem mulionibus obuiam procurrere,ne qua fortaſſe mercatura celetur,aut tecta in vrbem deuehatur. quòd ſi fraudem cõperiant, duplex exigunt vectigal. Is autem hac in re ſeruari ordo conſueuit, vt duos aureos in ſingulis centum vectigalis loco pendant: pro onychinis gemmis quorum magna huc affertur copia,quarta perſoluitur:ligna,frumentum,boues, gallinæ,nihil cenſus enumerant. neq; ad ingreſſum vrbis arietes tributum exſoluere coguntur, ſed in macello duos liardos : & eius præfecto vnum penſitãt.Qui autem macelli præfectus eſt, duodecim ſemper ſecum ſatellites habet,ac totã frequenter adequitat vrbem,panem vrbiſq; pondera examinaturus.Quòd ſi panem infra iuſtum pondus diſtrahãt, piſtorem publicè fuſtigare ac eo modo per vrbem deducere iubet. Solet iſtud officij inſignis tantum probitatis dari viris:nũc autẽ cuiuis,quantumuis ignaro aut ſceleſto con ceditur. Huius vrbis ciues ciuili vtuntur habitu, vernis temporibus veſtes gerunt extero panno confectas: ſagum ſubuculæ addunt dimidiis tan tùm ſtrictiſq; manicis,cui veſtem quandã latam atq; ante pectus occluſam ſuperinduunt. Pileos habẽt ſimplices,quales apud noſtrates noctu ge-
ſtari

ſtari videmus,verùm qui aures illis non contegant: pileum faſcia quędam tegit, quã binis glomerationibus capiti & circum barbam obductis nodo hærere faciunt. Caligas nec fœmoralia gerunt,verno tempore equitaturi ocreas ſumunt; at qui tenuioris ſunt fortunæ,ſagum tantùm habent & barnuſſum quem vocant,& viliſſimum pileum. Doctores atque nobiles grandæui veſte quadam latis manicis incedunt quemadmodum nobiles Veneti. Plebei veſtes ferè ex pãno groſſiori atque albo conficere ſolent.Mulieres ſic ſatis ornatæ incedunt,æſtiuo tamen tẽpore ſolam ſubuculam geſtant.Hyeme palla veſtiuntur latis manicis ante pectus occluſa,qualis ea eſt,quam viros geſtare modò diximus. ſi quando in publicum prodire volunt,fœmoralia cruribus addũt, quibus totæ tibiæ cooperiuntur,præterea pannus illis ex capite pendet, qui ad Syriæ formam totum corpus velat. facies quoque tela quadam in eum velatur modum, vt oculis tantùm feneſtellas quaſdam relinquant. Aures anulis aureis gemmiſq; ornant precioſiſſimis: qui infimioris ſunt conditionis,argenteos tantùm anulos auribus addunt, neque alias inaures habent. Brachiis armillas adiungunt aureas quę nobiliores ſunt,reliquæ argenteas, nec non & tibias circulis aureis argenteisue ornare ſolent,idq́ue pro facultatum ratione.

¶ *Cibum capiendi modus.*

NVnc quoq; de victus ratione nonnihil dicendum eſt. vulgus bis qualibet ſeptimana carnes recentes coquere ſolet,

nobiles verò & ditiores, quotidie & quoties lubet. Ter in die sumũt cibum: ientaculum ex fructib⁹ quibusdã & pane, vel liquido pultis genere farina frumentóve constat: hyeme far liquidum carnibus salsis conditum sorbent. In prandio carnibus, acetariis, caseo, atq; oliuis vescuntur: æstate autem aliquanto lautius prandent. Cœna concoctu facillima, pane, melonibus, vuis, aut lactariis paratur: at hyeme carnes elixas comedunt, quam Cuscusu appellant, quæ ex farina in massam redacta conficitur, & in vasis quibusdã perforatis primò igni admouetur, deinde butyro subacta iure quodam conspergitur. Est & quibusdam carnium assarum satis frequens vsus. Habes hic tam nobilium q̃ plebeiorum viuendi formam: quanquam magnates nonnihil lautius cœnent: verùm si nobilium victum qui in Europa sunt, respicias, miseros atq; sordidos Africæ nobiles dixeris, non ab ciborum raritatem, sed quòd nulla prorsus inter hos mundiciei seruetur regula. mensa nanque illis humilis, nuda, atque sordida apparatur: nullas præter terram sedes habent, nulla omnino præter digitos vnguesq; instrumenta. Cuscusu omnibus vna tantùm testa apponitur, ex qua tam nobiles quàm alij manibus nõ cochlearibus exhauriunt. Ius simul cum carnibus eadem quoque lance apponitur, vnde sibi quisq; quam vult partem digitis aduncis excerpere solet: nullos prorsus in mensa cultros videas, quin canino more carnes lacerant, atque summa cum festinatione vorant. neque potum sibi quis expetit, nisi prius cibis expleto stomacho,

cho,tum demum quisq; ingentem epotat aquæ cyathum. Doctores quidem aliquantò melius habent:sed vt verum fatear,vix tam miserum habet Italia nobilem,qui non victu,deliciis atque apparatus magnificentia vel summos quosque superet Africæ magnates.

¶ *Qui in matrimoniis consecrandis seruantur ritus.*

CIrca matrimonium hæc ferè seruatur regula. Vbi pater filiam cuidam despondit proco, mox in templum itur, sponsum ac sponsam comitantur parentes & consanguinei, duo item accersuntur notarij, qui præsentibus omnibus pacta dotemq; conscribunt. Qui mediocris sunt fortunę,filiæ triginta aureos in dotem enumerãt, cui ancillam quindecim ad minimum aureis emptam adiungunt: præterea & telam versicolorem serico intertextam, cum aliis quibusdam panniculis ex serico confectis, quos in capite pepuli loco gestare solent. deinde & par calceorum artificiose atque eleganter consutorum: duo item soccorũ paria elegantissima: multas quoque clenodias argenteas, aut ex alia quauis materia fabrefactas,vt sunt pectines,suffimenta,ventilabra,aliáque istiusmodi,quæ mulieres maximo habent in precio. Quibus ita peractis, quotquot vtrinq; interfuerunt, ad cœnam vocantur,quæ vt sit suis deliciis optimè referta, panis adfertur frixus, quem antea melle temperatum diximus: huic carnes adduntur assæ,idq; primò sponsi sumptib.: postea & sponsæ pater suum apparare iubet cóuiuiũ.Quòd si filiæ præter-

ter iamdictam dotem aliquas dederit vestes, hoc illi pro liberalitate quadam ascribunt. Quanquã pater dotem triginta tantùm aureorum pollicitus sit, solet tamen interdum ducentos, nonnunquã etiam & trecentos insuper in vestibus conficiendis, necnon & aliis quibusdam ad mundum muliebrem pertinẽtib. consumere aureos. rarò autem pro dote domum, vineam, aut agrum aliquem donant. Sponsæ tres conficiunt pallas, easdemq; ex pãno sumptuosissimo: tres item ex serico vndulato, aut alio quouis panno precioso. Subuculas item artificiosissimè elaboratas, necnon & pepla elegantissima, & linteamina artificiosis emblematis vndiquaque exornata. ceruicalia item & puluinaria elegantissima. Solent quoque octo anaclinteria sponsæ dari, quorum quatuor ornatus tantùm gratia armaria contegunt: duobus lana viliori refertis lecti vice vtuntur: ac duobus coriaceis cubiculi stratum sternunt. Dantur insuper tapetes quidam villosi, circiter vlnarum viginti: tria item stragula, altera parte panno ac tela suffulta, altera verò tomẽto referta, quibus noctu sic vtuntur. Parte quadam lectum sternunt, aliam reflexam corpori subiiciunt: quod illis perfacilè est, cùm vtrinque decem circiter vlnas in longitudinem pateat. His totidem serica multo artificio à superiori parte exornata addunt, quæ ab inferiori parte tela & gossypio duplicata sunt. Dant & candida stragula, æstiuo tantùm tempori accommoda: tum & sindónem laneam in plures partes diuisam, atq; elegãter elaboratam, cum certis quibusdam ceu-

pin-

pinnulis coriaceis deauratis, quibus assuunt floc
cos sericos versicolores, & singulo flocco sphæ-
rulam sericam,qua sindon ornatus gratia parieti
affigi posset. Habes hic summatim quid doti ad
di soleat, qua quidem in re nonnulli ita cæteros
excellere student,vt sæpenumero nobiles quos-
dam ad paupertatem redigi contingat. Sunt ex
Italis qui putent viros dotem præbere mulierib.
verùm ij harũ rerum omnino sunt ignari.Spon-
sus,suam ducturus domum sponsam,primò ta-
bernaculum ligneum octogonale serico tectum
intrare iubet, in quo à baiulis defertur comitan
tibus parentibus & affinibus, multo cum tuba-
rum ac tibiarum sonitu, tympanorumque stre-
pitu, necnon maximo facium numero: præce-
dunt sponsi affines cum facibus,sponsæ verò se-
quuntur: sic maximum itur ad forum,temploq;
præterito,sponsus socerum & reliquos omnes sa
lutat,domumque quantum potest properat,at-
que in cubiculo sponsæ aduentum præstolatur.
Pater, frater,& patruus, sponsam ad cubiculi in-
gressum deducunt,pariterq; omnes matri sponsi
tradunt: quamprimum verò sponsa cubiculum
ingreditur, maritus pede suo vxoris pedem tan-
git, statimq; ambo recluduntur. Interim appa-
ratur conuiuium, & fœmina quædam pro fori-
bus expectat, donec deuirginata sponsa hic lin-
teolum sanguine tinctum illi porrigat,quod ma
nu gestans hospitibus ostendit,alta voce clamãs
virginem hactenus incorruptã fuisse. Hanc cum
aliis quibusdam fœminis, primò sponsi, deinde
sponsæ quoque parentes,excipiunt splendidè.

Quod

Quòd si fortasse non virginem fuisse reperiatur, mox maximo omnium dedecore, nuptiisq; infectis, ad parentes relegatur. Tria fere parari solent côuiuia: primum eodem celebratur die quo marito coniuncta est puella, secundum postridie mulieribus tantùm paratur, tertium septimo à celebratis nuptiis die, huic omnes sponsæ amici atque parentes intersunt, quo etiam die sponsæ pater pro facultatum ratione magnifica ad generum deferri curat edulia: at quamprimum maritus domum egreditur (quod septimo fere fit die) bonam emit piscium copiam, quos aut per matrem aut aliam quamlibet mulieré super pedes vxoris proiicere iubet, id enim ex antiqua consuetudine pro bono habent auspicio. Solent & alia insuper duo in soceri ædibus apparari cô-uiuia, alterum pridie quàm elocetur filia: hîc totam noctem saltando atque iocando transigunt. Postridie mulieres ad sponsam exornandam veniunt, capillos comunt, genas minio tingunt: manus verò ac pedes nigros reddunt, sed mox ea perit tinctura & elegantia, alterú eodem die exhibetur conuiuium. Sponsam autem loco quodam eminentiori statuunt, vt ab omnibus facilè videatur, tum quæ sponsam adornarût, lautè excipiuntur. Vbi ad viri domum deducta, solent mariti parentes grandia quædam vasa pane oleo frixo mulsoq; referta ad sponsam mittere, cum aliis quibusdam eduliis, quorum enumeratione breuitatis gratia hoc loco omisimus, quæ omnia inter amiculos per sponsum vocatos consumuntur. Ea nocte quam saltando transigi diximus, nup-

nuptiis interesse solent tibicines & succentores, qui alternatim nunc tibiis, nunc voce satis elegante edunt harmoniam; semper soli tripudiare consueuerunt, & finita cantiuncula, stipem aliquam cantoribus adiiciunt. Quòd si quisquã sal tatorem honore afficere velit, iubet eundem genu flexum ante se sistere, illique totam faciem pecuniis tegit, quas tibicines mox excipiunt. Fœminæ solæ seorsim à viris ad propriorum tybicinum concentũ saltare solent. Hæc (vti diximus) ita geruntur cùm sponsa virgo est. Viduarũ nuptias minori cũ reputatione peragũt. Coquunt bubulam, arietinam, gallinas elixas, quibus varia interponunt edulia. Conuiuis apponũt vice quadræ magnas duodecim scutellas ligneas, rotũdas, adhibitis in conuiuium saltem decem aut duodecim. estq; hic inter nobiles & mercatores mos receptus. Qui tenuioris sunt fortunæ, offulas quasdam ex pane lagani persimili vorant, quem carnium iure madidum digitis tantùm non coclearibus ex maiusculo vase liguriunt, quorum singulis non plures quàm duodecim circunstare solent. Consueuerũt & solenne parare conuiuium, cùm circumciditur mascula proles, quod septimo fit natiuitatis die, huic incisor vnà cum affinibus & consanguineis interesse solet: quo transacto, quisque pro facultatum ratione incisorem munusculis salutat, idq; ferè in hunc modum. Suas quisque pecunias in facie cuiusdam pueri affigit, quem circũcisor huc adduxit. puer pronunciato cuiusque nomine gratias agit: deinde puero circuncisso, diem non minori lætitia

trans-

transigunt, quàm nuptias. Verùm si filia nascatur, minus alacritatis demonstrant.

*Ritus diebus festiuis obseruati, & quo modo mortuos lugeant.*

Remanserunt & apud Fessanos certa vestigia festiuitatum à Christianis olim institutarum, ceremoniis vtentes, quas nec ipsi met intelligunt. Pridie natiuitatis dominicæ ferculo quodam vescuntur, ex variis herbis composito: coquuntur & apud hos omnia fere leguminum genera, quibus eadem nocte ceu delitiis vescuntur. Primo anni die pueri nobilium & mercatorū domos laruata facie adeunt, & cantiunculis quibusdam fructus venari solent. Cùm apud Christianos Baptistæ natalitia celebrantur, maximos vbique videas ignes multo stramine compositos. Vbi puero dentes aduentare vident, conuiuium à parentib. paratur, itidem pueris, quod Latino vocabulo Dentillare vocāt. Habent & alias cōsuetudines & modos auguria sumēdi, quales Romæ atque in aliis Italię ciuitatib. obseruari vidi. Quod ad festa attinet, quę in lege Mahumetica præcipiūtur, ea fusius in eo libello descripta reperies, quem de lege Mahumetica conscripsimus. Mulieres si quādo aut marito, aut patre, aut alio quouis orbantur amico, mox fit numerosus mulierum cōcursus, vestibus depositis, saccis induuntur vilissimis, faciem multo cōspurcant luto: deinde quosdam ad se accersunt, qui muliebribus induti vestibus, quadrata secum adferūt tympana, ad quorum strepitum cantiunculam de more funebrem canunt, idque quantum pos-

sunt

ſunt in defuncti laudem: ad cuiuſque carminis finem, mulieres mœſtiſſime vocem extollunt,capillos euellunt,multiſque cum lachrimis pectus ac genas ita percutiũt, vt ſanguine faciem cooperiant, durantque huiuſmodi ſuperſtitiones per ſemptẽ continuos dies. Deinde quadraginta interpoſitis diebus, luctũ eundem (verùm per triduum duntaxat) repetunt,eſtque hic inter plebeios tantũ modus obſeruatus, nobiles aliquanto modeſtius ſe gerunt: omnes quotquot ſunt amici accedunt, mœſtam ſolantur viduam, variosque eò mittunt cibos: non enim in domo funebri culinam curare, niſi poſt euectum cadauer licet. Mulieres nunquam funus comitantur, tametſi maritus, aut pater, vel frater, in ſepulchrum deferantur. Quibus autem modis cadauer abluant ſepeliantq́;, quibus in ſepeliendo ſuperſtitionibus vti conſueuerunt, eodem libello ſcripta reperies quem ſupra nominauimus.

¶ *Columbaria.*

MVlti reperiuntur in hac vrbe qui columbis alendis maximam ſumunt voluptatem, quarum hic omnium colorum maxima reperitur copia. Eas in domuum ſummitate caueis quibuſdam incluſas habent, quas bis in ſingulos dies aperiũt, mane & circa veſperam, magnam ex volatu oblectationẽ capientes, nam quæ volando alias ſuperant, pro optimis habentur. Euenit non rarò, vt columbæ vicinorum inter ſe miſceantur, quam ob cauſam qui eas alunt ſe mutuis pugnis afficere videas. Habent & nonnulli reticulum quoddam ſummitati cannarum

ob-

oblongarũ affixum, quo in domus tecto latitantes, præteruolantes vicini columbas captare solent. Inter carbonarios septem aut octo tantum officinas inuenias, quæ columbas venales habẽt.

### ¶ *Ludendi apud Fessanos modus.*

INter ciues Fessanos latrunculorum ludus est vsitatissimus, & antiquissimus. Reperiuntur & alia quædam ludorũ genera, verùm rudia vulgóque tantummodo nota. Quibusdam anni temporibus pueri vnius vici in alterius regionis pueros fustibus agere solent, idq; interdum tanto cum animi feruore, vt ad arma recurrentes etiam aduersarios interficiant, idque diebus præsertim festiuis, quib⁹ mutuo extra vrbis mœnia se prouocare consueuerunt. Postquã totum ferè diem acriter pugnando transegerunt, circa vesperum saxis volatilib. res agitur: tandem accedentibus vrbis satellitibus, nonnulli captiui adducuntur, ac publicè per totam vrbem fustigantur. Accidit interdum vt iuuenes armis instructi nocte ciuitatẽ exeant, ac per agros & hortos discurrant: quòd si alterius factionis iuuenes obuios reperiant, dici non potest quàm cruentum inter se ineant prælium: etsi sæpenumero atrociter in illos animaduertatur.

### ¶ *Poëtæ Afri.*

NOn desunt Fessæ poëtę famosissimi, qui lingua vulgari diuersa pangunt carmina. Horũ nonnulli amores suos erga amicã, nonnulli erga puellos, omni pudore postposito carmine exponunt. Singulis annis quædam solent condere in Mahumetes laudẽ carmina, prę-

cipuè autem ipso Mahumetis natali: tum enim summo mane in eum confluunt locum vbi consulum præfectus suam habet mansionem, cuius sedile conscendunt, atque inde sigillatim suam quisque magna vulgi frequentia recitat cantionem: quam qui elegantius & accommodatius dictauerit, eo anno poëtarum princeps acclamatur. Verùm quo tempore incolumis adhuc Marinorum regum erat familia, qui tum regno potiebatur, in regiam suam vocabat quotquot in vrbe erãt, doctos & literatos: quos magnificè excipiens iubebat vt se prę̨sente è loco eminẽtiori suum quisq; ordine in Mahumetis laudem recitaret carmen: qui verò omnium suffragiis optimè dixerat, à rege equo prę̨stantissimo, serua, centum aureis, necnon vestes, qua tum Rex indutus erat, donabatur: cæteris omnibus quinquaginta enumerabantur aurei, adeò vt nullus nisi regis expertus munificentiam inde discederet. verùm centum & triginta elapsi sunt anni, ex quò hæc omnia paulatim decrescente Fessanorum imperio, in dissuetudinem abiere.

¶ *Ludorum literariorum descriptio.*

PVerorum apud Fessanos literas addiscere volentium, ducentæ ferè munerantur scholæ, quarum quælibet formam aulæ habet amplissimæ. Circumcirca visuntur certi gradus, quib⁹ pueri ceu sedilibus vtũtur. Ludi magister legere ac scribere docet non ex libro verùm è tabula quadam maxima. Quotidie sententia vna aut altera Alcorani exponitur: quo absoluto, rursum ab initio auspicantur, idq; toties reiteratur,

donec memoriç tenacissimè insculptum hęreat, quod ad plurimum fit septennio. Deinde gymnasiarcha pueris orthographiæ partem aliquam prælegit, verùm ea sicut & reliquæ grammaticæ partes, multò exactius in collegiis, quàm in huiusmodi scholis triuialibus tractantur. Exiguum admodum pręceptorib. numeratur stipendium, verùm quando pueri Alcorani partem aliquam attigerunt, solent ludi magistro munuscula aliquot pro facultatum ratione adferre. postquam verò puerorum quisquam integrum ad vnguem habet Alcoranũ, pater condiscipulos omnes magnificio excipit apparatu: in quo filius splēdidè vestitus pulcherrimo vehitur equo, quē vnà cum vestibus ciuitatis regiæ Præfectus mutuò dare tenetur. Reliqui scholastici eum comitantur pariter equites adusq; hospitium quod ingrediuntur, varias cantilenas in Dei laudē ac Machumetis canentes. Deinde conuiuium pueris paratur splendidissimũ, cui quotquot sunt patri affines, interesse solent: tum quisq; ludi magistrum aliquo munusculo salutat, pater verò nouis illum vestibus ornat. Solent & pueri celebrare festum ipso natali Machumetis, quo parētes mittere in scholam facem tenentur: deferunt singuli pueri singulas faces, quarum nonnullæ triginta libras pendent. Sunt aũt faces elegantissime confectæ, variisque circumcirca cereis exornatę fructibus, ipsoq; diluculo incensę ad solis exortum ardent, interea succentores aliquot Mahumetes referũt laudes, moxq; exorto sole finitur illius diei festiuitas; soletque hic dies maximam ludimagistris

adferre vtilitatem, vendũt enim quod reliquum illis relinquitur ceræ centum aut eò plus interdum aureis. Pro ſcholæ locatione, nemo quicquam exoluit: nam ante aliquot luſtra in ſtudioſorum gratiam exſtructos intelleximus ludos literarios. Quicquid cereis ornatus gratia additur, ludimagiſter inter pueros & ſuccentores diſtribuit. Tam in publicis quàm triuialibus ſcholis duobus qualibet ſeptimana diebus feriatur, quibus nec docent, nec ſtudent.

*Fatiloquorum qui in hac vrbe reperiuntur enumeratio.*

NIhil adhuc de coriariis diximus, qui permultas habent in ripa fluminis manſiones, & pro quolibet corio vnius aſſis vectigal enumerãt, vnde ſingulis annis ducenti ferè colliguntur aurei. Reperias hic chirurgos atque tonſores aliquot, quorum quoniam exiguus eſt numerus, vix hoc loco annectere potui. Venio ad fatidicos & diuinatores, quorũ ingens eſt numerus, triaq; genera: horum enim nonnulli geomanticis vti ſolent figuris. Alij aquam catino vitreo infuſam olei guttula admixta, lucidam & tranſparentem reddunt, in qua tanquam in ſpeculo dæmones confertim ſe videre affirmãt, qui exercitum numeroſum repræſentant, quorum nonnulli in itinere ſunt, alij riuum tranſmittũt, alij terreſtre prælium gerũt, quos vbi quietos videt, de rebus quas ſcire cupit interrogat: dæmones porrò nutibus reſpõdent, vel aliquo manuũ vel oculorum indicio: adeò temeraria atq; damnanda horum eſt hac in re credulitas. Vitreum

illud vas pueris interdum vix octauum egressis annum in manum dant, à quibus num hunc vel illum dæmonem viderint interrogant. Permulti in hac ciuitate reperiuntur eò dementię redacti vt maximas profundant in his nugis pecunias. Tertium genus diuinatorum constat mulieribus veneficis, quæ cum dæmonibus familiaritatem habere affirmāt: dæmones autem aut rubros, aut albos, aut nigros appellitant: atque vbi alicuius fatum eloqui volunt, certis odoribus semetipsas suffiunt, eum quem accerserunt dæmonem se tum recipere affirmantes; deinde mutata voce dæmonem in ipsis loqui fingunt: tum qui rei, alicuius perdiscendæ gratia venerunt, quicquid volunt ex veneficis illis sceleſtissimisque mulieribus sciscitantur, idque maximo cum tremore ac reuerentia, deinde numerato dæmoni precio discedunt. Verùm qui sanioris sunt iudicij, mulieres has Sahacat, quod Latinis fricatrices sonat, appellant, quòd illis damnanda sit consuetudo, venerem inter seipsas exercere, quod honestiori vocabulo exprimere nō possum. Si quando contingat vt formosæ quædam mulieres illas adeāt, veneficæ harum amore non secus atq; adolescentes puellarū accenduntur, & in dæmonis specie rogant, vt concubitum pro mercede patiantur: hoc modo sæpenumero fit, vt dum se dęmoniorum dictis paruisse putāt, rem cum veneficis habuerunt. Neque desunt quæ eius rei voluptate allectæ, veneficarū consortium ambiant, & morbum fingentes vnā earum ad se vocent, vel miserum eò mittant maritum: quæ vbi rem intel-

lexe-

lexerint, mulierem à dæmone quodam vexatam affirmant, eamque ob causam nullo modo liberari posse, nisi se illarum adiunxerit numero. His verbis miser ille tandem victus, non id permittit modò, quin & sumptuosum veneficarum ordini parat conuiuium: quo absoluto ad strepitum tympanorum mirum in modum saltare solent: deinde vxorem charissimam diis ventisque committit. Reperiuntur tamē nonnulli qui vel minimo negotio fustibus vxores pulsando dæmonem eijciunt: älij dæmonium se habere fingentes, non alio modo veneficas illas decipiunt, atque illorum deceptæ sunt vxores.

¶ *Præstigiatores.*

Reperitur & Fessæ præstigiatorum genus quoddam, Muhazzimin vocant: hi omnium promptissimè dæmonia eiicere dicuntur. & quia illorum vaticinio nonnunquam succedat effectus, dici nō potest quantum ea res existimationem augeat: quòd si eiicere non possint, aëreum esse spiritum asserūt. Modus autem adiurandi dæmones hic ferè est: primò characteres circulosq; nonnullos in faculo, aut alio quouis loco depingūt, deinde signa quædam in dæmoniaci manibus aut fronte describunt, illumq; miris modis fumigant. Postea carmē conficiunt: ex dæmone sciscitātur quà & quomodo huc intrauerit, quis sit, quodq; illi sit nomen ędiscunt, tandem inde exire præcipiunt. Sunt & alterius generis, qui regula quadam Caballistica (Zairagia appellant) operantur: hæc autem multis continetur scriptis, naturalis siquidem scientia pū-

 tatur

tatur. neq; alios Fessæ reperias, qui maiori cum fide magisq; indubitanter ad interrogata respon deant, verùm hæc ars difficillima est: qui enim huic operam dare studet, non minorem Astrologiæ, quàm Cabalisticæ cognitionẽ habeat, necesse est. Memini me aliquando huius artis peritum in vnius figuræ discriptionem integrum consumpsisse diem: figuræ autem in hunc ferè describuntur modum: Primò circulos multos in maiori circulo ducunt: in primo crucem formãt, in cuius extremitatibus quatuor mundi plagas appingunt, Orientem, Occidentem. &c. in centro vbi lineæ concurrunt, vtrunque notant polum: extra primum circulum quatuor depingũt elementa: deinde circulum in quatuor secãt partes, & sequentem circulum in totidem: posthæc quamlibet partem in alias septem secant, quarũ quælibet characteribus maiusculis Arabicis insigniunt, adeò vt quodlibet elementum vigintiocto habeat characteres. In sequenti circulo septem planetas notant, in alio duodecim Zodiaci signa, in sequenti duodecim mensium Latina nomina, in alio vigintiocto Lunæ domicilia, in alio trecentos sexagintaquinque anni dies depingũt, extra hunc verò quatuor ventos cardinales adnotant. Deinde vnam tantùm rei propositæ literã sumunt, atque per omnia antè enumerata multiplicant, productumque characteris numerum quodam modo diuidunt, atque pro characteris ratione loco aliquo colloquant, vtq; elementum illud exigere videtur in quo reperitur character sine figura. his omnibus ita peractis, figuram a-

ni-

animaduertunt, quæ cum numero iam producto conuenire videtur, cum quo eodem modo procedunt, veluti cum priore fit progressio, donec vigintiocto characteres habeant, ex quibus vnã dictionem colligũt, ex dictione verò oratio conflatur, quæ ad rem ipsam in quęstionẽ vocatam respondet: eá porrò oratio semper in carmẽ primæ speciei cadit, quod Arabes Ethauil appellant, componiturque ex octo stipitibus & chordis duodecim, iuxta Arabicæ linguæ metricam, de qua tractauimus in vltima parte grammaticę nostræ Arabicæ. Carmen igitur ex iis characteribus compositum, verum atq; indubitatum rei propositæ præbet responsum, primò quid quæratur, deinde rei interrogatæ sententia. Hi verò nunquam errant, quod Cabalisticam summè admirandam reddit: & quanquã naturalis habeatur, nunquam tamen quicquam vidi, quod cum scientiá supernaturali atque diuina maiorem habeat affinitatem. Memini me quondam in loco aperto collegij Regis Abulunan (quod Fessæ visitur) in areá leuigato marmore strata insignem vidisse figuræ descriptionem. areæ quodlibet latus quinquaginta erat vlnarum, huius duæ tertiæ iis occupabantur quæ ad figurã pertinebant: tres verò descriptionem faciebant, quorum quilibet suum tantùm curabat locum, durauitq; ea descriptio per integrum diem. Huiusmodi quoque aliam Tuneti à quodam eius artis peritissimo descriptam vidi, cuius pater duo volumina commentationum in eius artis canones conscripserat, quos qui exactè sciunt, summo habẽtur

ab omnibus precio. Ego solùm tres, Tuneti vnũ, Fessæ verò duos videre potui: duas quoq; in eius artis regulas explicationes, & commentarium Margiani cuiusdam, eius parentis quem Tuneti olim vidi, & aliud ab Ibnu Caldim Historiographo conscriptum. Quòd si quisquam desiderio teneretur eius artis regulas cum suis commentariis videndi, posset quinquaginta aureorũ dispendio hoc perficere: nam Tunetum adnauigando Italiæ vicinum oppidum, prædicta opera inueniret. Mihi oblata est occasio tam temporis q̃ præceptoris, qui me gratis se doctutũ receperat: sed mihi nó placuit, eò quòd lege Machumetica vetita, haberetur velut hæretica. Huius enim scriptura omne diuinationum genus vanum esse asserit, Deumque solum arcana & futura nosse: quare & à Machumetanorum inquisitorib. non nunquam in vincula coniiciuntur, neq; cessant persequi eius disciplinæ sequaces.

## ¶ *Regulæ quædam & superstitiones in lege Mahumetica obseruatæ.*

Reperias & hic doctos quosdam, qui se sapientes philosophosq; morales appellari volunt. Regulas nonnullas obseruant, quarum nec ipse vnquam meminit Mahumetes. Hi à nonnullis catholici, ab aliis hæretici habentur, maxima tamen vulgi pars illos ceu diuos venerantur, tametsi multa illicita velint, quæ lege Machumetica sunt interdicta, cuiusmodi est illud: Machumetica lege vetitum, ne quis amores suos cantiunculis Musicis exprimat, quod illi tamen fieri posse affirmant. Innumeræ in hac lege

repe-

reperiuntur regulæ, quarum quælibet suos habet fautores atq; protectores doctissimos. Secta hæc incœpit pullulascere Anno post Mahumetem octuagesimo, & qui primus eam introduxit Elhesenibnu Abilhasen nominabatur, Basra oppido oriundus, hic discipulos quos in suam sententiam illexerat, regulas aliquot edocuit, cæterum nihil omnino scriptum reliquit. Post hunc circiter annis centum fuit alius quidam insignis à Bagadedo (Elharit Ibnu Esed appellabant) qui egregium discipulis suis scriptũ reliquit. Postea quotquot illius reperti sunt fautores, à pontificibus & legisperitis damnati sunt. Octuagesimo deinde anno cœpit eadem hæresis repullulascere sub insigni quodam viro, qui permultos ad se pertraxit, quibus publicè doctrinam suam prælegebat. Tandem cum omnibus suis à pontifice ac Iurisperitis morti damnatus est. quod vbi hæresiarcha intellexit, subitò literis ad Pontificem datis, petiit vt cum Legisperitis de sua doctrina liceret disputare, à quibus si vinceretur, æquissimo animo se mortẽ subire velle, sin minus, non decere vt pro iniusta calumnia tam multi perirẽt innocui. Pontifex iustam arbitratus petitionem, quicquid scriptum erat approbauit. Vbi ergo ad concertationem ventum fuit, iurisperitos omnes facillimè deuicit. Quod vbi pontifex animaduertisset, sententiam ceu iniquè latam reuocauit, & collegia & monasteria permulta in eius asseclarũ vsum exstrui iussit. Remansit post hunc ea hæresis annis circiter centum, donec Imperator Malicsacho, stirpis & originis Turcicæ, ex Asia maiore

lore huc veniens, omnes eius sectæ assertores deleuisset. Horum nonnulli ad Chairum, reliqui in Arabiam confugerunt, per viginti annos huc atque illuc dispersi, donec regnante Caselo nepote Malisachi, Nidamus Elmulus eius consiliarius, vir magni ingenij, sectæ huic addictus, eam restituit, erexit, atque ita confirmauit, vt opera doctissimi cuiusdam Ebgazzuli, qui de ea re insigne opus in septem diuisum partes cōscripsit, Legisperitos cum huius dogmatis assertoribus reconciliauerit, ea tamen conditione, vt Iurisconsulti prophetæ Legis conseruatores, hi verò eius doctrinæ reformatores appellarētur. Remansit hęc inter eos cōcordia, donec Bagaded à Tartaris excisa fuit, quod anno Hegiræ sexcentesimo quinquagesimosexto accidit: quo tempore adeò illorum creuerat numerus, vt totam ferè Asiam atq; Africam occuparent. Neq; quenquam in eorum admittebant ordinem, nisi literatissimus atque in omni disciplinarum genere exercitatissimus esset, quò & suam legem defendere, & aduersariorum opiniones refellere posset: nunc autem quātumuis rudem ac literarum ignarum admittunt, affirmantes nulla hic opus esse eruditione, nam spiritus sanctus (inquiunt) illis qui mundo sunt corde, veritatis aperit cognitionem, inulstasque in hanc sententiam rationes adducunt, quamuis non admodum validas. Spretis igitur patrum ritibus, legisque obseruationibus, nihil aliud quàm delicias voluptatesq; ambiunt, crebro conuiuantur, lasciuas proferunt cantiones. Interdum vestes pro versuum quos cantillant

ratio

ratione, aut pro ingenij corruptissimi deprauatione dilacerant, se tum amore diuino correptos mentientes: ego verò ciborum affluentia & crapula correptos potius dixerim. singuli enim tantum cibariorũ abliguriunt, quantũ tribus facilè sufficere posse dicas. aut, quod verisimilius apparet, hos clamores planctib. comitatos extollunt, quòd imberbium iuuenum amore correpti sint. Nonnunquam enim contingit, vt ad nobilis cuiusdã viri nuptias accersatur vnus ex præcipuis cum vniuerso discipulorũ cœtu, qui conuiuium auspicaturi, orationes & cantiones diuinas recitant: absoluta verò cœna, qui maiores natu sunt vestes saltaturi dilacerant: quòd si inter choreas quenquam propter copiosioré potationem cadere contingat, mox ab vno discipulorum erigitur, atque lasciuius plus satis deosculatur. Vnde prouerbium apud Fessanos ortum: Heremitarũ cõuiuium. quo tunc vti solent, cùm discipulum aliquem sui domini sponsum esse intelliguut.

¶ *Diuersæ regulæ ac sectæ, & superstitiosa multorum credulitas.*

INter has sectas reperias nonnullos, qui diuersam nõ legem modò, verùm & fidem quoq; habent, quare à nonnullis hęretici habentur. Sunt & nonnulli qui hominem per bona opera, per ieiunia, & abstinentiam, angelicam naturam adipisci opinantur, quæ ita mentem expiare & ab omni crimine liberare volunt, vt peccare tam etsi vellet, nullo modo posset: Verùm hanc fœlicitatẽ attingere non posse credunt, nisi prius per quinquaginta disciplinarum gradus ascenderint:

&

& licet in peccatum inciderint, priusquàm quin quagesimũ attingant gradum, id sibi à Deo peccatum non imputari dicunt. Hi principiò quidem strictissimam agunt vitam, ieiunio mirum in modum sese macerant: deinde omni deliciarũ ac voluptatum generi vacant. Habent quoque arctissimam, viuendi normam à doctissimo quo dam Essehrauardo, à Sehrauard Corasaniæ ciuitate oriundo quatuor libris descriptam. Fuit & alius autor, dictus Ibnul Farid, hic omnem illorũ fidem festiuis versibus descripsit, qui allegoriis referti nihil quàm amores tractare videntur: quã ob rem Elfarganus quidam, opus commentario explicauit, atque ex versibus sectæ canones perstrinxit, & gradus per quos transeundum est, ostendit. Carminum porrò tanta est venustas & elegantia, vt huius dogmatis assertores nulla alia suis in conuiuiis cantillent ac recitent: nam an nis abhinc trecentis, nemo præter hunc eam lin guam magis excoluit. Hi firmamentum, elementa, planetas ac stellas vnum esse Deum arbitrantur, nullamq; nec legem, nec fidem erroneã: cuique enim (inquiunt) adorare licet, quod suo animo maximè adorandum occurrit. Credunt omnem Dei scientiam in vnum hominẽ transfusam, quẽ eorum lingua Elcoth appellant, hunc à Deo electum, Deoque in scientiæ portione æqualem esse dicunt. Reperias inter eos quadraginta homines, qui vno omnes nomine Elauted nuncupantur, quod nobis idem quod truncus significat: ex his mortuo Elcotha, alius rursum creatur, idque suffragio septuaginta, penes quos hu-

huius eligendi poteſtas eſt. Sunt & alij quidam numero ſeptingenti ſexagintaquinque, quorum nomen memoriæ excidit, ex his deficiente vno ex ſeptuaginta Elcothę electoribus, alius eligi ſolet. Hi regula quadam aſtricti coguntur ſemper incogniti incedere, ſolentque totum ferè tranſcurrere mundū viliſſimo quodam habitu, amentes dicas atque ab omni ſenſu atque humanitate alienos, atq; ſub huiuſmodi vmbra ſceleſtiſſimi homines nudi atq; effrenati totam reperiuntur Africam diſcurrentes, quibus adeò exigua vel honeſtatis vel pudoris ratio eſt, vt fœminas interdū publice beluino more ineant, vulgus tamen illos ceu eximiæ ſanctimoniæ homines veneratur. Horum maximam reperias Tuneti copiam, ac multò plures in Ægypto, & Alcairo præcipuè: vbi in foro quod Bain Elcaſrain vocant, quendā illorum pulcherrimam mulierem quæ balneum egrediebatur in oīum conſpectu deflorare meis oculis vidi: quod vbi peregiſſet, mox omnes accurrebant, veſteſque mulieris ceu rem maximè ſacram manibus contingebant. Adulterum verò ſanctimoniæ ſummę virum affirmabant, eumq; peccatū finxiſſe ſaltem, nullo autem modo perpetraſſe: quod vbi ſtupratæ maritus intellexiſſet, Deum benedicens, ſolenni conuiuio & eleemoſynarum largitioribus tam ſingulare beneficium proſequebatur. Voluerunt vrbis iudices in ſceleſtum animaduertere, verùm periculum fuit, ne à populo interficerētur, qui hos vt antea diximus, ceu diuos ſummæquè ſanctimoniæ viros colit. Vidi & alia quędam ſceleratius perpetrata, quorum

rum vel meminisse pudet.

¶ *Cabalistici.*

Est & aliud hominum genus, quos Cabalisticos nominare possumus. Hi arctissimè ieiunant, neque vllius animalis carnibus vescuntur, verùm certos habent cibos & vestes, cuilibet horæ diei ordinatos ac deputatos, & noctu certas preces pro ratione dierũ ac mensium recitant, & tabellas quadratas characteribus depictas certisque numeris incisas circumferre solent. Angelos quotidie collocutores se habere fingunt, à quibus omnium rerum notitiam edocentur. horum insignis quidã fuit doctor, quem El Boni appellarũt, qui illorum regulam, orationes, & quadratas tabellas composuit. Quod quidem opus cum vidissem, iudicaui eam artem plus affinitatis habere cum Magica, q̃ Cabala. Eius octo præcipuè erant partes, quarũ prima Ellumha Enoramita, hoc est luminis demõstratio: quæ orationes ac ieiunia cõplectebatur. Secunda, quam Semsul Meharif, hoc est scientiarũ solem appellant tabellas continebat, quas antea illos circunferre diximus, nec non & earum vtilitatem. Tertiam partem Sirru Lasmei Elchusne vocant, hęc virtutes enumerabat quas nonagintanouem Dei nominibus inesse dicunt, quam Romæ penes Venetum quendam Hebræum vidisse memini. Est & alia quędam inter eos regula, quę Suuach, hoc est heremitarũ vocatur, cuius sectatores nemora solitariosque locos inhabitant, nec aliis vnquam vescũtur cibis, quàm quos locus ille agrestis suppeditare solet. Horum vitam exactè describere

nemo poteſt, quòd omnem fugiant humanam conſuetudinem. Verùm ſi ſigillatim deſcribendæ mihi eſſent variæ Machumetanorum ſectæ, longe à propoſito digrederer: tamen qui ampliora deſiderat, opus conſulat Elacſani, qui fuſius tractat de diuerſis ſectis ex Machumetana religione manantibus, quarũ potiores ſunt ſeptuaginta duæ, quarum quilibet ſuam tuetur tanquã bonam & veram, in qua homo ſaluari poſſit. Hodie duas tantùm præcipuas inuenies, quarum altera Leſchari per totam Africam, Ægyptum, Syriam, Arabiam, atque Turciam extenditur: altera Imamia, totam occupat Perſarum regionẽ, necnon & Coraſani quædam oppida, quam & Sophi Perſarum Rex tuetur: propter hanc ſectã tota ferè Aſia deleta eſt. nam cùm antea Leſhari dogma haberent, Rex vi atque armis ſuum introducere voluit: tamen vna duntaxat ſecta vniuerſum cõplectitur Mahumetanorũ dominium.

¶ *Theſaurorum inueſtigatores.*

REperias & Feſſæ nonnullos quos Elcaneſin appellant, qui theſauros in ædificiorũ antiquorum fundamentis reconditos putant, & perpetuo quærunt. Solent ſtupidi illi homines extra vrbis mœnia ſpecus & antra quædã intrare, certiſſimò ſibi perſuadentes quòd adempta Romanis Africa, dum ad Hiſpaniæ Bæticam cõfugerẽt, theſauros multos in terræ viſcera, quos conferre non potuerant, abdidiſſe, & magica arte ita excantaſſe, vt non niſi iiſdem quoque artibus euelli poſſint; quare & incantatores quærunt qui effodiendi theſauros artem doceant. Nec deſunt,

qui in certa cauerna aurum vidisse asserunt: alij verò argentum, verùm nō potuisse euellere, quod fumigationibus & incantationib. accómodis destituti essent, & vana hac opinione seducti terræ penetralia fodientes, ædificiorum & sepulchrorū fundaméta destruunt, & nonnunquā ad iter dierum decem aut duodecim à Fessa producūt: eoq; væsaniæ redacti sunt, vt libros qui effodiendi auri rationem pollicentur, ceu oracula Sibyllinaq; tenent folia. Priusquā Fessa discederem, suæ insaniæ creauerant consulem, & facta à locorum possessoribus fodiendi facultate, vbi quod satis erat fodissent, iacturam omnem illis resarciebant.

¶ *Alchymistæ.*

EST quoque magna in hac vrbe Alchymistarum frequentia, qui vanissimę huic arti insignem nauant operam: sunt verò stupidissimi homines, quiq; sulfure & aliis fœtidis odoribus sese contaminant. Serotina hora vsitato more solent in summum templum conuenire, vbi falsas suas opiniones disputant. Habent autē eius artis multa opuscula à doctis viris conscripta, inter quos potioré locum habet Geber, qui centum annis post Mahumetem vixit, quem natione Græcū aiunt fidem abiurasse. Huius opus, vniuersæq; præceptiones allegoriis refertæ sunt. Habent & alium quendam autorem qui de hac arte ingens edidit volumen, inscriptū Attogrehi: hic Bagadedæ principi à secretis fuit, de quo in vitis philosophorū Arabum scripsimus. Scripsit quoque eius artis cantica seu articulos Mugaribus quidam Granatensis, quem commentatus

est

est Mammaluccus doctissimus patria Damascenus; sic tamen vt multò facilius textum quàm commentaria intelligas. Alchimistarum autem duo hic sunt genera, quorum alij Elissir, hoc est, materiam quærunt quę æs & metallũ tingit, alij metallorum quantitatum multiplicationẽ, quo ea cõmodè misceant. Scopus tamen ferè esse solet, adulterinam cudere monetam: quare horum maximã partem Fessæ manu truncatã reperias.

*Adiuratores & anguium incantatores.*

MAgna deniq; in hac vrbe est vilissimorum hominum copia, quos Itali adiuratores vocant: Hi per omnes vrbis vicos ineptas cantiones & rhytmos cantitant, tympano, lyra, cythara, aliisque instrumentis meras edentes ineptias, amuleta vel antidota, vt vocant, indoctę plebi diuendunt. His accedit & aliud vilissimum hominum genus eiusdem omnino familiæ, qui vicatim simias saltantes deducunt, & collum brachiaque crebris anguibus circumdata habẽt: Profitentur & hi geomanticam, sortemq; se mulierib. prædicere persuadent. Solent quoq; admissarios quosdam equos ducere, quos fœtus gratia certo precio equabus adiungunt. Possem alia enumerare hominũ genera, verùm hoc loco monuisse sufficiat maximam illorum partem vilissimæ esse conditionis, quique cæteris parum faciant, quanquàm exiguus in hac vrbe sit peregrinorum numerus, quòd à mari distet centum aut amplius miliaribus, ac via quę ad mare ducit aspera & incommoda. Nobiles multa superbia tumidi, exiguam admodum aut nullam cum ci-

uibus habent consuetudinem, quemadmodum neque doctores, neque iudices, qui vt maiori sint in precio, paucorum admittût colloquium: oppidum tamen est pulcherrimû, & commodo loco ædificatum, in quo quum hyemali tempore lutosæ admodum sint plateæ, adeo vt non nisi peronibus quibusdam per eas incedere possint, per aquæductus tantam aquarû vim effundunt, vt facilè omnes abluantur sordes. Vbi aquæductus desunt, vehiculis omne lutum in proximû deferunt fluuium.

*Suburbiorum extra hanc vrbem descriptio.*

Extra huius oppidi mœnia Occidentê versus suburbanum est, quod quingêtas ferè numerat familias, domus abiectæ incolas habent vilissimos, camelorum actores, aquæ baiulos, lignorumq; præparatores, quę in regia consumi solent. Crebras tamen officinas, omnisque generis artifices inuenias. Hic omnes adiuratores nulliusque precii tibicines habitant, de quibus iamiam locuti sumus; meretricum adhęc ingens numerus, tametsi sordidissimæ atq; abiectissimę sint. In suburbij huius pręcipuo vico antra quędam artificiosissime in marmore Tiburtino excisa reperies, in quibus magnates recondere solebant frumentû; verùm postquam bellorum iniuria sępissimè auferretur, in Fessam nouam suum quisque frumentum aduectum, ibidemque seruatum curauit: Tiburtina autê antra ab eo tempore deserta remanserunt. Dictum incredibile quàm sint hæ speluncæ latæ atq; spatiosæ, nam quę harû est minima, plus quàm mille frumenti

mea

mensuras capit, antra autem centesimũ & quinquagesimum superãt numerum, quæ modò deserta & aperta remanent, adeò vt nõnullos ex improuiso in ea cadere contingat, quamobrem fauces muris sunt circumcinctæ. Cuilibet hic œnopolam & lenonem agere licet, quare non immeritò hoc suburbium Fessæ sentinam dixeris. Ab hora vigesima, neminẽ in omnibus his tabernis reperias: tum enim quisq; choreis, iocis, luxui & ebrietati vacat. Est & aliud eiusdem oppidi suburbium leprosis dicatum, quorum familiæ sunt circiter ducẽtæ: Habent præfectum qui annuos redditus à nobilibus legatos colligit, quique tam exactam eorum curam gerit, vt nulla re egeant. Ex officio tenetur vrbem à contagiosis hominibus liberam tueri, & quos intellexerit eo morbo infectos, protinus in hoc suburbium se recipere cogat. Si quem leprosorum ex hac vita migrare contingat, nulla prole nullóne hærede relicto, huius bonorum pars altera in communẽ omnium cedit vtilitatẽ, altera accuratoris est: quòd si proles supersit, bona prolibus cedunt. In horum numerum rediguntur & illi qui candidis labeculis aut alio quouis morbo incurabili laborant. Vlterius est aliud suburbium, quod muliones tantùm, cementarij, & lignatores inhabitant: quod licet angustum, familias tamẽ circiter centum & quinquaginta numerat. Ea quoque via quæ in Occidentem vergit, maximum est suburbium, domorũm amplius quadringentarũ capax: sunt autem domus humiles & vilissimæ, incolæ pauperrimi, qui inter alios habitare nec possunt, nec

volunt. Ab hoc ſuburbio planiciés quædam eſt lata, quæ ad fluuium duobus miliaribus diſtantē ducit, extenditq; ſeſe Occidentem verſus ad tria fere miliaria. In hac planicie ſingulis hebdomadibus frequentiſſimus fit mercatus, conuenit ingens hominum multitudo cum armentis & pecudibus. Inſtitores merces ſuas ſub tentoriis venum exponunt. Conſuetudo inualuit, vt exigua nobilium turma pariter coëant, qui arietem mactatum inter ſeipſos partiuntur, lanioni caput pro mercede relinquentes, pedes verò atque vellus lanariis vendunt mercatoribus. Pro iis autem quæ hic venduntur mercibus, tam exiguū principi exſoluunt tributum, vt eius declaratio hoc loco ſuperuacua videatur. Hoc porrò ſilentio nō eſt prætereundum, me nec in Aſia, nec in Africa, neque etiam in Italia frequentiorem vidiſſe mercatum, neque mercium maiorem copiam. Non procul à Feſſa rupes viſuntur altiſſimæ, quę foſſa quadam cinguntur, cuius longitudo duorum eſt miliarium, ex rupibus ſaxa exciduntur, vnde calx conficitur. Ad Foſſæ ripam multi ſunt clibani, quorū nonnulli tantæ ſunt magnitudinis, vt calcis amplius quàm ſex mille menſuras expleant, calcem vero ditiſſimi Feſſæ ciues conficere iubent. Ea parte quæ in Occidentem ducit extra Feſſę mœnia in fluminis ripa circa centum inueniuntur tuguriola, quæ tantùm ab iis occupantur, qui telis albicandis operam inſumunt. Huc verno æſtiuoque tempore telam ciues adferre ſolent, quam in pratis explicatam quoties à ſole deſiccari vidēt, ſitulis quibuſdam coriaceis

ad

ad id paratis aquam aut ex flumine aut ex cana li hauriunt, qua telam aspergunt: vesperi autem quisque sibi creditam telam in dicta retrahit tuguriola. Prata autem quæ eò seruantur, nunquā reperias herbis nudata. Non facilè credas quantā sit oculorum oblectatio, si quis procul albicantes in viridi prato telas, & fluminis aquam limpidissimā aspiciat, quæ coloris glauci esse videtur, quarum rerum amœnitatem poëtæ suis celebrauerunt carminibus.

*Communis extra ciuitatem sepulturæ descriptiò.*

MVltos vbique non procul ab vrbe campos reperias, qui in publicam defunctorum sepulturam à nobilib. quibusdam sunt relicti. Sepulchro ferè oblongum atque figura triangulari saxū superimponunt. Siquando nobilis, aut alicuius nominis ciuis moritur, huic saxum vnum ad caput, vnum item ad pedes ponunt, quibus epitaphium insculpi cósueuit, vnà cum die & anno quo ex hac vita migrauit. Ego multum insumpsi laboris colligendis epitaphiis quæ cùm Fessæ tum in aliis Barbariæ locis vidi, quę omnia in libellum collecta Regis fratri dedi. varia autem est apud illos epitaphiorū materia, alia enim consolationis, alia plena sunt tristitiæ.

¶ *Sepulturæ Regiæ:*

EXtra vrbem in colle quodam altissimo Septentrionem versus palacium visitur, in quo monuméta quorundam Regum Marinorum reperias, multo artificio epitaphiisq; in marmore excisis ornatissima, quorum elegantiam non facilè literis exprimere queam.

¶ *Hortorum descriptio.*

SEptentrionem, Orientem, atque Meridiem versus, frequentissimos inuenias hortos omnis generis fructibus arboribusq; altissimis refertissimos. Per hortorũ medium fluminis aliquam ducunt venulam, estque nonnullis tantus arborum numerus, vt nemora citius quàm hortos appelles. Nullo modo hortos excolunt, nisi quod Maio mense assiduè irrigant, quare & magna illis prouenit fructuum copia. Fructus autem, malis tantùm Persicis demptis, optimi sunt saporis, quorum postquam maturitatem attigerunt, plusquam quingenta quotidie plaustra in forum adferuntur, vuis exceptis quas hoc loco non annumero. Fructus autem in quendam Fessæ vehuntur locum, in quo persoluto censu, per præcones præsentibus fructuariis venduntur. In eodem loco numerato quoque tributo mancipia fusci coloris venduntur. Deinde Occidentem versus planicies est, quæ in latum quindecim, in longũ verò triginta patet passuũ milibus: hæc fontibus atque riuulis abundantissima est, atque in vsum summi seruatur templi. Hanc elocant hortulanis, qui magnam lini, melonum, naporum, raphanorum, aliarumq; id genus herbarum atq; olerum serunt copiam, adeò vt singula æstate plusquã quindecim totidemq; hyeme plaustrorum millia colligi dicantur. Aër tamen illis non admodum serenus est, nam qui eam partem incolunt crebris laborant febribus, suntq; coloris rufi aut lutei.

¶ *Fessa ciuitas noua.*

Fessa

FEssa noua duplici muro altissimo atq; fortissimo cincta est, in planicie amœnissima nõ procul à flumine sita est, à veteri vnius ferè miliarij spacio distat, idque ad Occidentale atque propemodũ Meridionale latus. Inter duos vrbis muros eã partẽ quæ Septentrionẽ respicit intrat pars quædã fluminis, vbi molas esse anteà diximus, reliqua fluminis pars in duas rursum secatur partes, quarum hæc inter Fessam nouam atque antiquam non procul à ripa fluit, illa verò per quosdam valles & hortos delabitur, tandemq; sese in regionẽ Meridionalem effundit. Reliqua fluminis pars per rupem, ac tandem per collegiũ Regis Abutiman defluit. Huius ciuitatis cõditor fuit Iacobus Abdultach filius, primus ex stirpe Marinorum Rex, qui exactis Maroccenorum regibus eorum regna sibi vsurpauit: cui contra Maroccenos bellum gerenti impedimento erat Rex Telemsinorum, vt Maroccenos sibi deuinciret, & lætiorẽ Marinorum fortunã subuerteret: finito autem Marocceno bello, Iacobo in animũ venit vt iniuriã sibi à Thelemsinis illatam summis vlcisceretur viribus. Propugnacula illius regni à Telemsino longè abesse animaduertit, quare multò tutius esse statuit, nouam hanc sibi exstruere vrbem, in quam regia totius Marocci transferretur: quam ædificatam, Albam vrbem appellauit, postea verò ab incolis Fessa noua est nuncupata. Hanc cõditor Iacobus in tres diuisit partes, quarum prima regiam habebat, variasque nobilium mansiones, statuitque vt harum quælibet amœnissimum haberet hortum. Non procul à Regia

templum ædificauit elegantiſſimum, ſummoq́ꝫ artificio ſumptuoſiſſimum. In altera vrbis parte præſepe ampliſſimum conſtruxit,in quo Regij equi ſeruarentur.Deinde & palatia quamplurima ſuæ aulæ nobilibus exſtrui iuſſit. A porta verò Occidentali vſque ad Orientalem ciuitatis forũ eſſe voluit,cuius tractus & longitudo mille propemodum & quinquaginta paſſus explet,artificum & mercatorum officinis interius diſpoſitis. Ad portam Occidentalem cuſtodibus ampliſſimam porticum ædificauit, in qua ſe perpetuò ciuitatis contineret cuſtodia.Non procul hinc duo conſtituit equilia,quæ trecentos facilè capere poſſent equites, quos in regiæ ſuæ protectionem alebat.In tertia vrbis parte ſe regij ſatellites atque ſtipatores continebant, qui ex Orientali plagà ferè omnes venerant, neq; præter arcus alia habebant militaria inſtrumenta, nam tum temporis nullus erat in ea regione baliſtarum vſus, quibus à Rege ſatis amplum enumerabatur ſtipendium: modò autem hic locus templis & hypocauſtis elegantiſſimis,magnoq́; ſumptu exſtructis refertus eſt. Iuxta Palatium Regium ſunt Monetariorũ ædes, quæ interius habent aream quadrangularẽ,fabricatis vndiquaq; porticulis,in quibus degunt monetæ ſignatores. Eſt & alia porticus in medio areæ, in qua ſedet monetariorum præfectus, cui perpetuò adſunt Scribæ & Notarij. Hic enim quemadmodum & aliis multis in locis,quicquid emolumenti colligitur,in vniuerſum ad Regem redit. Huic loco confines ſunt Aurifabrorũ officinæ,quorũ Conſul

ful sigillum & typos monetarũ conseruat. Fessæ nec annulus, nec aliud quidpiam ex auro vel argento fabricari potest, nisi metallo prius sigillato: grauissimè enim in præuaricatores animaduertunt. Verùm sigillato metallo, quicquid inde cóficitur, ac si moneta esset, expenditur. Maxima autem Aurifabrorũ pars qui Fessam nouam inhabitant, Iudæis constat, vasáq; aurea & argentea ad Fessam antiquam loco quodam nó procul ab aromatariis sito deferũt ac vendũt. In Fessa nanq; antiqua, nec aurum, nec argentum cuditur, nec Mahumetanis eam exercere artem licet, quòd fœneratores habeant, qui opus aliquod argenteum vel aurum carius reuendunt, quàm pro ratione ponderis, quanquam id Iudæis ab vrbis rectoribus conceditur. Reperias hìc quoque nonnullos qui ciuium tantùm vasa conficiunt, quibus tantùm pro laboris ratione merces numeratur. Eam vrbis partem quam Regij olim Stipatores inhabitabant, hodie Iudæi occupant: hisce enim temporibus Reges eo satellitio non vtuntur. Iudæi deniq; prius Fessam veterem incolebant, verùm post Regis alicuius fatum, à Mauris expilabãtur: quare Abusabid Rex illos in nouam Fessam migrare iussit, illisq; tributum annuum duplicauit. Hi igitur in præsentem vsque diem in hac ciuitate longum admodum occupant vicum, in quo suas habent officinas & synagogas, accreuitq; in infinitũ illorum numerus ab eo potissimũ tempore, quo ab Hispaniis eiecti sunt. Hi ab omnib. summo habentur contemptui, neque cuiquam calceis vti licet, sed soccos sibi iuncis marinis con

fici-

ficiunt. In capite dulipanum gestant nigrum, si quis pileum gerere velit, huic panniculum quen dam rubeum annectat oportet. Enumerāt Fessæ Regi aureos quadringentos in singulos menses. Tandem spacio annorū centum & quadraginta fuit hæc ciuitas mœnibus cincta munitissimis, exornata templis, collegiis, palatiis, aliisque id ge nus ad ornādam vrbem accōmodis, adeo vt plus in expolienda vrbe q̄ in mœnibus cingenda con sumptū esse crediderim. Extra vrbis mœnia ex-structæ sunt rotæ aliquot admirandæ magnitudi nis, quæ aquā è flumine supra mœnia ciuitatis in quosdam canales mittunt, vnde per certos ca-naliculos in templa, hortos, palatia, aqua effun-ditur. Rotæ autem nostro æuo, hoc est annis ab hinc ferè centū extructæ sunt, anteà enim aqua per quendam canalem, qui suam habebat à fonte decem inde miliarib. distanti scaturiginē, in vrbē fluebat. Huius aquæ ductus artificiosissimi auto-rem fuisse dicunt quendā Genuensem, Regi per id tempus maxime familiarem: rotarū verò in-uentorem dicunt Hispanum: estque in rotis illis tantum artificij, vt incredibile fere videatur: nam in tanto aquarum impetu quater tantùm & vi-gesies die ac nocte quęlibet voluitur rota. Super-est dicendū, paucos hic esse nobiles exceptis ali-quot aulicis, reliqui enim sunt ignobiles & me-chanici: nam qui probitatis & bonitatis existi-mationem sustinent, adeò aulicos ac Regis no-biles spernunt, vt illis filias despondere nullo mo do dignentur.

*Qui mores atque ritus in Regis seruentur curia.*

In-

INter Africæ totius principes nullus legitur populi suffragiis ad regnum vel principatũ accitus, neque aliunde vocatus. In lege quoq; Machumetana, nullus dominium seculare quod legitimum dici queat, exceptis Pontificibus obtinet: verùm decrescentibus indies viribus Pontificiis populorũ duces deserta incolentium, habitata loca bello petere cœperunt, & vi bellica diuersos principes contra legem Machumetanam, inuitis Pontificib. constituere. Velut in Oriente accidit, vbi Turcæ, Cordi, Tartari, aliįque populi Orientales, dominium in eos vsurpauerunt qui viribus illis impares fuere. Sic in Occidente regnarunt Zeneti, sic Lontuni, & Concionatores, deinde Marinorum quoq; familia. Lontunos tamen dicunt Occidentalib. regionibus auxilium tulisse, vt miseros ab hæreticorum assererent iniuria, qua in re se amicos, non hostes declarauerunt: postea exorta est tyrannis. Habes igitur rationem, quare non hæreditario iure, neque populi aut maiorum electione, nunc assumunt imperium. Solet autem princeps, vbi se morti addictum videt, ad se omnes magnates & nobiles conuocare, atque iuramento astringere, vt vel filium, vel fratrem, aut alium quemuis cui magis fauet, in regnũ succedere sinant. Verùm illi post principis mortem nihil iusiurandum curantes, alium quemuis pro arbitrio eligunt. Est hęc ferè Fessæ Regis electio, qui simulatque Rex est proclamatus, mox ex maioribus suis quendam sibi consiliarium primarium eligit, atque huic tertiam totius regni prouentuũ partem legat. Deinde

inde & alium assumit, qui simul Regi sit à secretis, à thesauris, atq; ab œconomia. Postea quoq; magister equitum creatur, qui in principis custodiam sunt admissi, hi ferè semper cum equis in campis degunt. Postremo cuilibet ciuitati nouum creat rectorem, ad quem eiusdem loci prouentus omnes redeunt, ea tamen lege, vt quoties bellū aliquod ingruere videtur, suo Regi aliquot præstet equites. tandem & illis quoq; qui montes inhabitant suos cōstituit duces, quemadmodum & Arabibus suo imperio subiectis. Variè vbique pro loci consuetudine iustitiam administrant rectores vrbium. Reperias & nonnullos qui à Rege ad id muneris creati sunt, vt omnes totius regionis prouentus recipiant, summaque cum fide adhibitis calculis, ad Regem perferant. Eliguntur & quidam quos illi custodes appellant, atq; horum cuilibet castellum aliquod aut pagum legat, vnde tantum sibi prouentuum colligat, vt & se alat, & regem, vbi opus est, in castris comitetur. Alit & Fessæ Rex armaturæ leuioris equites, quibus tantisper dum regem in exercitu comitantur victus ex aula adportatur: pacis autem tempore, frumentum, butyrum, carnesque salsas pro anno integro administrat, rarò autem pecunias à Rege percipiunt. Semel in anno vestiuntur, neque equorum domi aut foris curam habent, Rex enim quicquid opus habent persoluit. Qui equos curant Christiani sunt, omnes ex captiuis mancipia facti, qui cathenis grossisque compedibus vincti incedunt. Quòd si cum exercitu aliquò proficiscendū sit, camelis vehuntur.

Est

Est & alius qui camelorum tantùm curam gerit, hic pastoribus pascua adsignat, camposque inter illos diuidit, & quàntum camelorum Regi satis esse nouit, prouidet. Sunt autem cuique camelario duo cameli, quos sarcinis Regiis deferendis iuxta præfecti institutum onerant. Habet quoque Rex Oeconomum, qui ex officio annonam tum Regi, tum castris suppeditat, conseruat, & distribuit. Huic sunt decem aut duodecim tentoria, in quibus annonam reponit, & camelos mutans assiduè recentem conuehi iubet, ne exercitui alimonia vnquam desit: huic subsunt ministri culinarij. Est præterea stabulorum præfectus, qui equorum, mulorum, & camelorũ regis curã habet, cui de rebus necessariis ab Oeconomo prouidetur. Est & alius qui frumẽto præficitur, cuius partes sunt, ordeum, & bestiarum pabulum curare: hic suos scribas atque notarios habet, qui expensum sedulò notant, de omnibus enim ad summum Oeconomum ratio deferenda est. Habet insuper & ducem quendam, cui quinquaginta parent equites, quos omnes veredarios dixeris, qui nomine Regis negotia illis à Secretario cõmissa exequuntur. Habet & alium quendam magni nominis ducem, tanquã regiæ custodiæ præfectum, qui Regis nomine iustitiæ administros vrgere potest vt ius dicant, sententiasque latas exequantur. Huius tanta est autoritas, vt vel maximi nominis nobiles interdum in carcerem coniicere, ac seuerius animaduertere in eos ex Regis præcepto liceat. Est & Regi fidissimus Cancellarius, penes quem regium est si-

gil-

gillum, hic regias literas & ſcribit & ſigillo munit. Innumeros habet à pedibus, quorum præfectus pro arbitrio quos lubet acceptat vel dimittit, ſalariumque inter ſuos pro cuiuſuis dexteritate diſtribuit. Quòd ſi Regem tribunali intereſſe contingat, hic perpetuò Regi adeſt, ac ſupremi cubicularij officium ferè exequitur. Eſt & alius qui ſarcinis & impedimentis præeſt, quiq; tentoria huc atque illuc deferenda curat, in quibus armaturæ levioris regij equites hoſpitantur, quorum tentoria mulis deferūtur, militum verò camelis. Eſt quoq; ſigniferorum turma, qui iter faciendo ſigna militaria complicata geſtant: verùm qui exercitum præcedit, vexillum fert explicatum maximæq; altitudinis. Signiferi porrò quotquot ſunt, exactiſſimè vias omnes, fluuiorum vada, ac ſyluarum tranſitus norunt, quare & exercitum ferè ducunt. Tympaniſtæ, quorum magna in regiis caſtris viſitur frequentia, tympana ænea ad magnitudinē ingentis cacabi compoſita pulſant, quorum pars inferior ſtricta, ſuperior lata pelleque cooperta eſt. Hi porrò equo inſident, habentque ex altero equi latere ſemper aliquod perpendiculum eius ferè cum tympano grauiſſimo ponderis. Illis velociſſimi parantur equi, quòd maximo habeant dedecore, tympanum aliquod amittere. Fit autem tantus tamq; horribilis tympanorum ſtrepitus, vt nō à longè audiantur tantùm, verùm & hominib. & equis maximum incutiant terrorem, quæ nō niſi taurino membro pulſare ſolent. Tibicines regiis nō aluntur ſtipendiis, quòd ciuitates propriis im-



pen-

pensis certum numerũ ad prælium mittere coguntur; qui quemadmodum se in prælio gesserunt, ita & in mensa à Rege excipiuntur. Habet & Rex quendam ceremoniarũ præfectũ, qui Regi ad pedes in Senatu assidet, omnesq; pro dignitatis ratione & sedere & sigillatim loqui iubet. Quę in Regis familiam admittuntur ancillæ, oẽs sunt fusci coloris, queadmodum & pedissequæ, quanq̃ vxorem semper colore candidam habeat. Reperias & in huius aula captiuas Christianas quæ vel Hispanæ, vel Lusitanæ sunt, omnesque per quosdam accuratissimè obseruantur eunuchos, qui & ipsi mancipia sunt. Habet sanè Fessę Rex latam admodum ditioné, cæterum exiguus prouentus vix trecentorum milium aureorum summam attingit, quorum ne quinta quidem pars Regi cedit: nam reliquũ in varias secari partes antea diximus. His adde quòd reddituum maxima pars, frumento, pecudibus, oleo, atque butyro persoluitur, atque hoc minus pecuniarum adfert. Quibusdam locis pro iugero quolibet aureum cum quarta parte numerant, alibi tantundem quælibet persoluit familia. Aliæ quoq; reperiuntur regiones, in quibus qui annum decimumquintum excesserit, tantum quoq; auri adferre cogitur. Neque alia in re grauatur populus in maximo hoc oppido, quàm in censu persoluendo. Illud quoque hoc loco notandum, quòd Mahumetanis (sacerdotibus exceptis) non licet maiores habere prouentus, quàm quos illis Mahumetem cõcessisse legitur, hoc est, vt qui centũ aureos præsenti possidet pecunia, duorum cum

dimi-

dimidio censum annuum persoluat. Qui ex agro decem frumenti mensuras colligit, decimam adferre pro tributo tenetur. Statuit autem hæc tributa ad Pontificem deferri, qui quod Principi abundare nouit, in publicam confert vtilitatem: ex eo nanque egeni, ægroti, viduæque fouentur, bellaque aduersus hostes sustinentur: verùm ex quo Pontifices defecere, principes (vt ante diximus) tyrannidem exercuerunt. non enim illis abunde fuit hos prouentus omnino vsurpasse, ac pro eorum libidine expendisse, verùm maiora etiam à populo exegerunt tributa, adeò vt omnes ferè Africæ coloni tam sint exactionibus quotidianis grauati, vt vix illis supersit, quo vestes aliaque vitæ necessaria sibi comparent: cuius rei causa nullus fere est inter doctos ac probos homines, qui cũ aulicis aliquam quęrat cõsuetudinẽ, nec eadẽ mensa dignetur, neq; munera quantumuis pretiosa ab illis recipere velit: quicquid illis diuitiarum est, ex furto atque rapinis collectum æstimãtes. Fessanus Rex perpetuò sex alit equitũ millia, quingentos balistarios, totidemq; sclopetarios bello semper paratos atque instructos, quos pacis tempore à se per integrũ miliare semotos habet, idque quando Rex vsquam proficiscitur: nam si Fessæ sit, nõ admodum custodia eget. Siquando bellum cum hostibus Arabibus gerendum sit, quoniam illi prædictum non sufficit satellitium, ex Arabibus sibi subditis auxiliares petit copias, qui propriis stipendiis numerosum præstant exercitum, ad arma multò exercitatiorẽ, quàm quos regem modò diximus alere

mi-

milites. Pompæ ac cerimoniæ huius Regis sunt satis exiguę, nec libenter ab illo celebratę, verùm diebus festiuis, vel necessitate requirente his fere vti solet. Sicubi equitandum sit, magister ceri moniarum id cursoribus denunciat, deinde illi ijdem regis parentibus, magnatibus, purpuratis, ducibus, custodibus, equitibusque indicat, qui mox ante regiā confluunt. Egrediente palatium Rege cursores singulis ordinem ac locum equitaturæ designant. Primò incedunt signiferi, deinde tympanistæ, tum stabulariorum præfectus cum suis ministris & familia, hos sequitur totius regni pensionarius, custodia, cerimoniarum præfectus, secretarij, thesaurarius, postremo omnium iudex vnà cum totius exercitus duce, tandē Rex quem aut consiliarius primarius, aut alius quispiam Princeps comitatur. Regem nonnulli præcedunt qui diuersas habent functiones, quorum hic regium ensem, ille scutum, ille verò balistam portat. vtrinque stipatores incedunt, quorum alius stapedes, alius regis iaculum, alius ephippij stragulum, alius equi fert capistrum. vbi Regem ex equo descēdisse vident, mox ephippium stragulo contegunt, & capistrū quo teneatur equus supra habenas ponunt. Est & alius stipator, qui soccos regios artificiosissimè compositos defert. Regem sequitur stipatorū præfectus, deinde eunuchi, tum Regis familia, postea equites leuioris armaturæ, tandē balistarij & sclopetarij. Vestitu vtitur Rex tum temporis honesto ac mediocri: quē qui non agnosceret, adesse non existimaret: stipatores enim multo sumptuosius incedunt.

Nullus autem Rex aut princeps Mahumetanus coronam, Diadema, neque aliud ſimile in capite gerit, id enim lege vetitum eſt. Vbi Rex cum ſuis copiis in campis degit, primò maximum illius figitur tentorium, quadrangulari forma ad caſtri ſimilitudinem compoſitum, quadraturæ autem quodlibet latus quinquaginta vlnarum eſt longitudinis. Habet angulus quilibet turriculã pinnatam ex tela compoſitam, cum elegante ſphærula in ſummitate cuiuſque turriculę, quam auream eſſę opineris. Habet regium hoc auguſtale quatuor portas, quarum quælibet ab eunuchis ſeruatur. In imis vero partibus alia inſuper ſunt fixa tentoria, inter quæ Regis eſt cubiculum ita compoſitum vt facilè poſſit loco amoueri. Huic proxima ſunt magnatum atque nobilium tentoria, qui apud Regem maximę ſunt familiares: deinde & cuſtodiarum tabernacula caprinis ferè pellibus Arabico more compoſitã: in medio Regis eſt culina & pœnarium. Non procul hinc equites leuioris armaturæ ſuas habent ſtationes, qui omnes in pœnario regio cibum capiunt, ſed habitu ſordidiſſimo. Non longe hinc abſunt æquilia, in quibus optimo ordine ſeruantur equi. Extra hunc circum tabernaculorũ degunt muliones, qui Regis ſuppellectilem huc atque illuc deuehunt: reperias & hic laniones, tabernarios, alioſque id genus cauponas. Qui huc confluere ſolent mercatores aut artifices, ad mulionum locum ſeſe adiungunt, ſic vt Regis caſtra velut adinſtar ciuitatis munitiſſimę ſint poſita, nam cuſtodiæ tabernaculis aliiſq; contiguis ita cinguntur,

tur,vt certis tantùm locis ad Regē pateat aditus. Circa Augustale tota vigilatur nocte, verùm qui huic officio destinati sunt, vilissimi sunt homines atque inermes. Eodem modo & circa equilia aguntur excubiæ, verùm tanta interdum negligentia, vt furto non solum abducti sint equi, verumetiam cōiuratores in Regis tentorio reperti. Rex maximam anni partem in campis transigit,cùm propter regni cust odiam,tum vt subditos sibi Arabes in officio contineat,soletq; nunc venationibus,nunc scacorum ludo sese exercere. Nō me latet quàm fuerim in huius vrbis descriptione prolixus, verùm quoniam totius Barbariæ,totiusque Africæ caput est, libuit partes omnes accuratissimè depingere.

### ¶ *Macarmeda oppidum.*

DIstat à Fessa Orientē versus viginti ferè passuum milibus,à Senetis ad cuiusdam fluminis ripam loco amœnissimo exstructa. Hęc quondam latissimam habuit ditionem, nec non & ciuium maximam affluentiam. In huius fluminis ripa,multos vtrinq; reperias hortos crebris vineis consitos. Fessę reges hoc oppidum camelorū præfectis assignare solebant, verùm Sahidico bello sic destructū fuit ac deletum,vt hodie mœnium vix supersint reliquiæ, Ager verò nobilium quorundam est Fessanorum & rusticorum.

### ¶ *Hubbed castrum.*

IN montis cuiusdā dorso, qui à Fessa sex miliaribus distat exstructum est, ex quo Fessana ciuitas omnesque circumiacentes agri,facile conspici possint. Conditorem habuit quen-

dam eremitam Fessanum, insignis sanctimoniæ virum. Non latum admodũ illi circumiacet territorium, eò quòd domibus ruina collapsis, incolis vacuum, mœnibus saltem ac fano relictis permanserit. Quod superest agrorum, summo Fessanorum templo cessit. In hoc castro æstates quatuor peregi, quòd ei loco ab hominum strepitu semoto ac studiis accommodo aër sit saluberrimus: præterquam quòd pater hunc agrum plurimis annis à Templi custode conduxerit.

¶ *Zauia.*

Zauia exiguum oppidum, à Iosepho secundo Marinorũ rege exstructum, à Fessa plus minus quatuordecim distat miliaribus. In hoc Iosephus insigne condidit Xenodochium, statuitq; vt in hoc oppido sepeliretur. verũ non permittente fortuna, in obsidione Thelensina interfectus est. Zauia ab hoc tẽpore collapsa & habitatoribus nuda remansit, in qua hodie tantùm videtur Xenodochium. Huius loci redditus maximo apud Fessanos templo donati sunt, ager autem à quibusdã Arabibus Fessæ regionem incolentibus excultus est.

¶ *Chaulanum castrum.*

Chaulan antiquum castrum, octo miliarium distantia à Fessa Meridiem versus, in ripa fluminis Sebu exstructum est. Non procul ab hoc scaturiginẽ aquę calidissimę reperias, cui Abulhesen quartus Marinorum rex egregium addidit ędificium. Ad hoc balneum se Fessæ nobiles semel in Anno Aprili ferè mense conferrę solent, perq; dies quatuor aut quinque

mā-

manere. Nullam in hoc castro reperias ciuilitatem: incolæ vilissimę sunt conditionis, mirumq; in modum auari.

¶ *Mons Zelag.*

SVmit hic mons ex Oriente initium à flumine Sebu, extenditur Occidentem versus ad quatuordecim ferè passuū milia, eiusq; summitas, quæ Septentrioné respicit, à Fessa septem abest miliaribus. Omnis ea facies quæ Meridiem respicit, incolis est nuda: verùm ea pars quæ Septentrioni exposita est, feracissima, infinitis propemodum pagis atque castris exornata. Ager ferè omnis vitibus excultus est, quarū vuis suauiores me gustasse non memini, quod & de oliuis, reliquisque fructibus dici potest qui hic proueniunt. Huius incolę cùm sint ditissimi, ferè omnes in ciuitate Fessana aliquam possident domum. Fessani verò nobiles maiori ex parte vites isthic possident. Ad huius radices quà in Septentrionum itur, agros reperias omnibus frugū generibus atque fructibus feracissimos. Irrigatur enim omnis ea planicies Meridiem versus flumine Sebu: tum & hortorum cultores rotis versatilibus summo artificio fabricatis, aquam è flumine exhauriunt qua hortos irrigāt. Numerantur aūt in hac planiciæ ducenta ferè iugera, quorum redditus illi concessi sunt, qui Fessę Regi est à ceremoniis, verùm non vltra quingentos inde colligit aureos, quorum decimæ ad Regem spectant, quæ circiter tria milia frumenti modiorum producunt.

¶ *Zaronius mons.*

HAbet hic mós à planicie Esais quæ à Fessa decem distat miliarib. initium, extenditur Occidentem versus ad triginta, patetq́ue in latum ad decem ferè passuũ milia. Perpetua in hoc monte sylua, vastissimumq; desertum, oliuis alioqui feracissimũ. Quinquaginta in hoc monte cùm mapalia tum castra reperias, incolæ ditissimi, est enim medius inter duas vrbes opulentissimas, nam ex Oriente Fessam, ex Occidente verò Mecnasem habet. Huius loci fœminę telam ad regionis modum texunt, multis se ornant annulis, armillisq; argẽteis. Viri validissimi perpetuò leonibus insidiantur, quorum & boná ad Fessæ Regem copiá mittunt. Rex verò venationem hunc in modum instruit: In campo spaciosissimo capsulæ quædam sunt exstructæ tantæ altitudinis, vt in eis erecto corpore quis stare possit: harũ quælibet ostiolo clauditur, interius verò armatus homo leonẽ in areá emissum apertis foribus prẹstolatur, tum leo quà patêre videt fores, magno impetu currit, quibus identidẽ reclusis concitatur: taurum deinde adducunt contra leonem dimicaturum, ineunt pugnam cruentem, in qua si taurus leonem occiderit, transacta est eius diei celebritas, sin autẽ leo superior euaserit, mox egrediuntur armati omnes, qui numero ferè sunt duodecim, leonẽ oppugnaturi. Habet autem quilibet venabulum cuspidis sesquicubitalis. Quòd si armati leonem superaturi videntur, Rex numerum diminui iubet: sin cõtrà armatos inferiores vident, protinus Rex cũ suis è loco quodam eminentiori, vnde venationẽ con-

spi-

ſpiciunt,baliſtis leonem interficiunt. Fit autem ſæpenumero vt priuſquam leo interficiatur,illorum quiſquam pereat, reliquis vulneribus affectis. Dimicantium aduerſus leonẽ præmium eſt, vt ſingulis dentur aurei decẽ vnà cum veſte noua: neq; ad pugnam hanc admittuntur vlli, niſi viribus ſint præſtantiſſimi,atque ex monte Zalag oriundi: qui verò leonibus inſidiàtur,ex Zaronio monte originem ducunt.

¶ *Gualilis oppidum.*

A Romanis in ſummitate prædicti montis iis temporibus exſtructũ eſt, quibus illi Granatam Bæticæ regebant. Vndiq; muris ex lapide elaborato,maximæq; craſſitudinis cinctum eſt. Portas habet amplas admodum & altas, agriq; exculti in circuitu ferè ſex miliaria,olim tamen ab Africanis deletum fuit. Poſtea verò cùm Idris Schiſmaticus hanc ingreſſus fuit regionem,cœpit deſtructum hoc oppidum renouare,nouisque incolis ſic reparare,vt breui temporis ſpacio ciuibus fuerit refertiſſimum,verùm poſt illius mortem à filio Feſſæ fabricationi (vt diximus) intento,neglectum eſt. Idris tamen in hoc oppido ſepultus, viſiturque eius ſepulcrum maxima cum veneratione à totius ferè Mauritaniæ populis, non enim multo minori in precio apud omnes habitus eſt, quàm ſi Pontifex fuiſſet,quod ex Machumetis ſtirpe ortum traxiſſet. Hodie duæ tantùm aut tres in hoc oppido reperiuntur domus,quæ in ſepulcri curam ac venerationem exſtructæ ſunt. Qui porrò circumiacent agri, optimè exculti ſunt: hortos verò amœniſ-

ſimos reddunt duæ fontium ſcaturigines, quæ varie per colliculos ac valles diſcurrendo totum hunc agrum irrigant & præterfluunt.

*Pharaonis palacium.*

Exigua ciuitas à Romanis in ſummitate cuiuſdam montis exſtructa, à Gualidi circiter octo diſtat miliaribus. Huius montis populus vnà cum aliquot ſcriptoribus firmiſſime ſibi perſuaſum habent, hanc ciuitatem à Pharaone Ægyptiorum Rege, temporibus Moſes ædificatam fuiſſe, atque à conditore nomẽ traxiſſe, quod tamen mihi non admodum ſit veriſimile: nuſquam enim legitur Pharaonẽ aut Ægyptiorum quenquam has regiones incoluiſſe. Verùm ex libro quem de verbis Machumetis Elcalbas quidam edidit, hanc deſumptam ridiculam opinionem facilè crediderim. Habet enim hoc volumen ex Mahumetis autoritate, quatuor duntaxat fuiſſe Reges, qui vniuerſam hanc Mundi machinam gubernauerunt, quorum duos fideles, duos item ethnicos fuiſſe perhibet: fideles vocat Alexandrum Magnum & Salomonem Dauidis filium: ethnicos, Nembrotum & Pharaonem. Mihi potius perſuaſum eſt ex Latinis literis ciuitatis muris inſculptis, conditores habuiſſe Romanos. In huius circuitu duo præterfluunt vtrinq; fluuioli. Vicini colles & valles oliuis ſunt feraciſſimi. Non procul hinc vaſtiſſima reperiuntur deſerta, leonibus ac leopardis refertiſſima.

*Petra rubra.*

Petra rubra ciuitas anguſta eſt, in dorſo prædicti montis à Romanis ædificata, ſyluæque

uæque adeò vicina, vt quotidie leones ciuitatem ingressi, ossa vicatim colligant, tam cicurati ac domestici, vt horũ aspectum nec fœminæ nec pueri abhorreant. Muri altissimi ex vastissimo lapide constructi, plurimis in locis solo æquati sunt: ciuitas vero in vicum redacta est. Ager oliuis omnisque generis legumine feracissimus est, quòd Asgaræ planiciei coniunctus sit.

## ¶ *Magilla.*

Magilla oppidulum est paruum ac vetustum in iugo prædicti montis à Romanis positum ea parte quæ Fessam respicit. Egregios habet in eo monte agros oliuis fœlicissimos: est & planicies quædam, fontium amœnitate, canabi item ac lini copia fertilissima.

## ¶ *Verecundiæ castrum.*

Antiquissimũ hoc castrum ad huius montis radices ea via exstructum est quæ à Fessa Mecnasen ducit: habuitq; nomen ex eo quòd incolę auarissimi fuerunt, quales ferè omnes illi sunt populi. Hàc olim quendam præteriisse regem dicunt, quem incolæ ad prandium inuitarunt, rogantes vt inuidiosam loci appellationem immutaret: quod vbi concessisset, iusserunt aliquot arietes mactare, ac pro loci consuetudine multos vtres vasaque lacte implere, quò postridie Rex ientaculum sumeret. Verùm quoniam vasa plussatis capacia videbantur, inito inter se consilio, tantundem aquæ lacti commiscuere, sperantes à Rege nequaquam animaduersum iri. Postridie Rex etsi non admodum ambiret ientaculum, vrgentib. tamen ministris sen-

sit

ſit aquam lacte commixtam, ac ridens, Amici, quod natura,inquit,dedit, nemo auferre poteſt. hoc dicto profectus eſt. Nunc caſtrum illud ſolo æquatum atque omnino deletum eſt,cuius agri per miſerrimos quoſdam coluntur Arabes.

¶ *Beni Guariten tractus.*

BEni Guariten tractus diſtat Orientem verſus à Feſſa circiter decem & octo miliarib. Perpetuus collis eſt optimè excult⁹ omni leguminum genere, paſcuis ac pratis amœniſſimus,ducentos ferè continet pagos. Viliſſima vbique domorum eſt ſtructura, incolæ quoq; viliſſimi, neque vites, neque hortos colunt, quare nec arborem fructiferam hic reperias. Hanc regionem Feſſæ Rex ſolet inter ſuos fratres diſtribuere atque inter ſorores, ſi quos natu minimos habet. Magna incolis frugum atque lanæ copia: & quanquam ditiſſimi,tamen viliſſimo vtuntur habitu: aſinis tantùm pro equis vtũtur, adeò vt etiam vicinis maximè ludibrio ſint.

¶ *Aſeis regio.*

DIſtat & à Feſſa Occidentẽ verſus viginti ferè miliaribus regio,quam Aſein incolę vocant, perpetua conſtat planicie, vnde cõiiciunt multos olim hic fuiſſe pagos & caſtella, quorum ne veſtigium quidem, nec ſignum alicuius ædificij videri poteſt, tantùm locorum nomina penes illos remanſerunt. Extendit ſeſe hic tractus Occidentem verſus per decem & octo,ad Meridiem autem viginti ferè paſſuum milia. Ager fertiliſſimus grana producit nigra & exigua. Rari hic putei aut fontes reperiuntur. Paruit ſem

per

per certis quibuſdam Arabibus ruſticis,nunc verò à Rege Feſſæ vrbis præfecto aſſignatus eſt.

¶ *Togata mons.*

DIſtat à Feſſa Occidentem verſus ſeptem fere paſſuum milibus, qui quidem valde excelſus,latitudinis verò exiguæ. Orientem verſus ad Bunafram vſque fluuiolum quinque circiter miliaribus diſtantem, protenditur. Omnis ea facies quę Feſſam reſpicit,huius quoque ſummitas & pars quæ Eſſichæ expoſita eſt, vitibus ditiſſimæ ſunt, omniſq; generis frugum copia abundantiſſimæ.In huius montis iugo antra reperias, multaſque ſpecus ſubterraneas, in quibus theſaurorū inueſtigatores Romanos ſuas abſcondiſſe diuitias arbitrãtur, quemadmodum & alio dictum eſt loco. Solent peracta vindemia curioſi ac miſeri homines maximos in excauando ſaxo perferre labores, & quamuis nihil reperiant,non tamē à labore deſiſtere volunt.Omnes huius montis fructus oculis atque palato ingratiſſimi, maturitate reliquos illarū regionum fructus anteuertunt,tametſi ingrati ſint ſaporis,& viſui officiant.

¶ *Guraigura mons.*

GVraigura Athlanti vicinus à Feſſa quadraginta ferè diſtat miliaribus. Ab hoc flumen quoddam producitur,quod Occidentem verſus fluendo in Bath fluuium delabitur.Eſt hic mons medius inter duas ſpatioſiſſimas planicies,quarum altera Feſſam reſpiciens Eſais,vt antè diximus, appellatur: altera in Meridie poſita Adecſen eſt nuncupata. Eſt autem

hæc

hæc frugibus pratisque fœlicissima. possidentur autem à quibusdam Arabibus Zuhair appellatis, Fessæ Regis clientibus: verùm Rex hanc ditionẽ aut fratri, aut aliis quibusdam affinibus vt plurimum assignat, ex qua decem millia aureorum in singulos annos colligũt. Maximis indies dicti Arabes afficiuntur incommodis, ab Elhusainis itidem Arabibus qui deserta incolunt: nam æstiuo tempore in planiciem incursiones faciunt: quamobrem Fessę rex in huius regionis tutelam nonnullos equites ac balistarios alit. Hanc planiciem irrigant amœnissimi fontes, amnesque limpidissimi: frequentes adiacent saltus, in quibus degũt leones mites ac domestici, quos vnusquisque bacillo abigere potest, neque aliud incommodum præstant. Nunc ad Azgaræ regionis descriptionem properemus.

### ¶ *Azgaræ Fessæ regionis descriptio.*

HAbet hęc regio à Septentrione Oceanum, finitur ab Oriente Buragrago flumine: ab Oriente mõtib. partim Gumare, partim Zaronij, radicibusq; mõtis Zalagæ terminatur, Meridiem versus flumine Bunazaro clauditur Perpetua hic est planicies, ager fertilissimus, numerosa olim plebe referta, oppidis arcibusq; q̃plurimis exculta. quæ bellorũ iniuria adeò collapsa sunt, vt exigua duntaxat, habitatoribusq; vacua relicta sint oppidula. Patet in longum hæc Regio circiter octuaginta, in latum verò sexaginta ferè passuũ milia. Huius medium præterfluit fluuius Subu, incolæ Arabes Elculuth appellati, atq; ex Muntafit stirpe orti, Fessæ Regis imperio parent, maxi-

ximosq; exsoluunt census: verùm sunt diuites, & circa vestitū curiosi, & bello adeò viribus præstant, vt ex his tantùm exercitū conscribat Fessæ Rex, siquando magni momenti bellum illi auspicandum sit. Hæc Regio cōmeatu, equis, pecore, non Fessam modò, verùm etiam omnes Gumarę mōtes abundè prouidet, in qua Rex Fessanus totam transigere hyemem, vernumq; tempus, propter aëris temperiem consueuit. Magna hîc est capreolorum atque leporum copia, & si rara reperiantur nemora.

*Giuma Azgaræ oppidulum.*

NOstro tempore ab Africanis ad fluuiolū in ea planicie conditum est, quà à Fessa Haraidin proficiscitur, distat à Fessa triginta plus minus miliaribus. Incolis olim frequentissimū fuit, verùm eum in modū Sahidico bello deletū est, vt hodie antra tantùm reperiantur, in quibus Arabes suum recondunt frumentum, cui asseruando aliquot erigunt tentoria.

*Harais oppidum.*

MAritimum hoc Oceani oppidum ab antiquis Africanis ad Lucci fluminis ostiū exstructū, altero latere prędicto flumine altero verò Oceano alluitur. Quibus temporib. Algeria ac Tingis à Mauris incolebātur, fuit hoc incolis quoq; copiosissimū: verū duobus illis oppidis à Christianis occupatis, remansit & Larais habitatoribus per viginti fermè annos vacuum, post quos Fessę Regis filius optimè munitū prędidio ac munitione perpetua maximè sibi à Lusitanis metuens firmauit. Est huic oppido diffi-

cilli-

cillimus in fluminis ostio ingressus. Castrũ quoque Regis filius exstruere iussit, in quo præsidiũ ducentorum balistariorum, centum sclopetariorum, ac trecentorum equitum leuiorum alere solet. Circum oppidũ frequentia sunt prata, frequentesque paludes, è quibus ciues bonam colligunt anguillarum, anatumque copiam. Ad fluminis ripam habet opaca nemora, leonibus aliisque id genus feris maximè horrenda. Solent huius Regionis incolæ carbones Algeriam ac Tingim mittere, vnde Mauritanis vulgatum prouerbiũ, Nauis Haraidis, quo vti solent, vbi quis post magnificam pollicitationẽ vilissimum quiddam mi nimique pretij adfert, eò quòd naues hæ carbonarię velis ex gossypio confectis magnũ quiddã polliceri videntur: est autem huic Regioni maxima grossypij affluentia.

¶ *Casar Elcabir, hoc est, Regium palatium.*

Spatiosissimum hoc oppidum Mansoris Marocci Regis atque Pontificis temporib. conditũ fuit, de quo memorabilis fertur historia, quòd inter venandum ingenti pluuiarum & ventorum impetu adactus, à suis aberrans ad locum quendam incognitum peruenerit, in quo cùm sub dio sibi pernoctandum esset, metuẽs ne inter paludes extingueretur, huc atq; illuc respiciens, lumen vidit, & piscatorem conspiciens qui inter paludes anguillis insidiabatur: Possẽs ne (inquit) me in Regiam deducere? Respõdit piscator decẽ miliaria istinc distare Regiam. Instante verò Regi vt eò deduceretur, Etsi, inquit piscator, Rex ipse Mansor adesset, modò tamen eum non dedu

cere, vererer enim ne inter paludes suffocaretur. Quid tibi, inquit Mansor, cum Regis vita aut incolumitate? Quòd regem, ait piscator, velut me ipsum diligere tenear. Tum Rex, Igitur singulare quoddam beneficium ab eo cõsecutus es. Quod maius beneficium, respondit piscator, à Rege expectari potest, iustitia, amore ac beneuolentia, quã populo suo administrat, cuius fauore ac prudentia miserrimus ego piscator cum vxore ac liberis tranquillissimam dego vitam, adeò vt vel media nocte meum liceat egredi tugurium, ac pro arbitrio reuerti, neque inter has valles & inhospita tesqua quenquam reperio, qui mihi noceat. Tu verò generose domine, si lubet, gratissimus mihi hodie eris hospes, cras vero summo mane quocunque velis te comitabor. Tum Rex in casulam piscatoris se recepit, vbi postquam equo prouisum esset, nouo hóspiti anguillas assari iussit, Regiq; apponi, qui interim, vt potuit, madidas ad focum vestes desiccauerat: verùm hoc cibo nõ recreatus, petiit num quid carnium haberet: cui rusticus se capellam saltem ac hœdum habere dixit, atque hanc suarum opum summam esse affirmauit: verùm quoniam ex vultu nobilem esse colligebat, mox hœdum mactauit atque vxori assandum dedit. Apud hunc igitur hospitio Rex exceptus fuit: postridie ad Solis exortum cũ hospite liberali vix tugurium egressus, nobilium ac venatorũ turbam magnis clamoribus Regem inter paludes quærẽtium inuenit, quo viso oẽs exhilarati sunt. Tum Mansor ad piscatorem conuersus, seipsum illi prodidit,

ac

ac non inanem illius fore liberalitatẽ affirmauit. Erant autem circumiacentibus in locis insignes aliquot arces & palatia, quę isthinc discedens gratitudinis ergò piscatori dono dedit, à quo rogatus vt in ampliorẽ beneuolentiæ suę demonstrationẽ hæc ædificia mœnib. cingerentur, impetrauit. Remansit itaq; piscator nouę huius ciuitatis dominus ac Princeps, quæ temporis successu sic accreuit, vt intra paucos annos quadringentas numerauerit familias. Quòd ager fœcundissimus esset, Rex Mansor ęstiuis quibusque temporibus circumiacentia extruere cœpit loca, quod huic ciuitati non parum adtulit vtilitatis. Huius muros præterfluit Luccus fluuius, interdum ita excrescẽs vt ipsas ciuitatis portas irriget. Variæ per eam exercẽtur mechanicæ artes & mercimonia, templis abundat, vnum habet studiosorum collegium, xenodochiumque sumptuosissimum. Nulli fontes, nec putei, sed eorum loco cisternis vtuntur. Incolæ sunt liberales ac probi, simpliciori tamen ingenio. Vestitus mediocris, ex tela gossypina crebrò per corpus fasciis obuoluta. Frequẽtes in suburbano reperias hortos, omnis generis fructibus consitos. Vuæ ingrati sunt saporis, fortassis ob solum pascuis magis accommodum. Singulis Lunæ diebus mercaturam in proximo campo exercent, quò cõcurrere solent vicini Arabes. Maio mense aucupaturi ciuitatem egredi solent, magnamq; capiunt turturum copiam. Ager vt est fertilissimus, trigecuplò semen iniectum multiplicat: verùm excoli non potest ad sex ferè miliaria, quòd à Lusitanis Arzillæ in

 præ-

præſidio conſtitutis, maximis afficiantur incom modis, quòd iſthinc ſaltē octodecim diſtet paſſuum milibus: quos viciſſim huius ciuitatis præ fectus cum trecentis equitibus perpetuò diuexat, atque interdum ad Arzillæ portas incurſiones in eos facit.

## ¶ *Habat Regio.*

HAbet hęc Regio à Suarga flumine ex Meridie initium, Septentrione Oceano terminatur, Occidente Algarę paludibus, Oriente verò montib. Herculeo freto vicinis finitur. Patet in latum octuaginta, in longum verò, centum ferè paſſuum milia. Huius fœcunditatem frugumque omnium affluentiam non facile deſcribere poſſem: perpetua ferè planicies multis fluminibus irrigata; quondā tamen multò nobilior ac celebrior, propter antiquiſſimas ciuitates, partim à Romanis, partim à Gothis ędificatas: hanc ipſam regionem eſſe puto quam Ptolemęus Mauritaniā appellauit, verùm ab eo tem pore quo primùm Feſſa ædificari cœpit, mirum in modum declinata eſt. Acceſſit quoq; ad illius incommodum, quòd Idris Feſſę conditor, decem à ſuo obitu filios reliquerit ſuperſtites, cuius primogenito hæc Regio ceſſit: deinde ſubſecuta eſt multorum hæreticorum ac principum rebellio, quorum nōnulli dum principem Granatenſem in Bœtica, nonnulli Carruani dominos in auxilium vocant, à quodam Carruani Pontifice ſummo hęretico cæſi & fugati ſunt: qui occupata regione, relictoq; in ea præſidio ad ſuos rediit. Poſtea ſummus Cordubæ cancellarius, ingenti ex-

ercitu collecto, breui totum hũc tractum ad terminos vſq; Zabæ regionis occupauit. Hanc deinde poſt annos plus minus quinquaginta Ioſephus primus Lontunorum Rex, Granatenſibus fugatis vi obtinuit: poſtremo ad Regis Feſſæ imperium peruenit.

¶ *Ezagemum Habatis oppidum.*

EZagemum oppidum à priſcis Africanis in montis dorſo à Guarga flumine circiter decem paſſuum milibus diſtante, exſtructum eſt: qua loci intercapedine perpetua planicies campis & hortis locum præbet: horum tamen fœcunditatem exculti colles multis partibus ſuperant. Diſtat hoc oppidum à Feſſa ſeptuaginta ferè miliaribus, numeratq; familias plus minus quingẽtas, ex cuius rure circiter decem millium aureorum vectigal colligitur, quibus oppidi præfectus Feſſæ Regi quadringentos tenetur alere equites, qui Regionem ab hoſtium iniuria tutam ſeruent. frequentioribus enim Luſitanorum incurſionibus quotidie afficiuntur, qui ad quadrageſimum vel interdum quinquageſimũ miliare prędaturi diſcurrunt. Exigua huic loco ciuilitas, veſtitus ad ruſticitatem compoſitus, quamuis diuitiis maximè polleant. Priuilegium cuique à priſcis Feſſæ Regibus vinum bibendi conceſſum eſt, vini vſu Machumetica lege alioqui interdicto, tametſi nullus ſit qui eo abſtineat.

¶ *Bani Teude.*

ANtiquiſſima eſt ciuitas, ab Afris in ſpatioſiſſima planicie ad Guargã fluuium, quadrageſimoquinto à Feſſa miliario cõdita.

Nu-

Numerauit aliquando familiarum plus minus octo milia, postea verò Carruanensium Pontificum bellis sic deleta est, vt nũc ciuitatis tantùm murus reperiatur. Ego cùm in ea essem, frequentia vidi nobilium sepulchra, fontes quoque nonnullos muris ex viuo lapide miro artificio circumcinctos. Ab hac vrbe mõs Gumera quatuordecim fere distat miliaribus, ager frugibus ferendis aptissimus, idemq́ue fœcundissimus est.

¶ *Mergo oppidum.*

MErgo in iugo montis exstructum à Bani Teude decem circiter abest miliaribus. Conditores nonnulli Romanos fuisse arbitrãtur, quòd in vetustis ruderibus Latinas reperiant literas. Est autem incolis nunc prorsus vacuum, verùm in eiusdem montis dorso aliud oppidulum visitur, à textoribus vt plurimum telę grossioris habitatũ, ex quo prospectus est in flumina Subu ad Meridiem & Guargæ ad Septentrionem, à quibus distat quinque passuum milibus. Incolæ nobiles vocari gaudent, tametsi auari sint, ignari, ab omniq; probitate alienissimi.

¶ *Tausor.*

TAusor ciuitas in colliculo sita, decem ferè distat à Mergone passuum milibus, in qua trecentæ numerãtur familiæ, artifices verò paucissimi. Incolæ rudes & agrestes, neç vites, nec hortos habent, sed agriculturam tantum exercent, suntq́ue pecoris ditissimi. Ciuitas porrò in medio itineris sita est, quà Fessa ad Gumeræ montes itur, qua ratione auarissimos & rusticissimos æstimo.

¶ *Agla.*

ANtiquiſſimum hoc oppidum ab Africanis in Guargæ fluminis ripa poſitũ eſt. Ager fœlicilſimus, ab Arabibus colitur: oppidum autem bellorum iniuria ſic deletũ eſt, vt nunc quibuſdam tantùm locis, mœnium, ædificiorum reliquias, puteóſque ſaltem reperire liceat. In ſuburbano qualibet ſeptimana mercatus eſt frequentiſſimus, cui Arabes vicini intereſſe ſolent: ad quem nonnulli quoq; Feſſani mercatores commeant, bubula coria, lanam, & ceram auehũt, hiſce enim cumprimus rebus abundant. Innumeri ferè hic ſunt leones, verũ natura adeò timidi, vt ad puerorum clamorem in fugam redigãtur: inde apud Feſſanos natum prouerbium eſt: Aglæ leones. quod in eum quadrare volunt, qui verbis magnã quidem præ ſe fert audaciam, ingenio verò timidulo præditus eſt.

¶ *Narangia.*

NArangia caſtellum, ab Africanis in colliculo non prucol à Lucco flumine conſtructum, ab Ezageno decem ferè diſtat miliaribus. Agrum habet fœliciſſimum, ſed nullas planicies: in fluminis ripa vaſtæ ſunt ſolitudines, fructibus agreſtibus, præcipuè ceraſis marinis refertiſſimæ. Fuit hoc caſtrum à Luſitanis exciſum ac depredatum anno Hegiræ 895. qui Chriſti fuit milleſimus quadringẽteſimus octuageſimus ſextus.

¶ *Geſira.*

GEſira Inſula nõ procul à Lucci fluminis oſtio ſita, diſtat à mari miliaribus plus minus decem, à Feſſa circiter centum.

Fuit

Fuit quondam in hac Insula oppidulum antiquum Lusitanici belli initio desertũ. Circa prædictum flumen multæ sunt solitudines: agri qui excolantur, paucissimi. Anno Hegiræ octingentesimo nonagesimoquarto, Lusitaniæ Rex numerosissimũ huc misit exercitum, quo in Insulam perlato, exercitus Imperator munitissimum exstruxit propugnaculum, quò se & ab hostium incursionibus conseruaturum, & circumiacentes campos occupaturum spectabat. At Fessanus Rex, eius pater qui modò inter viuos agit, iacturam præuidens, quæ illi inferri posset, si propugnaculi ædificationem permitteret, ingentémque conscripsit exercitum, quò Lusitanis fabricationem impediret. Verùm tantus fuit impetus bombardarum, vt Fessanis ad duo passuum milia Lusitanorum castra accedere non licuerit. Quamobrem Regi ad vltimam ferè desperationem redacto persuasum est, vt palis solo infixis medium fluminis duobus ab Insula passuum milibus oppleret: qua munitione Fessanis tectis, & proximo nemore exciso, conspexere Lusitani fluminis accessum exiguo temporis interuallo maximis arboribus occupatum, ac discedendi facultatem omnino ademptã. Tum Rex se facilè Lusitanos victurum sperãs, de oppugnanda arce cogitans, cùm sine militis sui strage eam consequi non posset, cum Lusitani exercitus duce pepigit, vt præter ingens tributum illi præstitum, apud Regem Lusitaniæ efficeret, vt filias aliquot Fessæ Regis præfecti (quas in vinculis habebat) restitueret, atq; tum exercitum illæsum dimitteret.

teret: quo facto, classis in Lusitaniam rediit.

## *Basra.*

BAsra ciuitas mediocris familiarũ duo ferè numerat milia, à Mahumete Idridis filio Fessæ conditore, in quadam planicie inter duos montes exstructa. distat à Fessa plus minus octuaginta, à Casare verò Meridiem versus viginti ferè passuum milibus. Basra autem in Arabiæ felicis oppidi memoriam appellata est, vbi Hali quartus post Mahumetẽ Pontifex, qui Idridis proauus fuit, interfectus est. Muris aliquando altissimis atque munitissimis cincta: quàm diu rectores habuit ex stirpe Idridis, fuit vrbanitatis plena, vtpote in qua Idridis successores perpetuas transigerent æstates, propter loci amœnitatem; cuius tam colles quàm planicies celeberrimis olim hortis exculti, serendis frugibus valde sunt accommodi: cùm propter oppiduli vicinitatem, tum Lucci fluminis irrigationem. Olim bene habitata templisq; exculta fuit, summa vrbanitate præditis incolis: verùm rarescente Idridis familia, ab hostibus excisa est. Hodie visuntur saltem mœnium vestigia, incultiq; aliquot horti, syluestres fructus, quòd eorum agri nõ excolantur, producentes.

## *Homar.*

HOmar ciuitas à quodam Hali prædicti Machumetis discipulo exstructa in colliculo ad ripam fluminis à Casare circiter quatuordecim passuum milibus Septentrionem versus distantis sita, ab Arzilla autem ad Meridiem sedecim, tametsi exigua fuerit, munita-

tamen & pulchra exstitit, & fertilissimis agris, hortis ac vitibus omni fructuum varietate refertis, exornata. Incolæ lini plurimum colligentes textrinam exercebãt, verùm Arzilla à Lusitanis occupata, hæc quoque deserta remansit.

¶ *Arzillæ descriptio.*

ARzilla seu Africanis Azella, spaciosa ciuitas ad Oceani littus à Romanis ædificata, à freto Herculeo distat septuaginta plus minus passuum milibus, à Fessa verò circiter centum & quadraginta. Paruit quondã Septæ Principi Romanis tributario, à Gothis occupata, qui & hunc in principatu confirmarunt, à Mahumetanis verò anno Hegiræ nonagesimo quarto capta fuit, qui per ducentos viginti annos vrbem seruarunt, donec Angli ingenti exercitu Gothorum persuasu obsidione ciuitatẽ cinxerunt, Gothi autem cum Anglis inimicitias alebant, quòd Gothi Christiani, Angli verò idolorum cultores essent, verùm hoc illis à Gothis persuasum fuit, Mahumetanos Europa excessuros sperantibus. Anglus fœlici Marte pugnauit, captã vrbem ferro & igne ita deleuit, vt vnus vix saluus effugerit, ac triginta ferè annis incolis vacua remanserit. Postea verò temporibus Pontificis Cordouæ (qui Mauritaniæ imperabat) rursum reparari, modisq; omnibus augeri, ditari, ac munitior reddi cœpit. Incolæ fuerũt locupletes, docti, armisq; exercitatissimi. Ager & frugib. serendis & omnis generis leguminibus producendis est percõmodus, sed quum à montibus decem ferè distet miliaribus, magnã ferunt lignorũ penuriam, verùm

carbonibus Haraide (vt diximus) aduectis, vtuntur. Anno Hegiræ octingentesimo octuagesimo secundo, eximprouiso à Lusitanis & oppugnata & capta est, incolis omnibus in Lusitaniā abductis, inter quos & Mahumetes fuit hodiernus Fessanorum Rex, qui tum septem annorū puer vnà cum sororcula eiusdem ætatis pariter captus extitit. Huius enim pater cùm ab eo per hæc tempora defecisset Habat prouincia, Arzillæ habitabat, quū Seriphus trucidato Habdulaco vltimo Marinorū stirpis Rege, ex ciue Fessano in Regnū populi fauore euectus est. Deinde Saic Abra regnandi cupiditate allectus, tentauit Fessam occupare, seque Regem creare: verùm Seriphus suasu cuiusdam sui cōsiliarij qui Saic cognatione pertingebat, magno suo vituperio eum in fugā adegit. Porrò cùm Seriphus consiliarium hunc Temesnam misisset, quò eius Prouinciæ populum de rebus nouis cogitantem pacificaret, reuersus Saic, octo milium Arabum exercitu Fessa noua integro anno obsessa, ciuiū proditione facilè potitus est, ac Seriphum cum vniuersa familia ad Regnum Tunetense profugere coëgit. Quo tempore itaque Saic Fessam obsidebat, Rex Lusitaniæ classe, vt diximus, in Africam missa, Arzillam occupauit, Rexque modernus cum sororcula in Lusitaniam captiuus abductus est, vbi septē continuos transegit annos, intra quos exactissimè Lusitanum idioma didicit. Tandem ingenti numerata pecunia, pater filium è Lusitania reuocauit, qui ad Regnum ascitus, propter consuetudinem quam cum Lusitanis contraxerat, Rex Mahu-

humetes Lusitanus appellatus fuit. Sæpenumero postmodum vindictam de Lusitanis sumere, necnon Arzillam sibi ademptam recuperare conatus est. Primò ciuitatem eximprouiso cum omnibus copiis adortus bonam muri partem solo æquauit, eamque ingressus, Mauros omnes in seruitutem redactos liberauit. Christiani se in arcem receperunt, Regi post biduum deditionem polliciti. Interim superueniente Petro Nauarro cum expedita classe multarũ nauium, perpetua bombardarum eiaculatione, Regem non solùm ciuitaté dimittere, verùm cùm toto exercitu abscedere coëgerunt: post hæc ita per Lusitanos omnibus locis communita fuit, vt prædictus Rex eam recuperare tentans, sinistro semper pugnauerit Marte. Cùm in hac obsidione apud Regem stipendium mererem, è nostris vltra quingentos interfectos numeraui. Durauit autem id bellum ab Hegiræ anno noningentesimo decimoquarto, in annum nongentesimũ vigesimum primum.

## ❡ *Tingis ciuitas.*

Tingis quę Lusitanis Tangiara, ampla & antiqua ciuitas, ridicula quorundam Historicorum opinione conditoré habuit Sedded Had filium, qui vt aiunt totius mundi imperium gerebat. Huic in mentem venisse dicunt, vt vrbem exstrueret quæ pulchritudine cum Paradiso terrestri certare posset. Muris igitur æneis vrbem cinxit, domibus tecta addidit aurea & argentea, in quorum structuram maxima à totius orbis ciuitatibus tributa exegit. Classici verò Historiographi à Romanis in Oceani littore iis tem-

po-

poribus conditam affirmant, quibus & Granatę Regio subacta fuit. Distat à freto Herculeo trigin ta fere miliaribus, à Fessa autem centum & quin quaginta. Ab eo autem tempore quo Gothi Gra natensibus imperabant, cœpit hæc ciuitas Septę parere dominio, donec in Machumetanorum po testatem cum Arzilla peruenit. Vrbana semper, nobilis, beneque exculta fuit, structurisque sum ptuosissimis varij generis admiranda. Ager non admodum fœlix, nec frugibus serendis valde ac commodus: cæterum valles habet proximas, quę fontibus assiduis irrigatæ omnium generum fru ctibus fœcundissimam reddunt. Reperias quoq; extra vrbem vites aliquot, verùm in solo areno so. Incolis frequentissima permansit ad ea vsque tempora, quibus à Lusitanis expugnata fuit Ar zilla: tum enim ciues rumore bellico perterriti, collectis rebus omnibus, Fessam profugerunt. Tum Lusitaniæ Regis præfectus, quendā ex dù cibus suis eò misit, q tantisper in fide Regis eam cótinuit, donec Rex Fessanus consanguineo huc misso, maximi momenti Regionem montibus Gumerę Christianis infestis vicinam seruauerit. Verùm annis viginti quinq; priusquā ciuitas in potestatem Lusitanorum veniret, Rex eò classem miserat, sperās fore, vt auxilio destituta dum Fes sanus contra Mecnasios rebellantes præliaretur, facilè deditionem faceret. Ast præter opinionem pactis cum Mecnasę induciis, Rex consiliarium instructo exercitu huc misit, qui Lusitanos ador tus maxima strage affecit, eorumque ducem in terfectum, Fessam nouam in capsa deferri, atque

lo-

loco eminentiori ſtatui, quò omnibus conſpicuus eſſet, iuſſit. Poſt hæc Luſitanus nouas colligit copias, quibus ex improuiſo tempore nocturno vrbem aggreſſus, omnibus ferè interfectis victus & in fugam compulſus eſt. Verùm quod Luſitanus duobus illis exercitibus efficere non potuit, tandem vel minimis copiis, paruáque ſuorum ſtrage, vti ſupra diximus, peregit. Noſtris temporibus Feſſæ Rex Machumetes nullam non tentauit aleam, quo hanc recuperaret, verùm nõ admodum fœliciter illi ſucceſſiſſe intelleximus, tanta ſemper fuit Luſitanorũ in armis præſtantia. Hæc omnia acta ſunt Hegiræ anno nongenteſimo decimo ſeptimo, à Chriſto autem milleſimo quingenteſimo octauo.

*Caſar Ezzaghir, hoc eſt, palatium minus.*

EXigua hæc ciuitas à Manſore Marocci Rege ac Pontifice in Oceani littore extructa fuit, diſtat à Tingi circa duodecim, à Septa verò decem & octo paſſuum milibus. A Manſore porrò conditam ferunt, quòd cùm ſingulis annis in Granatẽſem prouinciam traijciendum eſſet, difficilis per aſperos Septæ montes eſſet cũ exercitu tranſitus, priuſquam ad mare deſcenderet. Sita eſt autem loco aperto & amœno, cui Granatenſis regni ora ex aduerſo reſpondet. Populis olim refertiſſima, textrinam & mercaturã exercuit, reliqui fere omnes nautæ ſunt, qui merces Barbaricas in Europã deuehere ſolent. Hanc Portugalliæ Rex inſperata oppugnatiõe occupauit. Feſſanus autẽ modis omnibus eam recipere conatus eſt, verùm infauſto ſemper Marte. Inciderunt

runt hęc in Hegirę annum octingentesimũ sexagesimum tertium, Christi autem 1464.

¶ *Septa maxima ciuitas.*

SEpta, quæ Latinis ciuitas, Lusitanis autem Seupta appellata, secundum classicos anthores à Romanis in faucibus freti Herculei ædificata, olim totius Mauritanię metropolis fuit, quare Romani eam nobilitarũt, fuitq; in ea summa vrbanitas & ciuium frequẽtia. Deinde à Gothis occupata, principem in ea constituerunt, remansitq; apud eos principatus, donec Mahumetani Mauritaniæ fines ingressi, hanc quoq; vsurpauerunt. Cui rei occasionem præbens Iulianus Septæ comes, iniuria a Roderico Gothorum & Hispaniæ Rege affectus, cum infidelibus conuenit, eosque in Granatam introduxit, atque vt Rodericus & vita & regno spoliaretur effecit. Mahumetani igitur occupatam Septam Pontifici cuidam suo Elgualid Habdulmalic filio, qui tũ temporis Damascum incolebat reseruauerunt, anno nonagesimo secundo Hegiræ. Ciuitas ab eo tempore in proximos vsque annos, mirè cum incolis tum omnis generis nobilitate accreuit, adeò vt Mauritaniæ totius pulcherrima, meliusq; exculta euaserit. Frequentia habuit templa & studiosorum collegia, ciues literatissimos, & qui æneis operibus singulari artificio fabricatis cæteros excellerent, cuiusmodi sunt candelabra, pelues, calamaria, aliaque id genus ex ære confecta, quæ perinde elegantia habebant, ac si argentea vel aurea fuissent. Habent Itali & in huiusmodi rebus conficiendis non parum gratię, verùm nihil

hil omnino si hęc respicias. Extra ciuitatis mœnia amplissima sunt rura, eo præsertim loco, qui vitium frequentia consitus, vinetum dicitur: verùm ager sterilis & asper est, quare magna semper illis frugum caritas. Extra & intra ciuitatem patet amœnus in Granatę oram ad fretum Herculeum prospectus, atque hinc dinoscuntur animalia, quòd eius interualli latitudo duodecim saltem sit miliarium. Verũ calamitosa ciuitas paucis abhinc annis, ab Habdulmumene Rege ac Põtifice multis incõmodis affecta est: quam consecutus, ferè ad internicionem redegit, nobilesq; perpetuo multauit exilio. Nec multo post à Rege Granatense meliora sustinuit, qui ciuitate occupata pręter memoratam cladem nobiliores & potentiores ciues Granatam migrare iussit: deinde anno D.CCC.XVIII. Hegiræ a Lusitana classe capta, quotquot inerant ciues aufugerunt. Abu Sahid per ea tempora Fessanorum Rex, nullius precij homo, hanc recuperare neglexit: verùm allato inter saltationes & conuiuia nuntio, vetuit ob eum rumorẽ diei celebritatem interrumpi: quare permisit Deus, vt nocte quadam cum sex filiis a Secretario cui multum fidebat, interficeretur, quòd se illius vxori commiscere voluisset. Hæc inciderunt in Annum. 824. Hegiræ. Fessano imperio per octennium Rege destituto, successit trucidati Regis ex matre Christiana filius, qui eadẽ nocte qua Rex confossus fuit, Tunetum profugerat: hunc Abdulacum vltimũ Marinæ familiæ Regem appellarunt, qui, vt superius dixi, a populo pariter occisus est.

Tet-

*Tetteguis ciuitas.*

EXigua hæc ciuitas a priſcis Africanis decẽ & octo paſſuum milibus a freto Herculeo ſexque ab Oceano condita, a Muchumetanis quo tempore Septam Gothis ſuſtulerunt, occupata eſt. Ferunt Gothos eius ciuitatis dominium in principem mulierẽ altero oculo carentem tranſtuliſſe, quæ ſingulis hebdomadis vectigal receptura huc veniens, ciuitatem incolæ vernaculo idiomate Teteguin, hoc eſt oculum, vocitarunt. Exinde a Luſitanis bello fatigata & expugnata, ciuibus aufugientibus, annis plus minus nonaginta quinque inculta remanſit: poſt quos a Granatenſe quodam præfecto, qui Granata a Ferdinando Catholico Hiſpaniæ Rege recepta, Feſſam cum exacto Rege peruenerat, reſtaurari, rurſusque habitari cœpta eſt. Virum hunc militia clarum, & virtute bellica in Granatenſi bello inſignem, Luſitani Almandalum appellabant. Hic ciuitatis huius dominium conſecutus, facultatem reædificandi obtinuit, nouisq; cinxit mœnibus, munitiſſimaque arce extructa, altiſſima foſſa communiuit. Perpetuum deinde cum Luſitanis bellum gerẽs, Septam, Caſaram, & Tingin grauiſſimis damnis afficiebat: nam trecentis Granatenſib. lectiſſimis equitibus, creberrimas in Chriſtianos incurſiones faciens, quos captiuare potuit, continuis laboribus in propugnaculorum ſuorum munitione macerabat. Quondam hàc iter faciens tria vidi captiuorum Chriſtianorom millia, qui laneo ſacco veſtiti, noctem in foſſis ſubterraneis concatenati peragebant.

Fuit

Fuit hic princeps ingenio erga exteros cumprimis liberali, paucisque abhinc annis altero oculo pugionis ictu, altero senectute priuatus, obiit. Ciuitatem nepoti, fortissimo homini tuendam post mortem reliquit.

¶ *Habati montes.*

INter Habati montes octo sunt cæteris celebriores, qui a Gumeræ populis habitati, eandem ferè vitæ consuetudinem referunt: omnes siquidem Machumetanũ dogma tuentur, tametsi vinum contra eius præceptionẽ bibant. Corporis habitu sunt elegantes, laborũ & ærumnarum patientissimi, verùm armis ferendis incommodi. Fessano Regi parent, a quo supra modum tributo grauantur, adeò vt præter nonnullos (veluti suo loco dicemus) paucissimi mediocriter vestiri possint.

¶ *Rahona mons.*

VIcinus hic mons Esageno patet in longitudinem triginta passuum milib. in latitudinem duodecim. Abundat oleo, melle ac vitib. Incolæ potissimum saponi conficiendo ceræq; expurgandæ vacant. Vini tam atri quàm albi maximam copiam referunt. Pendunt Fessano Regi tria aureorum milia, quibus Esageno præfecto assignatis, quadringenti in vsum Regis aluntur equites.

¶ *Beni Fensecare mons.*

SVperiori contiguus, circiter vigintiquinq; passum millibus in longitudinem, octo in latitudinem patet. Supradicto monte cultior, multos habet coriarios, ac telæ grossioris texto-

xto-

xtores, plurimum item ceræ prouentum. Singulis sabbati diebus celebrem habent mercatum, ad quē omnis generis negotiatores, & mercimonia tanta frequentia conueniunt, vt & Genuenses ceræ & boum tergoribus cōparandis eò quoque conueniant, quæ in Lusitaniam & Italiam curant asportanda. Colligitur ex hoc monte sex millium aureorū census, quorum tria milia Esageno præfecto, reliqua Fisco Regio cedunt.

¶ *Beni Haros mons.*

CAsare vicinus in Septentrionē octo millium passibus, in Occidentem viginti extenditur. Latitudo sex passuum milibus constat. A nobilibus olim habitatus populo refertus extitit: verùm iis tyrannidem exercentibus, Arzillaque à Lusitanis occupata, à plebe desertus est. In montis fastigio nōnulla hodie sunt rura: reliquum incultū est. Quo tempore secundam fortunam expertus est, Casare præfecto terna aureorū millia in singulos annos numerabat.

¶ *Chebib.*

REperias in hoc monte sex aut septem arces, vrbana ac honesta gente habitatas: nam Tingi à Lusitanis occupata, ciues eò se receperunt, quòd viginti quinque saltem passuum milibus à Tingi dissitus esset. Incolæ frequentibus Lusitanorū excursionibus molestantur: montis verò census à Tingitana clade dimidia parte imminuti, deterius indies habent, quod præsidium triginta passuum milibus ab eo collocatum, opportune succurrere non queat, quoties Lusitani omnia vastantes ac deprædantes, in eum

eum excursiones faciunt.

¶ *Beni Cheßen.*

Visendæ altitudinis mons est, hostibusque accessu difficillimus: nam pręter loci munitissimi naturam, incolas habet validissimos. Hi cùm ægrè admodum principum mores ferre possent, armis tandem illorum expugnata est superbia, quique antea magnates erant, ad abiectissimam nunc redacti sunt cõditionem. Adolescẽs quidam apud hos ex nobilissima stirpe ortus, cùm rusticorũ sæuitiam ferre non posset, ad Regem Granatæ militatum abiit, apud quem stipendium aliquandiu inter Christianos meruit: tandem rei bellicæ exercitatissimus ad patrios rediit mõtes, vbi equitum certo sibi collecto numero, eam regionem à Lusitanorum incursionibus tutam seruauit: quod vbi Fessæ Rex animaduertisset, huic quinquaginta balistarios addidit, quorum auxilio modis omnibus securi essent omnes vicini montes. Verùm postquam iuuenis ille Regis sibi vsurpare tributum cœpisset quod ex eo mõte legebatur, Rex indignatus, maximum in hunc mouit exercitum. sed mox ad pœnitentiam adductum iuuenem, Rex Seusanonis ac totius illius regionis constituit principem. Huic quidam successit qui ex Mahumetis atque Idridis Fessæ conditoris progenie erat oriundus. hic apud Lusitanos notissimus, atque propter generis nobilitatem (fuit enim ex ea familia quæ Helibenres dicebatur) maximi semper fuit nominis.

¶ *Mons Angera.*

DIstat à Casare minori Meridiem versus octo fere passuum milia, patetq; in longum decem, in latum vero tria miliaria. ager illi fœcundissimus,arboribus quondam copiosissimus, quas incolæ in nauium structuram demessas Casarem miserunt: erat enim tum temporis Casari nauale celeberrimum. Deinde etiam & lino fœcundissimus fuit, habitatores partim textores, partim nautæ fuerunt. Verùm eodem tempore quo à Lusitanis occupatum fuit oppidum Casar, hi quoque montem deseruerunt: hodie tamen domos omnes atque ædificia integra reperias, perinde ac si suos adhuc haberet incolas.

¶ *Mons Quadrus.*

EXcelsissimus hic mons medius inter Septá & Tetteguin, habitatores habet validissimos armisque exercitatissimos, quod sanè abunde videre licuit in eo prælio, quod Granatę gesserunt cótra Hispanos: vbi huius montis milites soli plus effecerunt, q̃ reliqua omnis Granatorum armatura. Ex hoc monte originem traxit quidam, quem illi Hellul vocauerunt: hic aduersus Hispanos præclara edidit stratagemata, cuius rei historia partim prosa partim carmine descripta, tam apud Afros quàm Granatas seruatur. Hic tandem bello Hispanico (quo victus fuit Iosephus Enesir Marocci Rex atque Pontifex) in quodá castello Cataloniæ interfectus fuit, quod Mauri Aquilæ castellum vocant. Eodem prælio Maurorum interfecta sunt sexaginta millia, neq; quisquam ab ea pugna superfuit, præter Regem cum aliquot nobilib. Hæc autem anno Hegiræ

sex-

fexcentefimonono acta fuit, à Christo autẽ nato millesimo centesimo sexagesimo. Ab eo tempore Hispani fœlici semper pugnauerunt Marte, ita vt omnes ciuitates à Mauris antea sibi ademptas recuperauerunt. Ab eo verò tempore in eum vsque annum, quo Rex Ferdinandus Granatã occupauit, interiecti sunt anni ducenti octuaginta quinque secundum Arabum calculandi rationẽ.

### ¶ *Beni Guedarfeth mons.*

NOn procul à Tetteguin situs est, incolarũ numero ditissimus, quanquam non vsque adeò sit latus. armis omnes sese exercẽt, apud Tetteguin principẽ stipendia merent, hunc maximè obseruant, atque quocunque velit prædatũ inter Christianos comitantur: hinc fit quòd nullum Fessę Regi enumerent tributũ, nisi fortè pro agris, vel minimum soluant censum. Plurimum sibi sumunt ex illis montibus vtilitatis, prouenit enim illic maxima buxi copia, vnde Fessani pectines conficere solent.

### ¶ *Errifæ Fessæ Regionis descriptio.*

HAbet hæc Regio in Occidente initium non procul à freto Herculeo, extenditur Orientem versus ad flumen vsque Nocor, qui tractus circiter centũ & quadraginta est miliariorum. Ad Septentrionẽ prima sui parte terminatur Mediterraneo mari, vergitque Meridiem versus per quadraginta miliaria, ad eos vsque montes, qui flumen Guargam, hoc est, Fessæ territorium, respiciunt. Hæc Regio prorsus est aspera, frigidissimis montibus plena, in quibus vastissimas reperies solitudines, arboribusque elegantis-

ſimis atq; rectiſſimis refertiſſimas: nihil hîc frumenti prouenit, quanquã ſic ſatis copioſam habeant vinearum, ficuum, oliuarum, atq; amygdalorum copiam. incolas habet hæc Regio validiſſimos, verùm potationib. plus ſatis deditos, adeò, vt tantùm vix ſibi ſeruent, vnde veſtes emant. Rara hîc arméta, bona autem caprarum, aſinorũ atque ſimiarum multitudo in iis montibus reperitur: oppida rariſſima: caſtra atque pagi cum plura, domos extruunt viliſſimas abſque vllo tabulato, equilibus Europæ non adeò diſſimiles, quibus tectum ſtramineum ſuperadditur, aut ex arborum corticibus confectum. Omnes huius regionis Incolæ nodum Gurgulionis eminentiſſimum habent, moribus autem inculti ſunt atque rudiſſimi.

## ¶ *Terga.*

EXiguum hoc oppidulũ à Gothis (vt nonnulli volunt) in littore Mediterranei extrũctũ diſtat à freto Herculeo miliaribus plus minus octuaginta: familias numerat circa quingentas. qui vrbem cingit murus nullius ferè momenti eſt. Incolæ propemodum omnes piſcatores ſunt, incredibilem piſcantur piſcium copiam, ſalſoſq; per centum ferè miliaria euehunt Meridiem verſus. Frequentiſſimũ olim fuit oppidum, ſed ab eo tempore quo Luſitani regionẽ illam ingreſſi ſunt, cœpit mirum in modum decreſcere. non procul ab hoc oppido rigida atque frigidiſſima reperiuntur nemora. Habitatores etſi valentiſſimi, agreſtiſſimi tamen ſunt, rudiſſimi atq; ab omni humanitate alieniſſimi.

Be-

¶ *Bedis.*

Antiquiſſimum eſt oppidum in littore maris Mediterranei exſtructum, ab Hiſpanis Velles de Gumera appellatū fuit, familias numerat plus minus ſexcentas. Nō deſunt Hiſtoriographi qui ab Africanis, alij à Gothis ædificatum fuiſſe ſcribant, quomodocunq; ſe res habeat, adhuc incertum eſt. Inter duos viſendæ altitudinis montes ſitum eſt: non procul vallis eſt ampliſſima, in qua aqua pluuialis amnē format. Eſt autem huius oppidi medio forum quoddam, in quo frequentiſſimæ ſunt officinæ. viſitur & hic templum auguſtum: magna hic eſt aquæ potabilis caritas, omnibus enim ad vnum eundemque puteum confugiendum eſt, qui in ſuburbio iuxta ſepulcrū cuiuſdam eſt, qui quondam apud illos maximi fuit nominis. verùm nō vſqueadeo tutum eſt noctu illinc aquam petere: eſt enim in ea magna ſanguiſugarum copia. Ciues in duas diuiſi ſunt partes: horum enim non nulli piſcatores, alij piratæ ſunt, qui Chriſtianis non paruam quotidie adferunt moleſtiam: maxima reperitur in montib. illis arborū abundantia, quę nauibus atq; triremib. fabricandis aptiſſimæ ſunt: & qui montes incolunt, nihil aliud ferè operis exercent, quàm quòd ligna huc atq; illuc conuehunt: minimum apud illos frumenti prouenit, quare panem ferè hordeaceum conficiunt: veſcuntur autem obſonij loco piſciculis quibuſdam (ſardelli itali vocant) aliisque id generis piſcibus: eſt enim tanta illis piſcium copia, vt vnus retia extrahendo nō ſufficiat, quare qui

piſcatores ea in re iuuare volunt,pro officio piſcatoribus exhibito bonam piſcium copiam recipiunt,quin & obuiis quoq; multum piſcium dono dare ſolent. piſces autem ſalſos ad vicinas mittere ſolent regiones. Eſt longa in hoc oppido Iudæis platea,in qua & œnopolas nonnullos reperies:vinum autē ceu nectar quoddam bibunt. Solent & veſperi vinum in ſcaphas ſecum conferre,atque ſic bibendo atque cantando per flumen ſpatiari. Eſt in hoc oppido elegantiſſimum quoddam caſtrum, verùm non admodum munitum,in quo ſe oppidi præfectus continere ſolet:non procul hinc palacium eſt regium,cûi adiunctus eſt hortus amœniſſimus : ad maris ripā nauale quoddam eſt,vbi triremes aliæque naues præfecti ſumptibus fabricātur,quibus illi Chriſtianos maximis ſolent afficere incōmodis:propterea quòd Hiſpaniarum Rex Ferdinandus inſulam quandam armis ſibi occupauit,quæ huic ciuitati ad vnum miliare ex oppoſito ſita eſt,in qua propugnaculū quoddam in ſcopulo exſtructum bombardis atq; militibus muniuit, ita vt nec templa iam dicti oppidi tuta erant, nec etiā homines,qui per plateas incedebant,quin maxima illorum pars quotidie bombardarum ictib⁹ interficeretur: hinc factum eſt quòd vrbis præfectus auxilium à Rege Feſſę petiuit, qui ingentem contra Chriſtianos miſit exercitum, verùm Feſſani infœlici omine dimicauerunt, partim enim capti,partim interfecti ſunt: perpauci qui fuga ſuę conſuluerant ſaluti,faucij Feſſam redierunt. Seruarunt igitur Chriſtiani hanc inſulam

duos

duos ferè annos: deinde cuiusdam Hispani perfidia, qui insulæ præfectum propter sibi ademptam vxorem interfecerat, in Maurorũ redacta fuit deditionem, Christiani omnes trucidati: illorum nemo à cede exceptus, prẹter proditorem Hispanũ, qui propter egregium hoc facinus magna accepit à Bedis præfecto atque à Rege Fessę præmia. Huius rei historiã cum Neapoli essem, forte à quodam audiui, qui his omnibus interfuerat, dicebatque hęc acta fuisse anno à Christo nato millesimo quingentesimo vigesimo. Nunc autem insula hæc accuratissimè à militibus Fessanis seruatur: nullum enim propinquiorẽ portum in Mediterraneo Fessa habet, quanquã centum & viginti distet miliaria. Solent Venetorũ trirémes hác insulam quotannis aut alternis annis inuisere, atq; cum illius loci incolis mercium permutationem facere, aut interdum quoq; præsenti vendere pecunia: deinde merces ex hac insula collectas Tunetũ, Venetias, ad Alexandriam aut etiam ad Barutum deuehunt.

¶ *Ielles*.

ANgustum est oppidũ in littore Mediterranei exstructũ, distat à Bede sex fere passuũ millia: portus est frequentissimus, in quo naues se recipere atq; à maris sęuitia tutas seruare solent: nõ procul ab hoc oppido frequentes sunt montes, vastæque solitudines pinis copiosissimæ: nostro hoc sæculo remansit incolis vacuúm, idque propter piratas quosdam Hispanos, nisi fortasse aliquot adhuc reperiantur piscatorum casulæ, qui perpetuò sibi ab Hispanorum

latrociniis timẽtes sedulo semper obseruãt,num naues aliquas aduentare videant,quibus conspectis,mox ad vicinos montes confugientes, magnam inde armatorum secum adducũt copiam, qui aduentanti Hispanorum aut Lusitanorum classi facilè resistere possint.

*Tegassa.*

FRequentissimum hoc quamuis angustum oppidulum,in ripa fluminis cuiusdam exstructum,distat à mari Mediterraneo duo ferè passuum milia. Familias numerat propemodum quingentas,ædificia hîc rudissimo modo fabricata:incolę omnes aut piscatores sunt aut nautæ,qui inde victum in alias transferũt ciuitates. cùm enim hîc perpetui sint montes atque nemora,nihil omnino frugum prouenire potest. Reperias tamen aliquot vineas atque arbores maximè fructiferas, alioqui omnibus modis misera censetur hæc Regio. Incolæ pani hordeaceo nihil habẽt quod addant,præter pisciculos atq; cæpe. Ego huius Regionis fetoré ex piscium multitudine contractũ,per vnũ diem tolerare vix potui, qui fetor misere totã eam infectat prouinciam.

*Gebha.*

GEbha oppidulum muris vndiq; cinctum minutissimis,ab Africanis ad littus maris Mediterranei exstructum est. Distat à Bede miliaribus plus viginti & quatuor. Nunc incolas habet nunc verò non, idq; pro illius Regionis ratione: omnis qui huic vicinus est ager, rudis est,fontibus atque nemoribus plenus. Reperias & hîc aliquot vineas, aliosq; fructus, vix au-

autem ædificium quod alicuius sit momenti.

¶ *Mesemme.*

MEsemme spatiosum oppidum Maritimum, in mõte qui Saretæ Regioni confinis est exstructum, sub hoc oppido latissima est planicies, cuius longitudo Meridiem versus viginti octo, latitudo autẽ decem ferè est miliariorum, per cuius medium præterfluit flumen Noccore, qui Errifam Regionem à Gareta dirimit. Hanc terrã incolunt quidam Arabes, qui agricultura sese exercent, satis bonam inde colligentes frugum copiam, quare Bedis Principi circiter quinque millia frumenti mensuras soluere coguntur. Habuit olim hæc ciuitas incolas quamplurimos, fuitque illius Regionis sedes Regia, frequentissimis tamen semper vexata incõmodis. Primò enim omnino propemodum deleta à pontifice Cairaoan: qui quoniam solitum censum recusauerant, incendio hanc prorsus deleuit, loci præfectus capite truncatus est: caput autem Cairaoan hastę superimpositum delatum est. Hæc acta sunt Hegiræ anno trecentesimo decimo octauo. Ab eo tempore per totos quindecim annos remansit incolis nuda: deinde sub eodem Pontifice à quibusdam magnatibus rursus inhabitari cœpit. Postremò autem cœpit etiam & à Cordouæ principe oppugnari. Hic cùm vidisset hanc ciuitatẽ suo regno adiacere in octuagesimo miliario (tanta est enim maris latitudo inter Malagam & iam dictam regionem) cœpit primùm tributum sibi inde exigere: quod vbi recusassent, vel minimo militũ numero occupauit:

non

non enim potuit pontifex tam breui auxiliares mittere copias: distat enim Cairaoan à iam dicto oppido miliaribus plus minus bis mille atque trecentis. Recepta igitur atque omnino deleta, qui præfectus fuerat ad Cordouam captiuus missus est, vbi reliquum vitæ in cathenis transegit. Nunc autem tantùm muri huius ciuitatis videri possunt: hæc autem acta sunt Hegiræ anno octicentesimo nonagesimo secundo.

¶ *Benigarir mons.*

NVnc & de montib. Errifæ nonnihil dicamus. primo loco offert se mihi mons Benigarir, cuius incolæ ex stirpe Gumerorum orti sunt. Est autem hic mons Tergæ vicinus, patetque in longum decem, in latum verò quatuor ferè passuum millibus. Frequentia in hoc monte sunt nemora, frequentes vineæ atque oliuæ. Incolæ omnes miserrimi atq; pauperrimi. Mira illis pecudum caritas est: & quia vini sic satis bonam habent copiam, vinum coctum conficere solent: prouenit in hac regione nō magna admodum hordei copia.

¶ *Benimansor mons.*

HVius montis longitudo circiter quindecim, latitu. autem quinq; est miliariorū. Innumera hic fermè nemora, atque fontes sunt: incolæ omnes validissimi, quanquam miserrimi, cùm toto eo monte nihil præter vinum proueniat: est quidem illis nonnihil caprarum. Est quoque singulis septimanis mercatus, ad quem nihil aliud præter allia, cæpe, vuas passas, pisciculos salsos, nonnihil quoque frumenti atque

atque panici venale adfertur, vnde panem sibi pinsere solent. Paret autem hæc regio imperio principis Bedis.

¶ *Bucchuia mons.*

PAtet hic mons in longum quatuordecim, in latum verò octo fere miliaria: huius habitatores aliquãtò ditiores sunt, quàm qui reliquos occupant montes: aliquãtò melius vestiuntur: equorum quoque bonam habent copiam. *Est* enim is mons frugibus feracissimus: neque adeò magnum hi exsoluunt tributum, idque propter virum quendam insignis sanctimoniæ apud Beden sepultum, qui in hoc monte natus erat.

¶ *Benichelit mons.*

HAc iter est Bede Fessam proficiscentibus: est autẽ mons frigidissimus, cui frequentissimæ sunt syluæ, fontesq; innumeri. In hoc nihil omnino frugum prouenit, nec aliud quicquam præter vinum. Hi Bedis quoque principis imperio parent, atque propter crebras exactiones ad summam inopiam redacti, latrociniis se atque furtis dedunt.

¶ *Benimansor.*

EXtendit sese hic mons ad mare per octo ferè miliaria, vti & illi montes de quibus iam dictum est. Incolæ validissimi sunt atque corporis viribus præstantissimi, cæterùm ebrietatib. plus satis addicti. Satis quidem vini, frugum verò paruam colligunt copiam. Illorum fœminæ capras cogunt, ac interea colum circunferentes, nendo tempus terunt: harum maxima

pars

pars vel cuiuslibet interdum viri admittunt con cubitum.

¶ *Beni Iosephus.*

HVius montis latitudo duodecim est miliariorum, latitudo autem circiter octo. Huius incolæ pauperes sunt, vilissimis vtuntur vestibus: nihil omnino apud illos præterquam paululum panici prouenit, vnde sibi panem atrũ pinsunt, atque insipidissimum. Vescũtur & cæpis atq; alliis: fontes in hoc monte turbidiores sunt: magna illis est caprarum copia, quarum lac ceu rem pretiosissimam sibi seruant.

¶ *Beni Zaruel.*

FRequentes reperiuntur in hoc monte vineæ, satis copiosa quoq; apud illos est oliuarum atq; aliorum fructuum affluentia. Incolæ miseri sunt, Seusæ principis imperio parent, qui maximos ab illis census exigere solet, adeò vt miseris vix sufficere potest quicquid illis mons ille gignere potest. Singulis septimanis mercatum habent, in quo nihil aliud quàm ficus Sole exsiccati, vuæ passæ, atque oleum inueniuntur. Solent hircos atq; capras mactare, quorum carnes adeò sunt insipidæ, vt non nisi sartagine frixæ edi possint.

¶ Beni *Rasin mons.*

EST hic mons mari Mediterraneo non procul à Terga confinis: huius accolæ securã agunt vitam, est enim mons omnino inexpugnabilis, omnibusque frugum generibus feracissimus, neque vllum exsoluere coguntur tributum: prouenit apud hos satis bona obliuarũ

atq;

atq; vini abundantia: non facilè dixerim, quantũ montis costa rerum omnium sit fœlicissima: illorũ mulieres aut capras agunt, aut agros colunt.

¶ *Seusaon mons.*

NVllum habet vel tota Africa montẽ, qui cum hoc loci amœnitate sit vllo modo conferendus: in hoc oppidulum est omnis generis artificum atque mercatorũ frequentissimum. hic se multorum montium princeps (Sidiheli Berrased appellabant) suam solet habere regiam, hic aliquam in eo monte ciuilitatẽ introducere cœpit, à Rege Fessę defeciuerat atque perpetuum gerebat cum Lusitanis bellum. Huius atq; omnium dictorum montium pagorum incolæ ab omni censu atque tributo liberi sunt, semper enim suum ducem tam pedites quàm equites sequuntur: exigua hic prouenit frugum copia, cæterũm plurimũ lini: vastæ in hoc monte sunt solitudines, fontes penè innumeri. accolæ omnes vestitum habent sic satis ad decorem compositum.

¶ *Beni Gebara.*

MAximè arduus hic mons est visendęque altitudinis, è cuius radicibus fluuioli aliquot scaturiunt. Magna hic est vinearum atque ficuum copia: nihil frumenti tamen in eo prouenit: inhabitatores vilissimo vtuntur vestitu. maxima illis est caprarum copia, tum & boues hic reperias adeò paruos, vt semestres vix esse iudices. Est illis singulis septimanis mercatus, verùm huiusmodi vt vix vllæ hic videantur merces: huc solent confluere aliquot Fessæ mercato-

catores,tũ & muliones,qui fructus ex hoc monte Fessam conuehunt. olim paruit imperio cuiusdam principis, qui Regi Fessæ cognatione cõiunctus erat: colligebatur autem ex hoc monte duorum fere millium aureorum redditus annuus.

## ¶ *Beni Ierso.*

HAbuit hic mons infinitos olim incolas. egregium in hoc exstructum fuit collegium, in quo quæ ad legem pertinebant publice prælegebantur,quam ob causam accolæ omnes a tributis atq; exactionibus liberi erant: postea tyrannis quidam Fessæ Regis copiis adiutus, montem sibi tributarium reddidit, fugatis primo incolis, deinde etiam collegium deleuit; in quo reperti sunt volumina plus quàm quatuor millibus aureorum æquiualentia; viros eru ditissimos maximique nominis gladio subiecit: Hæc autem acta sunt Hegiræ anno nonihgentesimo octauodecimo,hoc est post natum Christũ millesimo quingentesimonono.

## ¶ *Tezarrin mons.*

IAm dicto monti vicinus est & hic qui Tezarin ob incolis appellatur: frequentissimi hic fontes,solitudines atque vineæ,in huius summitate multa visuntur ædificia antiquissima,a Romanis,quantũ ego conijcere potui, exstructa, hic in subterraneis fossis, vt antea diximus,Romanorũ thesauros adhuc quotidie quærunt: incolæ omnes ignorantissimi sunt,atq; crebris exactionibus miserrimi.

## ¶ *Beni Buseibet.*

Fri-

FRigidiſſimus hic mons eſt, quare nihil omnino frugum producit, neque etiam pecus alere poteſt, cùm propter ingenté frigiditatem, tum quoq; propter nimiam illius loci ſterilitatem: huic accedit quòd illarum arborum folia eius ſunt naturæ vt capras alere non poſſint. prouenit hîc maxima nucũ copia, adeo vt Feſſam vicináſq; ciuitates abundè de his prouideant; vuæ omnes nigræ hîc proueniunt, quibus cibus quidam (Cibibbo vocant) ab illis confici ſolet: vinum coctum quoq; conficiunt, maximámq; vini copiam quotannis colligunt. Laneis quibuſdam veſtiuntur penulis, lodices dicas quales Italis in vſu ſunt: habent autẽ huiuſmodi penulæ capucia, quibus caput tegunt, adeo vt vix homines eſſe intelligas: penulæ autem candidis nigriſq; maculis ſunt verſicolores. hyeme mercatores qui nuces atque vuas paſſas ex hoc monte Feſſam deferunt, vix cibũ ſibi reperiunt, neq; enim frumentum illis eſt neq; carnes, cœpis tantùm veſcuntur atq; piſculis quibuſdam ſalſis, quæ tamen maximo apud illos habentur precio: veſcuntur quoque vino cocto atque fabis illorum more paratis, eſtque hic cibus in eo monte delicatiſſimus: vinum aũt coctum multo cum pane vorant.

*Beni Gualid mons.*

ALtiſſimus eſt maximéque arduus, accolæ omnes ditiſſimi, vuas enim colligunt nigras, quibus Cibibbum coquunt. Prouenit illis amygdalorum, ficuum, atque oliuarum maxima abundantia. Præterea nullum Re-

gi Fessæ tributum persoluunt, nisi quòd quælibet familia quartam vnius aurei partem enumerat, quò liceat liberè ad Fessæ mercatum adcedere. Quòd si quisquam Fessanus aliquo illos afficiat incommodo, hunc illi aut eius consanguineum cùm primùm in eo monte nacti sunt, detinent, nec prius Fessam redire sinunt, quàm probè de iniuria satisfactum est. Huius montis populi sic satis eleganti vtuntur vestitu, estque illis ea libertas concessa, vt quotquot Fessani exulant, hic liberè remanere liceat, quin & exulibus quoque tantisper dum apud illos commorantur, victum præbent gratis. Quòd si hic mós Fessæ regis pareret imperio, nemini dubiũ quin sex millium aureorum numerarent singulis annis prouentũ: numerat enim plus quàm sexcentas easdemque ditissimas familias.

¶ *Merniza mons.*

EST hic mons iam dicto ferè cõtiguus, eiusdem omnino generis sunt incolæ, eadem his est nobilitas, libertas, atque diuitiarum præstantia. Huius mulieres vel propter minimã à maritis illatam iniuriam, cõtinuò relictis liberis atq; marito inde ad alium migrant montem, nouumq; pro arbitrio sibi quærunt amatorem. Quam ob causam perpetuum inter illos bellum geritur: neq; prius pax inter eos esse potest, nisi qui postremò sibi vxorem seruat, priori marito omnes restituat pecunias, quas in primis nuptiis celebrandis impendit: huius rei iudices habent, qui miseros mirum in modum facultatibus omnibus propemodum exsorbent.

*Ha-*

¶ *Haguſtun mons.*

ALtiſſimus atq; idem frigidiſſimus mons eſt, frequentiſſimi hîc fontes, maximaq́; vinearum copia, è quibus vuas nigras decerpunt, magna quoque hic ficuum, mellis, malorum cotoneorum eſt abundantia: mala autem cotonea maximè odorifera atque elegantiſſima in ea tantùm planicie prouenıunt, quæ monti ſubiecta eſt: ſunt & hi oleo optimo ditiſſimi, incolæ ab omni tributo ſunt liberi, tamen illorum nemo eſt, qui non in animi gratiſſimi ſignum Regi Feſſæ ampliſſima miſſitet munera: hinc fit quod ſecurè atq; liberè illis liceat inter Feſſanos negociari, à quibus magnam emunt frumenti, lanæ atque telæ copiam. Ornatiſſimo vtuntur veſtitu, iĳq́; præſertim qui in nobiliori huius montis parte habitant, hi enim omnes ferè aut mercaturã, aut artem aliquam exercent: bona quoq; illorum pars nobiles ſunt.

¶ *Beni Iedir mons.*

MAximus hic mons eſt atque incolarum numero ditiſſimus, hic nihil tamẽ pręter vuas ꝓuenit, vnde ſibi Cibibbo conficere ſolent atq; vinum. Accolæ olim ab omni tributo liberi fuerunt, ſed tandẽ propter crebras indies illorum prædationes, atque in exteras nationes iniurias, Bedis princeps Feſſanis militibus adiutus, hos omnes ſubegit, libertatemq́; ademit: numerantur in hoc mõte circiter quinquàginta rura, tamen vix quadringentorum aureorum annumerant cenſum annuum.

¶ *Lucanus mons.*

MIrandæ altitudinis maximeq́ue arduus hic mons est, incolæ ditissimi, magna illis enim vuarum passarum, ficuum, amygdalorum, olei, malorum cotoneorum atque citreorum prouenit affluentia: & quoniam triginta quinque tantùm miliaribus à Fessa distant, omnes eorum fructus eò deuehunt: sunt ferè omnes nobiles, incredibili superbia tumidi, adeò vt nullum vnquam cuiquam persoluere tributũ voluerunt: sciunt enim illorũ montem propter loci munitissimi naturam nõ facile à quoquam expugnari posse: hîc quoq; Fessani exules liberi sunt, splendideq; omnes, adulteris tantùm demptis, excipiuntur: nam cùm huius mõtis accolæ maxime Zelotypia laborent, adulteros omnino admittere nolunt. Multa his à Fessæ rege conceduntur, propter amplas, quas ex eo monte colligit, vtilitates.

¶ *Beni Guazenal.*

EST hic mons triginta ferè longitudine miliarium, latitudine verò circa quindecim: diuiditur autem in tres partes, inter hunc atque duos iam dictos montes nonnulli præterfluunt riuuli. Accolæ omnes strenuissimi atque ad arma exercitatissimi, sed vltra modum à Fessę duce exactionibus granati, qui singulis annis ab hoc monte decem & octo milium aureorum sibi tributum postulat: mons quidem vuis, oliuis, ficubus atque lino fœcundissimus est, vnde & bonam sibi colligunt pecuniarum copiam, verùm quicquid illis colligitur, id in vniuersum ad Fessanum redit ducem, ille continuò suos habet in

hoc mõte receptores, qui miseros miserrimè ex
sorbere solent: infiniti propemodũ in hoc mon
te sunt pagi atque vici, quorum nonnulli centũ,
nonnulli ducentas aut plures etiam numerẽt fa
milias: militum bello exercitatissimorũ circiter
vigintiquinque numerant millia: perpetuum il
lis geritur cum vicinis bellum. Fessę autem Rex
propter vtrinque interfectos, ingentem sibi nu-
merari iubet pecuniæ summam, adeò vt non pa
rum vtilitatis ex eorum dissidiis capiat. Est in
hoc mõte oppidulum sic satis frequens, in quo
nullum vix artificium desiderare posses, huius a-
ger vineis, malis cotoneis atque citreis fœlicissi-
mus est, quæ omnia apud Fessanos diuendũtur:
magna quoq; hîc est telæ textorum copia, mul-
ti hic iudices atque causidici. Est & illis merca-
tus sic satis frequens, ad quem cõfluere solent vi
cinorũ montium accolæ. Visitur in summitate
huius montis ceu antrum quoddam, quod per-
petuos eiaculatur ignes. Permulti rei miraculo
huc allecti, ligna iniecere, quę mox igni consum
pta fuerunt: neque vnquam huiusmodi tam mi
rabile quicquam in rerum natura vidi, adeò vt
pleriq; etiam inferorum hiatum esse opinentur.

## ¶ *Beni Gueriagel mons.*

IAm dicto monti vicinus est, incolæ tamen
duorum illorum mõtium perpetuas inter se
alunt inimicitias. Est ad huius radices spa-
tiosissima quædam planicies, quæ ad Fessæ vsq;
territorium extenditur, per eam præterfluit flu-
men, quod Guarga incolæ vocant. Colligitur ex
hoc monte maxima olei, frumenti, atq; lini co-

pia, vnde fit vt innumeri hic reperiantur telæ textores. Maxima ferè eorum pars quæ hic colliguntur ad Regem redit, adeò vt qui alioqui omnium ditissimi forét, miserrimi omnium ferè sunt, idque ob aulicorum crebras molestias. Ingenium illis liberale atque strenuum: militum numerant duodecim fere millia, pagos autē plus minus sexaginta.

*Beni Achmet mons.*

PAtet in longum octo & decem, in latum verò septem passuum milia. Arduus admodum est, vastę in eo solitudines, magna apud illos prouenit vuarum, oliuarum, atque ficuum copia: ager verò frumento non vsq; adeò fœlix est. Incolæ omnes crebris exactionibus à Rege Fessæ indies vexantur. Ad huius radices innumeri reperiuntur fontes atq; fluuioli, quorum aqua turbida, palato minus grata, vtpote quæ propter arenæ naturam calcis gustum referat. Permulti hic reperiuntur, qui gurgulionis nodum eminentiorem habent, quod & de aliis quibusdam antea dictum est. Omnes vinum bibūt non dilutum, quod sufferuefactum illis durare dicitur in annum decimumquintum, non quòd omne vinum illis feruefiat, seruant enim & crudum, conficiuntq; maximā quotannis vini cocti quantitatē, quam vasis fundo strictiorib. ore verò latiorib. seruare solent. Est illis singulis septimanis frequentiss. mercatus, in quo vinū, oleum, atque vuas passas venalia reperies. Sunt & hi miserrimi, summaq; paupertate infœlicissimi, quod facilè ex eorum vestitu colligere licet. Perpetuæ

atq;

atq; antiquiſſimæ inter hos aluntur inimicitiæ, quare & frequentiſſimè ad arma vocantur.

*Beni Ieginefen mons.*

IAm dicto monti confinis eſt, extenditurque in longum ad decem ferè paſſuum milia. Inter hunc atque iam dictum montem riuulus quidam præterfluit. Accolæ omnes ebrietatibus plus ſatis dediti ſunt, adeò vt vinum ceu nectar quoddam habeant. Nihil hic omnino fructuum, ſed incredibilis vini prouenit copia. Capras alunt aliquot, quæ perpetuò in nemoribus illis degũt, nec aliam prꝑter caprinam carnem aut hircinam habent. Fuit mihi magna cum huius montis incolis cõſuetudo, erat enim patri meo in hoc monte nõnihil ditionis: ſed ægrè admodum aut redditus aut pecunias inde recipiebat: non enim dictu facilè, quàm ſint illi homines in ſoluendo debito difficiles.

*Beni Meſgalda mons.*

EST hic mons iam dicto nec non & Guargæ flumini confinis. Magna in eo conficitur ſaponis liquidi quantitas, durum enim cõficere neſciunt. Ad huius radices ſpatioſiſſima eſt planicies, quæ ab Arabibus occupatur, quare & aſſiduum inter illos bellum geri ſatis veriſimile eſt. Maximam illi Feſſÿ Regi enumerant quotannis pecuniæ ſummam, nec facilè dixerim quàm miſerè nouis indies exactionibus vexentur. Innumeri in hoc monte ſunt legis doctores, atque literarum ſtudioſi: à quibus & maximo quotidie afficiuntur incommodo. Hi vinum quidem bibunt, populo autẽ interdictum eſſe perſuadere

conantur, quanquam illis parum admodum à nonnullis habetur fidei. Ab huius montis incolis non magnum admodum exigitur tributum, idque eò fortassè quòd legis doctores aliosq; insignis eruditionis viros alunt.

### ¶ *Beni Guamut mons.*

EST hic mons Fessæ territorio ita confinis, vt ab eo solo flumine sit distinctus. Incolæ omnes saponem conficiunt, vnde sibi Fessæ Rex sex milium aureorũ colligit prouentum annuũ. Numerat autem mõs ille rura plus minus viginti quinque; omnes mõtis costæ frugibus, armentis, atque pecudibus sunt felicissimæ, nisi quòd magna illis locis sit aquæ caritas. Incolæ omnes ditissimi, magnam omnis generis mercium copiam Fessam conuehunt, idque non, nisi maximo omniũ lucro. Nihil in hoc monte prouenit, quod non ad hominum vsum maximè cõducat. Distat autem à Fessa decem ferè miliaria.

### ¶ *Gareti Fessæ regionis descriptio.*

ENumeratis omnibus cùm ciuitatibus tum montibus Errifitis Regionis, sequitur nunc vt & de Gareto (hoc est de Fessæ parte sexta) nõ nihil dicamus. Habet igitur hæc regio suum à Melulo flumine initium ex Occidente, in Oriente verò flumine Muluia terminatur, ad Meridiem montibus quibusdam clauditur, qui à deserto Numidiæ vicino nõ admodum procul distant: in Septentrionem verò extenditur vsq; ad mare Mediterraneum. Eius latitudo ad mare à flumine Nocor ad Muluiam vsq; extenditur: in Meridie verò fluuio Melulo, in Occidente montibus

tibus Chaus terminatur. Huius regionis longitudo quinquaginta, latitudo verò quadraginta est miliariorum. Ager illis fragosus, incultus, atque aridus, Numidiæ deserto non admodum natura dissimilis. Maxima fere sui parte incolis est nuda, ab eo præsertim tempore quo Hispani duas huius regionis ciuitates præcipuas sibi occupauerunt, vti & suo dicetur loco.

*Melela Gareti oppidum.*

SPaciosissimum hoc atque antiquissimũ oppidum, ab Afris in sinu quodam maris Mediterranei conditum, familiarum numerat duo fere milia. Fuit olim incolarũ multitudine copiosissimum, vtpote totius regionis caput. Multum sanè illi fuit ditionis, maximamq; colligebant ferri atque mellis copiam, vnde & nomen loco inditum scribunt, Melela enim eorum idiomate perinde atque nobis mel sonat. In huius portu bonam piscabantur muricum multitudinem. Paruit olim hoc oppidum Gothorum imperio: verùm postea in Mahumetanorum rediit deditionẽ. Gothi inde fugati Granatam confugerunt, quæ ciuitas inde centum fere miliaribus, hoc est quãta est maris interpositi latitudo, sita est. Nostris verò temporibus Hispaniarum Rex ingentẽ huc misit exercitum: verùm priusquam Hispani huc appulerunt, ciuitatis incolæ auxilia à Fessano Rege petierãt, qui quoniam per id tempus contra Temesnitas bellum gerebat, exiguum admodum mittere licuit exercitum. Quod vbi Melelitæ animaduertissent, timentes ne tantillus exercitus Hispanorum vim ferre nõ

poſſet, aſſumptis ſecum quiſq; quantum potuit ſupellectilis, ad montes Buthoiæ confugerunt. Feſſanorum autem militum dux, cùm vt nimis timidulos ciues iniuria afficeret, tum etiam ne quid Hiſpanis integri relinqueretur, domos oẽs, templa, ædificia, incendio deleuit. Id factum eſt Hegiræ anno octingẽteſimo nonageſimo ſexto: hoc eſt, à Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo. Quam ciuitatẽ vbi Hiſpani ſic exciſam inuenerunt, nõ deſeruerunt tamẽ, quin primò arce quadam munitiſſima in ea exſtructa, tandem etiam paulatim ciuitatis murum atque mœnia reparauerunt, & in hunc vſque diem ſibi ſeruauerunt.

### ❡ *Chaſaſa oppidum.*

CHaſaſa à iam dicto oppido circiter viginti diſtat paſſuum millia: egregium fuit oppidum munitiſſimis muris cinctum, portum habet celeberrimũ, in quo frequentiſſimæ quotannis videbantur venetorũ naues. Plurimum huic populo cum Feſſanis ſemper fuit commercii, nec ſine magno vtriuſq; gentis commodo: tandem Feſſano Rege bello maximè occupato, Ferdinandus Hiſpaniarum Rex maximis vndiq; collectis copiis inſtructiſſima claſſe huc venit, oppidumq; vel minimo negotio ſibi occupauit, incolę enim de Hiſpanorum aduentu certiores redditi, fuga ſibi ſalutem quæſierant.

### ❡ *Tezzota oppidum.*

DIſtat à Chaſaſa quindecim ferè paſſuum millibus in mõte quodam altiſſimo atq; tophaceo exſtructum, ad quod anguſta qua-

quadam via ascenditur: nullam habent aquam, præterquã eam quæ è cisterna quadam hauriri solet: huius conditores Benimarinos fuisse affir mant, priusquam regnum aliquod possiderẽt, in hoc oppido sua frumenta reliquaque omnia bo na seruabant. Tum temporis secura erant om- nia eius regionis deserta, nondum enim Garetũ incolas receperat: postquam verò Benimarini regnare cœperũt, totam hanc regionem vnà cum Gareto oppido vicinis reliquerunt, ipsi verò ad prouincias aliquantò nobiliores se contulerunt. Interea autem Iosephus Iacobi Marinorum Re- gis filius, ratione nescio qua adductus, Tezzotam funditus propemodum deleuit: at postq̃ Chri- stiani Chasasan occupauerunt, vir quidam nobi lis natione Granata, qui in aula Fessani Regis diu vixerat, is à principe impetrauit, vt Tezzotam à ruina reuocaret. Huius igitur reparati oppidi nunc incolæ sunt Mauri, perpetuũ gerunt cum Christianis bellum, qui Chasasan inhabitant.

### ¶ *Meggeum oppidum.*

MEggeum oppidulum quoddam in ver- tice altissimi cuiusdam montis exstru- ctum, distat à Tezzota Occidentem ver- sus decem, à mari Mediterraneo Meridiem ver- sus sex ferè passuum milia: cõditores habuit A- fros, incolæ omnes animo sunt nobili atque li- berali. Sub hoc monte ager quidam est frugibus feracissimus. E montibus circumiacentibus ma gna effoditur ferri copia: huius oppidi imperiũ cuidam cõcessum est, qui ex Regia stirpe, hoc est Muachidin, originem traxit, verùm patrem ha-

buit

buit nó vsqueadeo diuitem, qui cùm ipse textor esset, filum etiam eandem artem edocuit: postea animosus iuuenis postquã suorum auorum genus atque nobilitatem intellexisset, relicta tela Bedin ad Regem militatum profectus est, vbi aliquãdiu eques stipendia meruit: sed quoniã insignis erat fidicen, Rex ob musicæ peritiam illum vnicè adamauit. Post hæc cùm Tezzotæ princeps ab hoc Rege cõtra Christianos auxilium rogasset, nobilis ille iuuenis cum trecentis equis eò missus est, & quemadmodum antea multis in locis, ita & nunc strenuissimũ sese præbuit ducem, nondum tamẽ illius animositas principem mouit, cui solummodò propter musices peritiã gratus esse potuit: quare tandẽ indignatus ad quosdam quos adhuc habebat amicos nobiles Garetum se cõtulit, qui adiunctis huic quinquaginta equitibus, in Meggei arcis tutelam miserunt: postea ab omnibus illorũ montium incolis sic fuit adamatus, vt illum quisque pro facultatum portione iuuerit. Tandem Bedis princeps collecto trecentorum equitum atque mille peditum exercitu conatus est iuuenem expellere, qui mox exiguo illo quem secum habebat exercitu, ita dimicauit, vt hostes in fugã verterit; ac sic paulatim crebris tandem victoriis huius nomen omnibus innotuit, vt Fessæ Rex satis opimum illi adiunxerit prouentum, quem antea Bedis rectoribus dederat, vt hostem Hispanũ summis viribus ab ea regione pellerent; atq; ab hoc principe Mauri primùm bellandi didicerunt peritiam: nunc annuum prouentum Fessæ Rex duplicauit, adeò vt du-

ducentos nunc alat equites,qui armorum præstantia plus valent, quam vicinorum militum duo millia.

### ¶ *Echebdeuon mons.*

EXtenditur à Chafafa Orientem verfus ad flumen vfq; Muluiam,deinde à mari Mediterraneo ad Meridiem in defertum vfq; Gareti vergit. Incolas habuit ditiffimos,atq; validiffimos: eft autem mons melle,hordeo atque omnis generis pecudib. copiofiffimus, frequentia hic prata atq; amœniffima, verùm ab eo tempore quo Cafafa ab Hifpanis fuit occupata,cùm hi propter militum inopiam, fe hoftium impetum ferre non poffe viderent, relicto monte atq; propriis domibus incendio deletis, ad vicinos fe montes contulerunt.

### ¶ *Benizaid mons.*

HIC mons extenditur Occidentem verfus ad loca vfque Nocor flumini vicina, idque per vigintiquatuor miliaria, accolas habet ditiffimos,validiffimos,atque animo liberaliffimos, fic vt omnes hàc iter facientes lautiffime excipiant atq; immunes dimittant: magna illis colligitur ferri ac hordei copia, lætiffimæ in hoc monte pafcua,ingentem quoq; hic reperias pecudum atq; armentorũ numerum, quamplurimæ ferri fodinæ in ea planicie funt, neque illis nonquã deeft aqua:nihil cenfus perfoluunt. illorum autem domus qui ferrum effodiunt,nõ procul à ferri fodinis fitæ funt: ferrum mercatores globulis Feffam venale deferunt, quando in virgas reducendi neque vfum habent, neque artem:

tem:deinde & vomeres,ligones,aliáque id genus rusticorum instrumenta conficiunt, neq; chalybis quicquam ex eo ferro haberi potest.

¶ *Azgangan mons.*

TErminatur hic mõs in Meridie cum Chasasa,incolis ditissimis atque valentissimis copiosus est:nam præterquam quod magna hic rerum omniũ prouenit affluentia, illud quoque habet, quòd Gareti desertum ad huius radices sit situm, cuius incolæ cum huius mõtis populo magnam habent consuetudinẽ: remansit tamen & hic mons incolis vacuus, ab eodem tempore quo capta fuit Chasasa.

¶ *Beni Teusin mons.*

IN Meridie iam dicto monti coniunctus est atque extenditur in longum à Gareti deserto ad flumen vsq; Nocor per decem ferè miliaria,ex altera parte lætissimas atque amœnissimas habet planicies, incolæ omnes liberi, nihil omnino tributi exsoluunt,idq; eò fortasse quòd Tezzotan, Meggeum,atque Bedin militum multitudine longe antecellant. Huic accedit quòd Meggei principẽ armis aliquando ita iuuisse creduntur,vt illorũ ope id regnum sibi sit adeptus: magna his cum Fessanis semper est amicitia, idq; propter antiquissimã illam consuetudinem,quę inter eos fuit, priusquam Fessani aliquod sibi regnum habebant. Postea Fessæ quidam causidicus habitauit,qui ex hoc monte natus erat,ille sic pristinã illam amicitiam Regi ob oculos posuit, vt libertatem suis conterraneis acquisierit: fuit tandem & maxima illis cum Marinis amici

tia,

tia, idq; eò fortaſſe quòd mater Abuſahidi illius gentis Regis tertij ex hoc monte patre nobiliſſimo fuerat orta.

*Guardan mons.*

EST hic mós iam dicto in Septentrione contiguus, patet in longum ad mare vſq; Mediterraneum duodecim, in latum verò vſque ad flumẽ Nicor octo fere miliaria. Huius accolæ validi ſunt, atque ditiſſimi. Diebus ſabbati frequentiſſ. illis eſt mercatus ad ripam cuiuſdam fluuioli: huc concurrere ſolet maxima Garetæ montis incolarum pars, necnon & Feſſæ mercatores quamplurimi, qui ferrum hic atque frena oleo commutant, magna enim in illis montibus prouenit oliuarum copia. Nihil aut parum admodum vini habent, quanquam Anſitæ monti vicini ſunt, in quo ſeſe vino plus ſatis ingurgitare ſolent. Per aliquod tempus tributarij fuerunt ſub Bedis principe, poſtea verò opera cuiuſdam doctiſſimi viri atque concionatoris id eis à Feſſæ Rege cõceſſum fuit, vt tributum tantùm pro ſuo quiſque arbitrio exſoluerent. Ita factum eſt, vt miſſa ſingulis annis ad Regem aliqua pecuniarum ſumma, deinde & equis atque mancipiis aliquot, nihil præterea ab illis exigatur.

*Poſtrema Gareti deſerti pars.*

GARETUM in tres diuiditur partes, quarum prima ciuitates, ſecunda iam dictos montes, (huius incolæ vulgò Bottoia appellantur) tertia deſerta cõplectitur, quæ in Septentrione à mari Mediterraneo initium habent, atq; ſeſe Meridiem verſus ad id vſque deſertũ extendunt

dunt quod illi Chaus appellitant: in Occidente cum iam dictis montib. terminãtur, in Oriente verò clauduntur flumine Muluia. Harum longitudo sexaginta est miliariorum, latitudo verò triginta. Asperi sunt atque aridi, adeò vt hic nihil ferè aquæ præterquam in flumine Muluia reperias. Multa in hoc deserto reperiuntur animaliũ genera, qualia id etiam desertum Lybiæ gignit, quod Numidiæ adiacet. Æstatis temporib. multi Arabes in Muluiæ fluminis ripa sese continere solent, præterea etiam & populus quidam ferocissimus, Batalisa vocãt, qui equorum, pecudum, atq; camelorum numero ditissimi sunt, hi perpetuum cum Arabibus vicinis gerunt bellum.

*¶ Chaus, hoc est, septimæ Feßæ regionis descriptio.*

DIcitur hæc regio continere tertiam Feßæ partem, extenditur enim à flumine Zha in Oriente atque Occidentem versus flumine Guruigara clauditur: sic vt longitudo sit centum & nonaginta, latitudo verò centum & septuaginta miliarium: omnis enim ea Athlantis pars quæ Mauritaniam respicit, huius regionis latitudinem præbet: complectitur & bonam planiciei atq; montium partem, qui Lybiæ confines sunt. Eodem tempore quo Habdulach primus Marinorum princeps Mauritaniæ atque reliquarum regionum illarum sibi imperium vsurparet, cœpit illius genus hanc regionem inhabitare. Quatuor ab obitu filios reliquit, quorum primus Abubder, secundus Abuiechia, tertius Abusaid, quartus verò Iacobus fuit appellatus: hic

po-

postea propter deuictum Muachidin Maroccorum Regem, atq; propter expugnatum à se Maroccum, in Regem electus fuit: reliqui tres præmatura morte perierunt; priusquã Iacobus Maroccum expugnasset, horum singulis pater regionem quandam legauerat. Reliquæ tres partes in alias septem diuisæ fuerunt, hoc est in quatuor Marinorum stirpes atq; duos populos, qui cum hac progenie maximã contraxerant amicitiam; adeo vt hæc regio pro tribus regionibus sit habita. Qui regnum hoc possiderent, numero decem fuere, regiones tantùm septem. Huius partitionis autor fuit Abdulach, qui Chaus regionem talem ab obitu reliquit, qualem mox suo describemus ordine.

¶ *Teurertum oppidum.*

ANtiquissimum hoc oppidum ab Afris in monte non procul à flumine Zhà extrũctum fuit. Ager illis etsi non late admodum se extendat, fœcundissimus est, adiacet deserto cuidam arido atq; fragoso. In Septentrione terminatur Gareto deserto, in Meridie deserto Adduhra confinis est: ad Orientem habet Anghad, hoc est, desertum quoddam quod in finibus regni Telensini est: in Occidente autem deserto Tafrata clauditur, quod & oppido Tezzæ adiacet. Frequentissima atque opulentissima olim fuit ciuitas, familias numerauit circiter tria milia: insignia hic visuntur palacia, templa, aliaq; id genus ædificia. Huius murus ex lapide tiburtino est. Ab eo tempore quo Marinorum genus Occidentale regnum occupauit, hæc ciuitas multorum

torum bellorum causam dedit: Marini enim sub Fessano Rege esse sitam volebant, Telensini verò Rex sibi id imperium asscribere conabatur.

¶ *Haddagia oppidum.*

HAddagia oppidulum ab Afris ad insulæ modum extructum, cingitur enim flumine Mululo, quod in Muluiã non procul ab hoc oppido delatur: oppidum olim fuit frequentissimum atq; opulentissimum: verùm Arabibus Occidentale regnũ possidentibus, cœpit paulatim minui: est enim deserto Dahra cõfine, quod nequissimis quibusdam Arabibus refertum est. Eodem tempore quo Teurertum excisum fuit, hoc quoque oppidum omnino deletum est, neq; aliud quicquam præterquã muros reliquerunt, qui & in hunc vsq; visuntur diem.

¶ *Garsis castrum.*

IN scopulo quodam ad flumen Muluiam extructum fuit, distat à Teurerto quindecim miliaria: in hoc tanquam in loco munitissimo, Beni Marini sua fruméta seruare solebant, eo tempore quo deserta inhabitabant. Postea ab Abuhenan quinto Marinorum Rege occupatum fuit: non admodum multum habet agrorum in locis vicinis: hortum vuarum, malorum persicorum atq; ficuum copia amœnissimum habét, qui quoniam opacissimis vndiq; nemoribus cinctus est, paradisus videtur ad alia illa loca collatus. huius incolæ rudiori ingenio atq; ab omni ciuilitate alienissimi, neq; aliud quicquã quàm frumentum seruant, quod his ab Arabibus creditum est: si quis castrum à longè aspiciat, tugurium

rium magis quàm castrũ esse putet: murus enim vndiq; præruptus, magnam indicat antiquitatẽ, tectum aũt atris quibusdam lapídib. stratum est.

## ¶ *Dubdu.*

DVbdu oppidum antiquum ab Afris in monte quodam altissimo, lociq; natura munitissimo exstructum est, hoc Senetorũ quędam inhabitat familia. Ab huius mõtis vertice frequentes defluunt fontes, atq; tandem per oppidum delabuntur. Ab hoc oppido distat planicies supposita quinq; ferè miliaria, cùm tamen sesquimiliare vix cuiquam abesse videatur, adeò prolixius est iter varie in girum sese voluẽs. Quicquid habet ditionis hoc oppidum, in huius montis vertice situm est, subiecta enim planicies fragosa est atque inculta: nisi quòd in vtraq; ripa fluuioli huic oppido suppositi hortulos nõnullos reperias: nec tantum in hoc monte frumenti prouenit, vt satis ciuium necessitati esse posset, nisi maxima frumenti copia illis à Tezza conueheretur: tantùm enim in hoc exstructum fuit à Marinis, vt præsidium esset, idq; eo tempore quo illis Occidentale regnum ademptum fuit. Postea hunc locũ inhabitare cœpit familia quędam, quę Beni Guertaggen appellata est, hæc & in hũc vsque diem id regni sibi seruauit. Cùm autem Marini à Fessæ regno exclusi fuerunt, Arabes vicini huius oppidi imperium sibi occupare studuerũt: verùm auxilio cuiusdam Muse Ibnu Chamu, qui ex eadem erat familia, sic contra hostes dimicatum est, vt induciæ inter illos sint pactæ: Muse Ibnu huius oppidi sibi imperium seruauit, post

cuius mortem filius Acmed patri successit, atque patrium animum per omnia referens, tranquillè imperium ad mortem vsque administrauit. Post hunc successit quidam Mahumetes, homo armis atque rei militaris peritia omnibus sanè laudatissimus. Hic antea multas sibi ciuitates, multaq; castra ad radices Athlantis sibi deuicerat, quæ in Meridie Numidiæ confines erãt. Postquam verò huius oppidi sibi imperium adeptus esset, non dictu facilè quantis locupletarit ædificiis atque structuris: illorum Rempub. mirum in modum reformauit: liberalissime exteros omnes illac iter facientes excipiebat, adeò vt eius nomen multis populis innotuerit. Hic vt Tezza Fessano Regi adimeretur consilium dedit, maltaque bona ad hanc rem peragendam obtulit: atque vt facilius omnia peragerentur, decreuerat ipse Tezzæ mercatum adire habitu simpliciori, atque sic tandem oppidi ducem aggredi; sperabat enim fore, vt maxima ciuium pars, quos sibi fautores sciebat, conatum facilè iuuarent. Verùm res tandem detecta ad Fessæ Regem peruenit (Saich nominabant, hic primus ex familia Quattas fuit, atque pater eius qui nunc Regẽ agit) qui mox ingenti collecto exercitu, eo animo huc venit vt Dubdu funditus euerteret: atque vbi iam ad montis radices venisset, illic aciem instruxit. Montis accolæ qui sex milium exercitum collegerant, callidè se in rupibus condunt, bonam Fessanorum partem præterire sinunt, idque difficillimis atq; strictissimis quibusdam viis, vnde non facilè effugituros sciunt, atque sic tandem ex improuiso eium-

erumpunt,viarũ difficultate fatigatos aggrediuntur,& quoniã arduus atq; ſtrictus erat callis,non potuit Rex diutius illorum ferre impetum,atq; dum hoſti cedere conãtur,plus q̃ mille Feſſani ſe præcipites dederunt,animamq́; miſere cadendo exſpirarũt.In eo prælio cæſa ſunt tria Feſſanorũ millia:nec tamen potuit Rex tanto infortunio à bello auocari,quin ſtatim reparato.CCCCC.baliſtariorum atq;.CCC.ſclopetariorum exercitu, ſtatuit rurſum ipſam vrbem ſummis viribus oppugnare. Verùm cùm iam Mahumetes ſe amplius Regi reſiſtere non poſſe videret, decreuit ipſe Regem adire,atq; ita pace ſi fieri poſſet compoſita, patriam ab hoſtibus liberare. Quare adſumpto legati habitu, literas propria manu ſcriptas ad Regem pertulit. qui poſtq̃ has perlegiſſet,interrogauit legatum quidnam ſibi de Dubdu principe videretur? Mahumetes reſpõdit inſanire prorſus,qui regi Feſſæ reſiſtere conaretur. Cui Rex,ſi iam hominem deuiciſſem (ſpero autem deuictũrũ propediem) membratim,inquit, illum lacerandum darem. Ad quod tum Mahumetes, Quid ſi ille ſupplex huc veniret, inquit, atque peccatum agnoſceret, án ne tum demum illum Rex in gratiam admitteret? Reſpõdit Rex: Per hoc tibi caput iuro,quòd ſi eo vt iam dixiſti modo peccatum agnoſcere velit, non ſolùm in gratiam accipiam,verùm & filiis illius filias meas deſpondebo:dotem præterea maximam adiungam,viriſque principibus digniſſimam. Verùm ſi is inſanire cœpit,vti tu dicis, certiſſimum habeo illum ſupplicem non venturum.Cui Mahu

metes, Facilè, inquit, veniret, si modò hoc quod iam dixit Rex præsentib. suæ aulæ magnatibus certissimum fore affirmet. Tum Rex, Satis id iam, inquit, affirmatum puto, quod præsentibus his quatuor iuramento astrictum fuit, habes hic secretarium meum primarium, exercitus ducem summum, meum item socerum, maximum denique Iudicem atque sacerdotem Fessæ, quatuor horũ testimonium tibi hac in re modò sufficiat. Mox Mahumetes ad Regis pedes procidens: Eccum, inquit, hominem, qui supplicè peccatum agnoscens, Regis implorat benignitatem atque clemẽtiam. Tum Rex illum humo sustulit, oscu lo excepit, amicisq; verbis allocutus est. Deinde vtramque filiam accersi iussit, quas Mahumetis filiis in vxores dedit: quibus omnibus transactis Fessanus exercitũ ab eo monte amouit, Fessanusq; victor rediit. Hæc autem Hegiræ anno noningentesimo quarto: à Christo nato millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto acta sunt. Ego anno Hegiræ noningentesimo vicesimo primo hanc vrbem inuisi, vbi humanissimè à dicto Mahumete, propter literas quasdam commendatitias, quas à Fessæ Rege atque eius fratre afferebam, exceptus fui. neque desinebat ille rogare quidnam, & quomodo omnia apud Fessæ Regem gerebantur.

### ¶ *Teza ciuitas.*

TEza ciuitas maxima, nobilis atque opulentissima est, ab Africanis in quinto ab Atlante miliario exstructa, distat à Fessa quinquaginta, ab Oceano triginta, à mediterraneo

neo autē tantùm septem miliaria, ea via qua Gareto Chasasan iturnum: erat autem familiarum plus minus quinq; milia, domos habet structura non admodum elegantes, nisi quòd fortassè nobilium palacia, collegia, atq; templa, aliquantulò sint ornatiora: defluit ab Atlante riuulus quidā, qui per huius ciuitatis summum templum decurrit: fit autem interdum vt à vicinis propter certum inter eos dissidium flumen huic ciuitati adimatur, atq; aliò ducatur, ita vt ciuibus maximum inferant incommodum: tum enim neque ędificare possunt, nec aquam habent potabilem, nisi turbidam è quibusdam cisternis sibi petant: quę res sępenumerò facit, vt pacem cum vicinis inire cogantur. Hæc autem ciuitas cùm opulentia, tum & ciuium frequētia tertium in tota hac regione sibi occupat locū: templum habet, quod Fessanū templum magnitudine superat: tria hic reperies collegia, hypocausta frequētissima, hospicia ferè innumera. Habēt hic artes suum quæque locum, non aliter atque quod antea de Fessa diximus: incolæ animosi atque ingenio liberali, qua in re Fessanos etiam superant: magnam hìc literatorum atque doctissimorum virorum reperias copiam, diuitiis affluunt: ager enim illis felicissimus est atque fœcundissimus. Extra huius vrbis mœnia campos reperies spatiosissimos, fluuiolos cumplures, quibus horti omnis generis fructibus copiosissimi irrigantur: inuenias & hic vinearum maximā copiam, hæ vuas palato gratissimas producūt, vnde & Iudæi (horum quingentæ numerantur familiæ) optimum sibi vinū

conficiunt, adeò vt nuſquam generoſius in tota Africa vix reperiri poſſit. Eſt & in hoc oppido inſigne quoddam caſtrũ,in quo ſe totius oppidi princeps cõtinere ſolet. Huius oppidi imperium Rex Feſſæ ſecundo ſuo filio legauerat,cũ meritò Regia ipſa hic eſſe deberet,idque propter aërem tam ęſtate quàm hyeme ſaluberrimũ: hic ſe Marini nobiles per totam æſtatem cõtinere ſolent, idque cùm propter loci ſalubritatem,tum vt regiones illas ab Arabibus tutas ſeruarent qui deſerta inhabitabant: hi Tęſam quotannis accedebant,atquę omnia quæ victui illorum neceſſaria erãt,inde auehebant: dactilos Segelmeſſenos frumentis commutabant: plurimum pecuniarum huius ciuitatis ciues ab Arabibus pro frumentis recipiebant,quare hic ditiſſimi fermè oẽs ſunt, neque aliud ciues incommodum habent, quàm quòd hyeme plateæ plus ſatis ſint lutoſæ. Fuit mihi in hac ciuitate cum ſene quodam notitia, quem vulgus non aliter atque diuum quendam venerabãtur: hic ditiſſimus erat,fructuum,agrorum,aliarumque rerum quas à populo receperat maximã habebat affluentiam. Feſſani huius viſendi ſtudio per quinquaginta miliaria (tantum enim hinc Feſſa diſtat) confluere ſolebant. Ego quoq; de ſene nunq̃ viſo neſcio quid opinionis animo conceperam: poſtq̃ autem vidiſſem,nullã omnino præ ceteris excellentiam in illo reperire potui,niſi quòd portentis quibuſdã indoctã plebem mirè illudebat. Latè igitur huius oppidi patet imperiũ, montes cumplures ſe habet, quemadmodum & iamiam ſuo dicetur loco.

*Mat-*

¶ *Matgara mons.*

INsignis altitudinis hic mons accessuq; difficillimus,cùm ꝓpter vastas solitudines tum calles strictissimos, distat à Teza quinq; ferè miliaria: in huius summitate ager est fœcundissimus limpidissimis fontib.irriguus: accolæ nullis exactionibus grauantur, colligunt quotannis satis copiosam frugum,lini,atque olei copiam: pecudibus atque capris præsertim abundant: nihil omnino principes curant. Cùm quodam die Fessæ Regem prælio vicissent,captiuum quendã ex ducibus Fessanis ad montis summitatem duxerunt , vbi infinitis suppliciis vel Rege etiam aspiciente miserũ miserrimè extinxerunt:quam obrem huic populo perpetuum fuit ab eo tempore cum Fessanis dissidium: septem ferè numerant militum millia, reperiunturq; in eo monte circiter quinquaginta vici atque pagi.

¶ *Gauara mons.*

ESt hic mons eiusdem ferè cum iam dicto arduitatis,distat à Fessa Occidentem versus quindecim ferè miliaria: huius tam costæ quàm summitatis ager hordeo atque lino fœcundissimus est: extenditur hic mons ab Oriente Occidentẽ versus in longum octo, in latum verò circiter quinque miliaria : frequentes hic inueniuntur solitudines, simiis atq; leopardis refertissimæ: maxima accolarum pars telam texunt, ingenium illis liberale, agros huic mõti subiectos excolere non possunt,propter perpetuas quas gerunt cum Fessano Rege inimicitias, cui neque censum annuum, neq; tributum ali-

quod persoluere volunt, idq́ue fortasse propter loci munitissimi, rebusq́ue omnibus ad victum pertinentibus copiosissimi naturam: non enim etsi per integrum decennium obsideretur, vllo tamen modo expugnari posse videtur, nec his vnquam aqua deesse poterit, cùm duæ in illo monte sint aquæ scaturigines maximæ, quæ in suppositam planiciem delapsæ, duorum fluuiorum initia præbent.

¶ *Megesa mons.*

EST & hic mons accessu quoque non adeò facilis, fragosus est frequentissimis nemoribus refertus, nascitur in eo frumenti minima, olei autem copia maxima: accolæ textores ferè omnes (prouenit enim apud illos lini sic satis bona copia) tam equites quàm pedites bello plurimum valent: facies his omnibus candida, idq́ue fortasse propter montis frigiditatem. hi quoque nullum enumerant tributum. hîc etiam Fessę atque Tezę exules in tuto sunt, & cùm illi maximam habeant hortorum atque vinearum copiam, abstemij tamen sunt: militem numerant septies millesimum: pagi numero ferè sunt quadraginta.

¶ *Mons Baron.*

DIstat à Teza Septentrionem versus in decimoquinto miliario: accolę ditissimi, potentissimi, maximoq; equorum numero copiosissimi. nullum cuiquam tributum persoluunt. maxima in hoc monte prouenit frumēti, fructuum atq; vuarum affluentia, non tamen vinum conficiunt. Horum mulieres candidæ atq;

pin-

pinguiores, multo sese argento exornant: in hoc monte exules quoque recipiuntur, verùm si quis alicuius vxorem cótrectare velit, de eo maximũ sumũt supplicium, nihil enim est quod illi tam ægrè atque hoc ferant.

¶ *Beni Guertenage mons.*

ALtissimus maximeque arduus hic mons est, cùm propter rupes præfractas, tum propter vastissimas in eo solitudines, distat à Teza circiter triginta passuum milia: magna in hoc fruméti, lini, oliuarum, citreorum malorumque cotoneorum odoriferorum prouenit copia: maximo pecudum atq; armentorum numero ditissimus hic mons est, nisi quod equorũ ac boum mira illis raritas: incolæ strenuissimi atque liberalissimi, vestitu ornatissimo ciues etiá opulentissimos vincunt: pagi atque viri in hoc monte numero ferè trigintaquinque, armatorũ verò numerant tria ferè millia.

¶ *Mons Gueblen.*

ALtissimus hic mons, frigidissimus atque spatiosissimus, continet in longum plus minus sexaginta, in latum verò, circiter quindecim miliaria. In Oriente monte Dubdu confinis est, in Occidente verò monti Beni Iasga iungitur, distatque à Teza Meridiem versus quinquaginta ferè passuum milia: nullũ dari potest anni tempus quo non multa niue huius summitas tegatur: incolas olim habuit validissimos atq; ditiss. qui liberá admodum viuebant vitam: postea verò cùm tyránidem exercere cœpissent, reliquorum omnium montium accolæ maximis

col-

collectis copiis montem inuaserunt,omnibusq; quotquot erant interfectis, omnes pagos atque vicos hunc in modum incendio deleuerunt, vt in hunc vsque diem incolis prorsus vacuus remanserit: nisi quòd nonnulli,qui parentum sæuitiæ atq; tyrannidis impatientissimi cum omnibus bonis in supremum mõtis iugum sese receperant,vbi sanctè atque piè viuebant,his quidem parcitum est,remansitque illorum posteritas in hunc vsque diem in eo monte: illi omnes literati vitæque integritate sunt præditi, hinc fit quòd plurimi semper à Rege Fessæ habeantur: meo tempore hic senex quidam doctissimus maximique apud omnes nominis fuit,cuius consilio Rex ipse in pace cum aliquo populo ineunda,aut re alioqui seria peragenda vti solet: in hunc,inquam,ceu in semideum quempiam,omnem fidem collocabat:quare senex ille à reliquis omnibus aulicis summo odio est habitus.

¶ *Beni Iesseten.*

PAret hic mons imperio principis Dubdu, accolas habet vilissimos atque circa vestitum sordidissimos. domus omnes ex iuncis marinis sunt compositæ,calceis quoque iunceis vtuntur,qui per hanc regionem peregrinantur, ex quo facilè huius populi miserrimam vitam quis colligere poterit. Nihil in hoc monte prẹter panicum prouenit,vnde illi panem aliaq; edulia conficiunt: ad huius tamen radices nonnullos reperies hortos,vuis, dactilis, malisq; persicis fertilissimos. Mala autẽ persica in quatuor partes secta nucleoque reiecto,sole deficcare,atq;

in

in totum annum ſeruare ſolent,hoc illi pro ſummis delitiis habent.Sunt in hoc monte frequentes ferrifodinę: ferrum autē ad calcis equini modum cudunt,quod & illis interdum pro pecunia habetur, cuius maxima in hoc monte eſt penuria, niſi fortè fabri ferrarii ſua arte ſibi aliquā colligant pecuniæ ſummā: nam præter calces equinos,pugiones etiam obtuſis cuſpidibus conficiunt. Horum mulieres ferreos annulos in digitis atque auribus ornatus gratia geſtare ſolent, veſtibuſque multo ſordidioribus quàm viri vtuntur: perpetuò cùm propter lignorum collectionem, tum quòd capras agūt,in nemoribus latent.Nemo hic qui ciuilitatem aliquam aut literarum habeat cognitionem,quin Beluino more viuentes, nullum iudicium, nullamque habent humanitatem.

¶ *Selelgus.*

NEmoroſus admodum hic mons frequentiſſimis pinis refertus eſt, fonteſque in eo innumeri ferè reperiuntur. Domus nō lapidibus,ſed iuncis marinis conſtruuntur,adeò vt vel minimo negotio loco amoueri poſſint,nec id quidem inconſultè,nam vernis quibuſq; temporibus relicto monte in planiciem ſubiectam migrare ſolent, vnde ſtatim poſt exitum menſis Maij ab Arabibus,qui deſerta inhabitant,expelluntur: illi enim propter pecudum atq; caprarū maximam copiam deſerta relinquentes, fontes, locaq; humidiora quærunt: hyeme autem,quoniam cameli frigoris ſunt impatientiſſimi,ad ſyluas tanquam ad loca calidiora redeūt. Innumeri

in

in hoc monte sunt leones,leopardi,atque simiæ. Erumpit ex hoc mõte aqua quædam tanta cũm violentia, vt saxum centum librarum aquæ impetu in littus eiectum ipse viderim: hic principium sumit Subu, qui maximus est totius Mauritaniæ fluuius.

¶ *Mons Beni Iasga.*

HVius montis accolæ ditissimi atque ciuilitatis amantissimi sunt,iam dicto móti ita sic adiacent,vt eo tantùm de quo iam locuti sumus fluuio seiungantur ab inuicem: atq; quò facilius ab vno monte ad alium transeant, mirũ quendam exstruxerũt medium inter duos montes pontem. idque ea ferè industria: Ad vtrunque latus infixi sunt pali, in quorum summitate quibusdam rotulis iniectus est funis, ex hoc pendet ingens quædam sporta, quæ decem hominum capax esse posset, idq; ea arte,vt quoties in oppositũ migrare montem volunt, sportam conscendunt, atq; attracto fune ex quo dependet sporta, facillimè rotularum auxilio per aërem trans fluuium illum vehũtur,verùm istud interdum non fit sine maximo vitæ discrimine, idque præsertim si aut sporta,aut funis aliqua in parte sint attrita: adde quòd maximũ interdum ea loci distantia adferat hominibus terrorem. Copiosissimus his est armentorũ numerus,rara enim in hoc mõte nemora. Lana abundant subtilissima,ex qua illorum mulieres pannũ texunt quem sericum esse putes,hic apud Fessanos maximo est in precio. Est & huic mõti magna quoque olei copia. Regi Fessæ imperio parẽt,annuus au-

autem prouentus qui ex hoc monte ad octo fere aureorum millia colligitur, antiquæ Fessæ præfecto numeratur.

¶ *Azgarius mons.*

EX Oriente Seleigo, ex Occidente verò mõti Sofroi confinis est; in Meridie montib. ad flumen Maluiam situs, in Septentrione autem Fessæ territorio adiacet, patet in longum quadraginta, in latum circiter quindecim milliaria. Visendę est altitudinis, tantæque frigiditatis, vt ea tantùm facie sit habitabilis, quæ Fessam respicit. In hac maxima est oliuarum aliorumque fructuum copia: frequentissimi ex hoc monte fontes in subiectam defluunt planiciem, vbi agros reperias hordeo, lino, atque canabe feracissimos. Nostro æuo infinitæ propemodum mori in his campis sunt insitæ, vnde sibi mora cãdida decerpunt, his vermiculos alunt qui sericũ conficiunt. Hyeme solent tuguriola quædam vilissima inhabitare. Aqua illis intolerabilis est frigiditatis: nouimus nos quendam qui, quoniã huius aquæ ciathum vnum exhauserat, per integrum trimestre incredibili laborauerat intestinorum cruciatu.

¶ *Sofroi oppidum.*

SOfroi oppidulum ad Athlantis radices distat à Fessa Meridiem versus plus minus quindecim miliaria; ea ferè via qua ad Numidiam proficiscitur, ab Afris inter duos fluuios exstructum, qui vtrinq; vuis atque omnís generis fructib. sunt copiosissimi: oppidum verò ad quintum vsq; miliare oliuis cinctũ, ager illis lino tan-

tantùm, canabe, atque hordeo accommodus est. Incolæ ditissimi, etsi vestitu vtantur viliori, multoque oleo maculato, quòd eam fortassis ob causam illis euenit, quia oleum Fessam venale conferunt. Nihil in hoc oppido egregij visitur, præterquam templum quoddam, per cuius medium flumen præterfluit latissimum, & ad cuius fores fons aquæ est limpidissimæ. Maxima autem huius oppidi pars cuiusdam huius Regis fratris negligentia periit, atque ruina plurimis in locis est deleta.

## ¶ *Mesdaga.*

Oppidulum hoc ad radices Atlantis à iam dicto distat Occidentem versus plus minus octo passuum milia, elegantissimo cinctum est muro; domos habet structura non admodum elegantes, singulis tamen suus fons est limpidissimus. Incolæ fere omnes figulinam exercent, quòd optimi generis creta porcelanis vasis accommoda abundent, ex qua ingentem testaceorum vasorum copiam conficiunt, Fessamque vendenda mittant: nam inde in duodecimo tantùm Meridiem versus absunt miliario. Ager hordeo, lino, atque canabe fœcundissimus est: maximam quottannis colligunt ficuum atque aliorum fructuum abundantiam. In huius quemadmodum & in prædicti oppidi nemoribus vicinis, maximam reperies leonum copiam, non tamen vsqueadeo nocent, namque vel bacillo aliquo facillime à quouis etiam timido abigi possunt.

## ¶ *Beni Bachlul.*

An-

ANgustum hoc quoq; est oppidulum, ea Atlantis facie quæ Fessam respicit, exstructum: à Fessa circiter duodecim distat miliaria, nó procul ab hoc via est, quę in Numidiam ducit. Per huius medium à monte vicino permulti defluunt riuuli, neque situ à iam dicto oppido magnopere differt, nisi quòd ad Meridionale latus nihil pręter nemora habet, è quibus incolæ ligna sibi colligunt, atque Fessam venalia deuehunt. Perpetuis vexantur aulicorum aliorumque exactionibus, neq; vllum fere inter hos reperiri potest ciuilitatis vestigium.

## ¶ *Hain Lisuan.*

AB Afris in planicie quadam montibus circumcincta exstructum oppidum, ea via, qua Sofroi ad Numidiam proficiscitur: nomen à fonte idoli sortitum est, quod hanc ob causam factum esse arbitrátur. Eo tempore quo Afri adhuc idololatrię dediti essent, templum habebát huic oppido vicinum, ad quod certis quibusdam anni temporibus maxima vtriusque sexus homines sub noctē confluere consueuerunt: hic sacrificiis absolutis atque luminibus omnibus extinctis, ea quisq; fœmina potiebatur, quæ primo contactu sese offerebat. Mulieribus autē quæ huic ludo interfuerant, per integrū annum alicuius viri contactus interdicebatur: qui verò inde procreabátur pueri, ceu sacræ rei addicti ab huius templi sacerdote alebantur. In eo templo fons erat, qui & in hunc vsque visitur diem: cæterum nec templum, nec ciuitatis vllum iam reperies monumentū, vtpote à Mahumetanis deleta

leta omnia. Fons aũt primò lacũ efficit, ac postea frequẽtissimis sese riuulis in planiciem effundit.

¶ *Machdia.*

HOc oppidum in planicie medium inter Athlantem, syluas, atque flumina situm est, distat à iam dicto miliarib. plus minus decem. Conditorem habuit quendam apud gentem eam concionatorem, qui in hoc monte natus erat: eo tempore exstrui cœpit, quo Zeneti Fessanum regerent imperium. Postquam verò Luntunensium Rex Iosephus ad id regni successisset, hoc oppidum destructum est, atq; sic prorsus deletum, vt elegantissimum templum cum aliqua tantùm muri parte remansit, incolæ autem Regi Fessano tributarij sunt effecti, idque anno Hegiræ 519.

¶ *Sachbel Marga, hoc est, viri validißimi planicies.*

PAtet hæc planicies in longum quadraginta, in latum autem triginta ferè miliaria: huic confines sunt montes quidam, qui cum Athlante contigui sunt: in his vastissimæ sunt solitudines, arborib. altissimis refertissimæ. Frequentissima hic atq; cateruatim reperies posita tuguriola, quæ à carbonariis ferè occupãtur: incredibilis enim ex his montibus Fessam deuehitur carbonum copia. Qui hic reperiuntur leones, adeò miseros incommodant carbonarios, vt & deuorent interdum. Elegantissimæ atq; crassissimæ hinc Fessam conuehuntur trabes. Planicies tota inculta est atque arida, ita vt vix quicquam boni in ea prouenire queat.

¶ *Az-*

¶ *Azgari Cantaren.*

EST & hæc quoque planicies nemorosis vndique montib. cincta, pratum ferè esse dicas, propter perpetuas in hoc loco herbas amœnissimas: quare huc per totam æstatem pecus agere, intraque sepes altissimas atque munitissimas à leonum impetu secura seruare solent.

¶ *Centiputeus mons.*

IN hoc incredibilis altitudinis monte antiquissima reperiuntur ædificia, quibus etiam vicinus est puteus tantæ profunditatis, vt fundum nullo modo videri possit. In hunc extremæ demētiæ homines quidam funibus se intromitti iubent, atq; manibus lucernam quandam aut falcem circumferunt: infernè in multas stationes atque ceu solaria distinctum affirmant, atque postremò spaciosissimum quēdam reperiri locum scalpellis cauatum, vndique ceu muris cinctum, in quibus quatuor veluti ostia sunt, quæ ad alia loca aliquantò angustiora ducunt, in his aquæ viuæ puteos esse dicunt. Fit quoque interdum, vt nonnulli hic vitam miserè finiant: nam si fortè subitò ventorum impetu lucernas extingui contingat, nullo modo egressum, vbi funis dependet, inuenire possunt, adeò vt multa fame interire illos oporteat. A quodam nobili Fessano mihi relatum est, fuisse quosdam numero decem, qui huius putei miracula visendi cupiditate allecti, negocioque parati, tres primùm ingressi sunt, qui vbi iam ad quatuor illa peruenissent ostia, duo simul hanc, tertius verò solus illam sibi delegit viam. Postquam verò sic

in varias partes diuisi, ad quartam ferè miliaris partem processissent, innumeri propemodum vespertiliones circum lucernas duorum volitare cœperunt, adeò vt altera volatu extincta sit: vbi tandem ad puteos viuos peruenissent, aliquot ibi hominum ossa albicantia inuenerunt, item & quinq; aut sex lucernas, quarum nonnullæ recentes, aliæ multa ætate corruptæ erãt: sed postquam nihil in iis puteis præterquam aquam reperissent, mox eadem qua venerant via reuersi sunt: vixque iam medium absoluerant itineris, cùm subitò ventorum impetu altera quoque lucerna fuit extincta. Postea variè huc atque illuc quærendo, atque frequentissimis in tenebris illis per rupes lapsibus fatigati, nihil tandem spei reliquum esse inuenerunt: quare desperatis rebus multis cũ lachrimis se diis cõmiserunt, ac nunq̃ eò redituros vouerunt, si semel euadere hoc periculum contingeret. Illi verò qui ante antri ingressum harum rerum ignari sociorum reditum exspectabant, postquã plus satis morari vident, mox & illi se fune intromittunt, atque accensis lucernis socios multo cum clamore quærere cœperunt, atque tandem mœstissimos inuenerunt: tertium autem qui simili modo per loca illa obscura errabat, reperire non potuerunt, quare relicto eo rursum antrum egressi sunt. Qui porrò relictus fuerat, postquã diu exitum quæsiuisset, tandem audiuit veluti latratum quorundam caniculorum, ad quorum latratum postquã viam parasset, mox quatuor incognita recensque nata (vt videbatur) inuenit animalia, his tandem subsecuta

ſecuta eſt mater, quæ lupæ non vſqueadeo erat diſſimilis, niſi quòd lupam magnitudine ſuperabat: quare mirum in modum timere cœpit, verùm nihil erat periculi, animal enim parátem fugere acceſſit, atque caudæ motu adblanditum eſt. Sic tandem poſt quã multum temporis quæſiuiſſet, ad exitum tandem lætus peruenit, periculumq́ue effugit. Poſtremò namque nonnihil ſe luminis adeptum affirmabat, vt ſolent hi qui diu in tenebris verſati ſunt. Tandem verò hoc antrum multa aqua ad ſummum vſque repletum eſt.

## ¶ *Coruorum mons, qui & Cunaigel Gherben appellatur.*

Est hic mons iam dicto ferè contiguus, frequẽtiſſimæ in hoc ſyluę, leones innumeri. Nullam hic ciuitatem, nullamq́ue prorſus habitationem reperies, idq; fortaſſè propter nimiam eius loci frigiditatem. Ab hoc monte riuulus quidam defluit: rupes mirandæ eſt altitudinis, in qua infinita eſt cornicum atque coruorum copia, vnde & nomen loco inditum putãt. Interdum cruentiſſimus Boreas tantam affert niuium copiam, vt è Numidia Feſſam proficiſcentes miſerè extinguat, vti & primo iam dictum eſt libro. Æſtiuis quibuſque temporibus Arabes vicini, qui Beni Eſſen appellantur, ad hunc montem propter aquam frigidiſſimã vmbrámque gratiſſimam confluere ſolent, tametſi magnam leonum atque leopardorum copiam inesse ſciant.

## ¶ *Tezergha oppidum.*

TEzergha oppidum anguſtiſſimum inſtar propugnaculi ab Afris in ripa fluuioli cuiuſdam exſtructum, qui ad iamdicti mon tis radices præterfluit; viliſſima hic eſt cũ incolarum tum ædificiorum conditio, ab omni namq; humanitate atque ciuilitate alieniſſimi ſunt. Qui inter montes vicinos continetur ager, non adeò magnam producit hordei atque malorum perſicorum copiam. Omnes quorundam Arabum, quos Deuil Chuſein appellant, imperio parent.

¶ *Vmen Giunaibe.*

ANtiquum fuit oppidum, ab Arabib. nunc deletum, à iam dicto in duodecimo ferè diſtabat miliario, ea Athlantis facie quæ Meridiem reſpicit. Crebris quorundam Arabum incurſionibus adeò periculoſum eſt, vt vix illac quiſquam iter facere audeat. Eſt huic oppido vicina quædam via, quam non niſi ſaltando præterire licet, niſi quis febribus ſe correptum velit; cuius rei periculum ſe feciſſe permultos affirmantes audiui.

¶ *Beni Meraſen mons.*

INſignis altitudinis atq; frigiditatis hic mons, incolas habet equorum atque aſinorum multitudine ditiſſimos: neque frequentiſſimi hic deſunt muli, qui abſq; freno atq; ephippiis merces huc atque illuc deuehere ſolent. Domus illis non lapideis, ſed iunceis conſtructæ ſunt muris. Ditiſſimi omnes ferè accolę, nullum Feſſano per ſoluunt tributum, idq; fortaſſe propter montem natura munitiſſimum.

¶ *Me-*

¶ *Mesettaza mons.*

EXtenditur hic mons ab Oriente Occidentem versus triginta ferè in longum milia-ria,in latum auté duodecim.In Occidente Edecseni planiciei confinis est,quæ & Temesnę adiacet. iam dicto monti incolarum qualitate, equorum atque mulorum copia persimilis est. Reperies Fessæ doctissimorum hominum maximam copiam,qui ex hoc monte originem traxerunt: nihil tributi annumerât,nisi forte Regi munuscula pro arbitrio missitent.

¶ *Ziz montes.*

A Quodam flumine qui ex iisdem defluit nomé accepisse creditur,in Oriente Mesettaza terminatur, in Occidente Tedlæ atque Dedis montibus confines sunt,in Meridie Numidiæ parté illam respiciunt quæ Segelmessa appellatur, Septentrio autem Edecsen atque Guregræ planicie hos montes claudit,patent in longum centum ferè,in latum verò circiter quadraginta passuum milia: numero autem quindecim sunt, frigidissimi maximeque ardui,vnde & frequentissimi defluût riuuli: incolas habêt quos Sanagas vocant,homines cuiusuis auræ sæuitiæ, atque frigiditatis patientissimos: tunicá tantùm vnam quatuor anni temporib.gestant,huic quędam chlamis superinduitur: tibia atq; pedes panniculis ceu fasciis inuoluunt,nullo anni tempore caput tegunt. Maxima reperitur in hoc monte pecudum,mulorum atque asinorum copia,rariores verò solitudines. Nihil hoc populo scelestius,aut ad furta atque direptiones magis natū

reperiri poteſt. Perpetuas alunt cum Arabib. inimicitias, quos miris quotidie afficiunt incōmodis, atque vt magis ad furorem excitent, camelos interdum his ademptos ex montis alicuius vertice præcipitant. Eſt in hoc monte res quædam fere incredibilis, ſerpentes enim adeò hominib. non nocent, vt prandendi tempore nō aliter atq; feles aut caniculi micas è menſa cadentes colligant, neq; aliquam cuiquam inferunt iniuriam niſi ab eodem prius laceſſiti. Domorū muri cretacei, culmen verò atque tectum ſtramineum habent. Eſt & aliud horum montium incolarū genus, qui pecudum atque armentorū numero aliquanto ſunt ditiores, quique tuguriola ex iuncis ferè compoſita incolunt. Hi Segelmeſſan lanam atq; butyrum venalia adferunt, idque iis tantùm temporibus, quibus Arabes deſerta incolunt, fit enim ſæpenumero, vt ab his adorti bonis omnibus ſpolientur. Maxima huic populo in bello eſt præſtantia, ad extremū enim pugnare ſpiritum, quàm ab hoſtibus ſe capi malunt: iacula ferè terna aut quaterna conferūt, quibus ſeſe ab hoſtiū impetu optimè defendere nouerūt. Pedites ſemper præliantur, neque vnquam niſi maximo equitum numero ſuperari poſſunt, ſolent quoque & enſes atque pugiones circumferre. Noſtris temporibus fidem publicam à vicinis Arabibus, atque illi viciſſim ab his petere cœperunt, quæ res fecit vt aliquantò tutiores vtrinque eſſent mercatores. Fidem publicam etiam mercatores grandi emunt pecunia, qui alioqui nō adeò tuti proficiſcerentur.

*Car-*

*Garseluin oppidum.*

ANtiquiſſimum hoc oppidum ad radices cuiuſdam dictorum montium ab Arabibus exſtructum eſt, nõ procul à flumine Ziz. Muris munitiſſimis atq; elegantiſſimis cinctum eſt, qui conditorem habuerunt quendam Marinorũ Regem. Ornatiſſima ciuitas eſt ſi quis muros atque mœnia reſpiciat, verùm ciuitatem ingreſſus viliſſimas domos maximèq; deformes, incolarum autem miram raritatẽ inuenias, idq; Arabum quorundam iniuria, qui à Marinorum familia cùm deſciuiſſent, hoc oppidum occupauerunt, atque ciues ſummis affecerunt iniuriis. Ager illis fragoſus atque incultus, Septentrioni expoſitus. Ad fluminis ripam frequentes reperies molas atque hortos vuarum, malorúmque perſicorum affluentia ditiſſimos, quę omnia ſole exſiccare atque per integrum annum ſeruare ſolent. Mira illis eſt pecudum inopia, quare & miſerrimam agunt vitam, à Zenetis ad propugnaculi formam exſtructũ fuit, eo tantum animo, vt in Numidiam proficiſcentibus ſecurum preberet iter, poſteà à Luntunis & occupata & funditus propemodum euerſa eſt. Eſt & hic magna iſtiuſmodi ſerpentum copia, quales in iam dictis montibus eſſe modo diximus.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ rerumq; in ea memorabilium

## LIBER QVARTVS.

*Telensini regni exactißima descriptio.*

HAbet hoc regnum suum in Occidente à fluminibus Za atque Muluia initium, in Oriēte flumine Maiori, in Meridie Numidiæ deserto, in Septentrione autem mari Mediterraneo clauditur. Hæc regio Cæsaria à Latinis fuit appellata, atque ab iisdem occupata: postea verò expulsis Romanis, rediit Cæsaria ad pristinos duces, hoc est, ad quendam Beni Habdul Guadi, qui ex stirpe Magraua originem traxerat. Remansit huius successoribus per trecentos annos, hoc est, ad ea vsque tempora, dum potentissimus quidam Ghamlarē Zeiieni filius illarum rerum potiretur. Huius posteri antiquo tandem nomine immutato, Beni Zeiieni, hoc est, Zeiieni nepotes, sunt appellati: fuit penes hos illius regni imperium trecentis & octuaginta ferè annis. Tandem à Fessæ Regibus qui ex Marinis originē duxerant, varia pertulerunt incommoda, adeò vt decem illi Reges qui Zeiieno successerant, infœlici semper Marte pugnauerint, nunc hoc interfecto, nūc illo captiuo, tertio regno expulso, atq; ad proximos montes fugato. Neque defuit his à Tuneti Regibus maxima semper molestia: remansit tamē peneshanc familiam Telensini impe-

pe-

perium,atq; tandem per centum ferè & viginti annos nullum omnino contra quenquam bellum gessit, nisi quòd à quodam Abu Feris Tuneti Rege, atque ab eius filio Hutmeno per aliquot annos Tuneto tributarium sit factum,idq; ad obitum vsque Hutmeni. Patet hoc regnum ex Oriente Occidentem versus in longum trecentis & octuaginta miliaribus, in latum autem à Meridie in Septentrionem, hoc est,à mari Mediterraneo ad deserta vsque Numidiæ non amplius vigintiquinque: quæ res facit vt frequentissimis Arabum,qui Numidię deserta incolunt, vexentur incommodis.Conati sunt semper Telensini Reges maximis indies muneribus atque tributis cum Numidis amicitias alere,sed nunquam potuerunt insatiabilem illorum cupiditatem explere. Raró admodum securè per hanc regionē peregrinari licet:maxima tamen hic est mercatorum frequentia, idque eò fortassè quòd Numidiæ vicina est,tum etiam quòd hàc ad Nigritarum regionem proficiscentibus iter patet. Duos nobilissimos eosdemque frequentissimos habet portus, alterum Horami, alterum Marsæ Elcabiri, ad quos maxima solet confluere Genuensium atque Venetorum copia. Verùm postea vterque portus à Serenissimo Rege Ferdinando occupatus fuit, idque totius huius regionis maximo incommodo: quare qui tum erat Rex(Abuchemmu appellabant) regno expulsus, atque à suis in fugam versus est: deinde in regnū restitutus Abuzeiienus, qui per aliquot annos à Rege Abuchemmu proprio nepote in vinculis ser

uatus fuerat: verùm hic minimum temporis po
titus est regno. tandem enim à Barbarossa mi-
serè interfectus fuit, qui sibi armis belli Telen-
sini imperium vsurpauit. Quod vbi animaduer
tisset Abuchemmu, qui à proprio populo fuerat
eiectus, à Carolo Quinto Imperatore auxiliares
copias petere cœpit, quibus sese in regnum resti
tutum iri sperabat. Quod vbi impetrasset, maxi-
mo collecto exercitu bellum Barbarossæ intulit,
quo tandem expulso, rursus regnum sibi occu-
pauit, atque de iis maximũ sumpsit supplicium
qui antea in eius exilium conspirauerat. Deinde
militib. Hispanis stipendia numerauit, belli du
ces maximis oneratos muneribus dimisit, atque
Imperatori Carolo satis amplũ quotannis quoad
vixit misit tributum. Post huius mortem suc-
cessit eius frater Habdulla, qui fœdus antea inter
fratrem atque Imperatorẽ pactum paruifaciens,
Solimanni Turcarum Regis auxilio fretus, nihil
ab eo tempore Carolo tributi numerare voluit:
seruauitq; sibi in hunc vsque diem Habdulla Te
lensini imperium. Huius regionis pars maxima
inculta est, arida, atque aspera, eaque præsertim
parte quæ Meridiem respicit. Maritimi autem
agri aliquantulò fertiliores atque fœcundiores
sunt. Qui oppido Telensino circumiacet tractus,
nemorosus est, nisi quòd in ea parte quæ ad Oc-
cidentem mare respicit, montibus est refertissi-
mus. Tenez quoque atque Alger regiones, mon
tes habent omnium rerum affluentia fœcun-
dissimos. Raræ in hac parte vrbes, raraq; castel-
la, fœlicissima tamen atque maximè frugifera,
vti

vti & suo postea dicetur loco.

¶ *Angadi desertum.*

IN huius regni initio ad Occidétale latus desertum reperitur asperum, incultum, atque aridum, in quo neque aqua neque arbor vlla inueniri potest: extenditur in longũ octuaginta, in latum verò quinquaginta ferè passuum milia. Maxima hic est capreolorum, ceruorum, atque strutionum copia. Periculosissimum per id deserti mercatoribus Fessa Telensinum proficiscentibus iter patet, idque propter Arabes quosdam, qui latrociniis tantùm sibi victum quærũt, idq; præsertim hyeme, cùm milites qui desertum à nebulonũ seruare solent iniuriis, in Numidiam sese recipere cõsueuerunt. Innumeri in hoc monte pastores sunt, verùm infinitis quotidie vexantur leonum incõmodis, qui non in greges modò, verùm & in homines interdum sæuire solent.

¶ *Temzegzetum castellum.*

EO loco situm est hoc Castellum, vbi dictũ desertũ Telensini territorio coniungitur, ab Afris in scopulo quodam exstructum, munitissimum quondam fuit, nec non & Fessanorum frequentissimis semper iniuriis expositum: est enim in via illa publica situm quæ Fessam ducit. In vicinis campis flumen quoddam reperitur, quod Tesure illorum lingua appellatur. Qui huic Castello circumiacent agri omnib. rebus victui necessariis, quantum huius incolis sufficere potest, fœcundissimi sunt. Paruit olim Telensinorum imperio, quo tempore ciuitatem dixisses, nunc autem ad Arabes deuolutum, nihil

aliud

aliud ferè quàm stabulum esse iudices: nihil hîc aliud q̃ frumenta reseruant, ab incolis propter Arabum iniurias planè destitutū nunc inuenias.

¶ *Izli castrum.*

IZli castrum antiquissimum ab Afris in planicie quadam extructum; quæ cum dicto confinis est deserto, huic nonnihil agrorum adiacet qui hordeo tantùm atque panico accommodi sunt. Habuit olim incolarū satis magnam frequentiam, murisque cinctum fuit elegantissimis: postea verò belli iniuria solo æquati fuerūt, incolæ expulsi. Deinde post aliquot annos à quibusdam religiosis viris rursum inhabitari cœpit, qui apud Telensini Reges, Arabesque omnes maximo in honore habentur. Hi illac prætereuntes liberalissimè atque magnificè per totum triduū excipiunt, ac asymbolos dimittūt. Huius omnes domus humiles sunt viliores, muris cretaceis tectum additur stramineum. Huic vicinus est quidam fluuius, vnde quicquid habent agrorū optimè irrigatur, idque insigni fit naturæ prouidentia: nam tantus huic Regioni est æstus, tantaque siccitas, vt nisi agri assiduò irrigarentur, nihil omnino hîc frugum prouenire posset.

¶ *Guagida oppidum.*

ANtiquissimum hoc oppidum ab Afris in planicie spaciosissima extructum, à mari Mediterraneo Meridiē versus quadraginta, à Telensino autem totidem ferè distat miliaria, in Occidente atque Meridie Angadi deserto clauditur, agros habet fœcundissimos, hortos cùm amœnissimos, tum ficubus & vuis copio-

piosissimos. Per huius vrbium medium, flumen quoddam præterfluit, vnde sibi potui, cibisque coquendis aptissimã exhauriunt aquam. Muros reliquaque omnia ædificia sumptuosissima, miro artificio superba fuerunt: incolas habuit olim ditissimos, humanissimos atque rei bellicæ exercitatissimos, postea verò eius belli iniuria quod à Fessano cõtra Telensini Regem gestum est, deleto hoc oppido, incolæ omnes fugerunt: finito tamen bello, noui incolæ noua sibi ædificia exstruere, atque rursum inhabitare cœperunt: non potuit tamen ad pristinum reduci statum, neq; iam plures quàm mille & quingentas domos habet. Ciues nunc miserrimi, qui Regi Telensini simul & Angadi Arabibus tributa exsoluere coguntur, vestitu vtuntur vilissimo: maxima penes hos magnorum asinorum atque mulorum copia est, vnde & satis bonam sibi colligunt pecuniæ copiam. Vetustissimo loquuntur Arabum more, neque lingua illis est corrupta, qualis vicinis omnibus illis est regionibus.

## ¶ *Ned Roma.*

ANtiquissimum hoc oppidum à Romanis iis temporibus quibus illi adhuc Africanis imperabant, in spatiosissimo campo exstructum fuit, distat à monte duobus ferè miliarib., à mari autem Mediterraneo circiter duodecim, estque huic vicinum quoddam flumen non admodum latum. Scriptum reliquerunt illius temporis Historiographi, ad vnũ eundemq; quo Roma ædificata fuit modum, vnde & nomen deductum arbitrantur. Ned enim apud Arabes

bes idem prorsus atque similis nobis significat: visitur in hunc diem huius oppidi murus: antiquiora autem alia omnia Romanorum ædificia deleta sunt, adeò vt rara illorum nunc reperiantur vestigia. Nonnullis in locis reparari nouisq; ædificiis reformari cœpit, verùm structura multo inferiora atque antea fuerunt. Huius ager frugum vbertate fœlicissimus est: frequētissimi hîc sunt horti, huiusmodi arborib. refertissimi, quæ siliquas producunt, quo illi tam in hoc oppido, quàm in suburbio vesci solent. Mel item habent quo illi cibis condiendis vti solent. Est hîc sic satis bona ciuium, atque textorum pręsertim multitudo, conficiturq; apud illos maxima gossypij copia, ab omni tributo liberi sunt. Principes atque Reipub. administratores tantùm pro arbitrio ab his creantur: & vt liberius cum Telensenis negociari possint, munuscula interdum ad Regem missitare solent.

¶ *Tebecritum oppidum.*

Exiguum hoc oppidum ab Afris in quodam scopulo ad mare Mediterraneum exstructum est, distat à iam dicto duodecim ferè passuum milia. Vicini omnes montes altissimi atq; inculti sunt, incolis tamen frequentissimi. Innumeri in hoc oppido inueniuntur telæ textores: siliquarum atque mellis maxima illis regionibus est affluentia. Perpetuò Christianorum metuentes impetum, diligentissimè singulis noctibus agunt vigilias: non enim tanta illis suppetit facultas, vt milites aduersus instantes hostes alere possint. Agri illis non minus steriles sunt, quàm inculti,

culti,atque fragosi: vel minimum duntaxat hic hordei atque panici prouenit. Ciues omnes vilissimo vtuntur vestitu, suntque ab omni prorsus ciuilitate alienissimi.

## ¶ *Hunaim.*

Oppidulum hoc ab Afris conditum structuræ elegantia, morumque integritate meritò ab omnibus laudandum,portum habet turriculis vtrinque munitissimum:huius murus quoq; altissimus est atq; elegantissimus, eaque præsertim parte,quæ mari alluitur. Huc Veneti maximam quotannis solent conuehere mercium copium,atque cum Telensinis huius oppidi incolis negociari, distat autem hinc Telensinum in decimoquarto tantùm miliario. Ab eo tempore quo Oran ciuitas à Christianis fuit occupata,non amplius ausi sunt Oran proficisci timentes nequid sibi mali ab Hispanis,qui Oran occupauerant,inferri posset:quare ad hunc portum tunc primùm Veneti venire cœperunt.Ciues quondam nobiles atque humanissimi fuerunt,gossypij atque telæ textores propemodum omnes Elegantissima hic est domorũ structura, quarum quælibet suum habet fontem: innumeras hic reperies vineas,in pergulas elegantissimè reflexas. Pauimentum illis variis est distinctum coloribus : tabulata autem atque connexitates multo museaco sunt ornatissima. At postquã hi de Orani excidio certiores facti sunt, relicta vrbe aliò se contulerunt,Hunain habitatoribus vacuum reliquentes: nisi quòd fortassè Rex Telensini certum hîc alat peditum numerũ, qui mercatorum

catorum naues aduenientes obseruent. Ager illis fructibus, cerasis, malis persicis, ficubus, atq; oliuis fœcundissimus est: illi tamen vel minimum inde sibi colligunt prouentum. Ego cùm istàc præterirem, non potui quin summã deplorarem calamitatem, ad quam huius oppidi ciues redacti erant: eodem tempore huc nauis quædam Veneta adpulerat, quæ tantum prouentum secum aduexerat, quantum ad quinquennium huic regioni satis erat: vnde sibi Telensini Rex quindecim milium aureorũ tributum numerari iussit.

## ¶ *Haresgol.*

Haresgol maximum atque antiquissimũ in scopulo quodam mari Mediterraneo vndiq; cinctum fuit, præterquam in Meridie, vbi via erat quæ in oppidum ducebat. A Telensino Septentrionem versus in .xiiij. situm fuit miliario. Ciuium frequentia nobilissimum. Huic imperauit quidam Idris, eiusdem auunculus qui Fessam condidit: atque huius posteri id sibi imperium seruarunt in annum vsque centesimum vigesimũ. Venit tandem Rex quidam atque Pontifex Cairaon, qui oppidum hoc funditus deleuit, remansitq; postea incolis vacuum per centum ferè & viginti annos: deinde à quibusdam Granatis iterum incoli cœpit, qui cum Mansore huc venerant: ille oppidum aliquantulum reparauit, vt semper esset quò se milites tutò recipere possent. Post huius atque eius filij mortem, rursum omnes expulsi sunt à Zanagiis atq; Magraoë populis, fuitq; hæc altera illius oppidi ruina, Hegiræ quadringentesimo decimo.

¶ *Maximæ opulentißimæque Telensini vrbis descriptio.*

AMplissima hæc atque Regia ciuitas, non certò constat quosnam habuerit conditores: certissimũ quidem est minimam ab exordio, verùm incrementis iisdem temporibus maximè auctam, quibus Haresgol deletum fuit. tum enim regnante familia quadam quæ Abdulguad dicebatur, eum in modum accreuit, vt sub Rege Abu Teffino familiarũ numerauerit sedecim milia. Egregia tum temporis fuit Respublica, variis tamẽ indies à Iosepho Fessano Rege incõmodis agitata, à quo per septem continuos annos ingenti exercitu fuit obsessa. hic postquã arcem quandam ad Orientale latus sibi construxisset, obsessi ad tantam calamitatẽ sunt redacti, vt annonæ caritatem diutius ferre non possent: quare vno omnes impetu ad Regem venerunt, atq; vt miseris ciuibus fame periclitantibus succurrere vellet, vno oẽs ore rogauerunt. Ille mox quænam essent eius cœnæ deliciæ indicauit, carnesque equinas hordeo coctas protulit. tum demum cognouerunt, quàm nihilo melius Rex haberet, quàm priuatorum miserrimus. Post hæc concione cõuocata Rex apud populum persuadere conatus est, multò honestius esse in armis mori pro patria, quàm calamitosam illam degere vitam. Regis verba omniũ animos sic ad prælium committendum excitauit, vt die sequenti hostem aggredi, atque ad extremum vsque summis viribus pugnare constituerũt. verùm multo fœlicior illis contigit fortuna atque sperauerãt,

eadem enim nocte Iosephus à quodam ex suis interfectus est: quod vbi nuncium ad ciues peruenisset, alacriori animo omnes vrbẽ egressi, vel minimo negotio confusam multitudinem inter fecerunt, atque post insperatam victoriam tantum sibi prouentuum ex hostium castris collegerunt, vt abundè omnibus esset, quo diutinam illam quam passi fuerant famem, explerent. Postea verò circiter quadraginta annis quartus Fessæ Rex Abulhesen, qui ex Marinis originem traxerat, in secundo miliario Occidentẽ versus oppidum construxit Telensino vicinum. Deinde Telensinum obsidione triginta mensium cinxit: crudelissimæ indies oppugnationes fiebant, atq; singulis noctibus nouum semper exstructũ erat propugnaculum, adeò vt tandem Fessani Telensino proximi minimo negotio vrbem sunt ingressi, qua deuicta, Rex Fessam captiuus abducitur, vbi à Fessæ Rege capite trũcatus, cadauer inter vrbis sordes eiectum est: Habes hic secũdum Telensini excidium. Post deletam omnem Marinorum familiam, Telensinum multis in locis reparari, nouisque incolis reformari cœpit, adeò vt familiarum numerus ad dúodecim milia accreuerit. Hic singulis artibus suus est designatus locus, quod & antea de Fessa diximus, nisi quòd Fessę multo sumptuosiora sint ędificia. Frequentia hic templa atque elegantissima, quibus & sui sunt sacerdotes atq; concionatores. quinq; item collegia opere museaco sumptuosissima, quorũ nonnulla à Telensini, alia Fessæ Rege fuerunt cõdita: neque hic balnea, neque hypocausta désiderabis

rabis amplissima, quamuis non ea sit illis aquæ copia, qualis Fessanis est: innumera ferè hospitia ad Afrorū morem exstructa: inter hæc duo sunt, ad quæ Genuenses atque Veneti mercatores cōmeare solent. Iudæi hic latissimā quandam maximamq́ue vrbis partem occupant, hi omnes di tissimi quondam fuerunt: dulipanum in capite gerunt, vt à reliquis ciuibus dinoscerētur: verùm Hegirę anno noningētesimo trigesimotertio tan tum incōmodi à Rege Abuhabdulla passi sunt, vt mendicos ferè omnes effecerit: innumeri hìc fontes, qui omnes scaturiginem non procul ab vrbis mœnia habent, adeò vt facillime ab hostibus adimi possent aquæductus. Huiùs murus altissimus est atque munitissimus, quinque in am bitu sunt portę spatiosissimę, quarum quælibet suam habet custodiam, suosq́ue census Regij receptores. In Meridie palatium reperies Regium altissimis cinctum muris, quod in se alia quoq; permulta complectitur palacia, quibus nec fontes nec sui desunt horturi amœnissimi: duabus ad hoc palatium portis aditus patet, quarum altera in planiciem, altera in ciuitatem educit, habetq́ue hæc custodiam satis numerosam. habet Telensini territorium elegantissima sanè rurā, in quibus se ciues per æstatē continere solent: nam præterquam quòd omnia hic prata rideant, fontes limpidissimi, omnium fructuum affluentia oculos hunc in modum pascunt, vt nunquam in vita quicquā amœnius me vidisse meminerim: ficus sole exsicari atque in hyemem asseruari solent: nō hìc amigdala, mala persica, melones neq;

 ci-

citriolos desiderabis. In tertio ab hac vrbe miliario Orientem versus frequentissimæ sunt molæ ad Seflifum flumen sitæ, reperies & alias nō tam procul ab vrbe in monte Elcalha positas. Huius oppidi partem Meridionalē occupant Iudęi, Causidici atq; Notarij: est & hic magna literatorum frequentia, nec non & variarum disciplinarum professores, qui à quinque antea nominatis collegiis aluntur. Ciues in quatuor sunt diuisi partes, horum enim alij artifices, alij mercatores, alij literati atq; doctores, reliqui omnes milites sunt. Mercatores æquissimi, fidissimi, liberalissimi, atque Reip. vtilitatis fautores candidissimi: mercaturam ferè semper cum Nigritis exercent. Artifices securam, tranquillam, atque suauem viuunt vitam. Qui sub Rege stipendia merent, corpore omnes atq; viribus præstantissimi, satis largum recipiunt stipendium, horum namque cuilibet singulis mensibus tres enumerantur aurei illius regionis, qui tribus aureis Italicis cum vnius aurei dimidio æquiualent. Studentes omnes priusquam ad doctoris gradum peruenerint, miserrimè quidem viuunt, at postquam gradum eum attigerūt, aut prælectores, aut notarij, aut deniq; sacerdotes efficiuntur. Huius vrbis tam ciues q̄ mercatores, adeò circa vestitum sunt curiosi, vt Fessanos etiam interdum superēt. Artificum vestes breuiusculæ sunt, rarò dulipanum in capite gerunt, solo pileo non incuruo contenti: calcei ad medium cruris pertingūt. Omnium pessimè vestiuntur milites, indusium enim latissimis manicis gestant, cui linteamen latissimum ex gossy

pio confectum superaddunt, hoc se tam æstatis quàm hyemis temporibus inuoluunt: nisi quòd hyeme pellicea habeant indusia, quibus caputiū quoddam inijciunt, quale apud Italos his in vsu est qui aliquò peregrinantur, hoc illis à pluuiæ atque niue caput tegitur. qui literis incumbunt, vario quisque vtitur vestitu, idq; cùm pro facultatum, tum quoq; natiui soli ratione: doctores, iudices atq; sacerdotes aliquātò superbius vestiuntur atque splendidius.

*Qui apud Telensini Regem ritus seruentur.*

NOn dictu facilè quàm se magnificè Telensini Rex gerat, à nemine namq; conspicitur, neminem ad colloquium admittit, pręter summos suę aulę principes, à quibus postea omnia suo ordine peraguntur: varia sunt hic officia atque dignitates, est enim primarius quidam qui Regis vicem supplet, is reliqua omnia officia pro suo quisq; honore distribuit: exercitum instruit, atq; contra hostes interdum copias educit. Deinde est & quidam qui Regi primarius est à secretis, hic omnia scribit atque annotat quę ad Regem pertinēt. Est & alius quidam Regi à thesauris, huius officium est tributa atq; census recipere. Habet præterea Rex suum pensionarium, qui omnia Rege imperante elargitur. Est & custodiæ præfectus, hic quoties nobiles ad Regem intromittūtur, custodiam ad palacij portas admouere solet. Reperias deinde & alia quædā officia viliora, hic enim stabulis præficitur, ille stapedes atque ephippia curat: est deniq; quidam qui Regi est à cubiculis, iisq; tātum-

modo horis, quibus ad Regẽ admittuntur aulici. Aliis enim temporibus Regis vxores, Christiani quidam, deinde & Eunuchi suum præstant officium. Regem splendidissimè vestitum superbè adornatus vehit equus. Inter equitandum rariores adhiberi solent ceremoniæ, neq; adeò numerosa illum comitatur pompa, vix enim millesimum numerabis equitem, nisi belli fortassè tempore, quo vndique Arabes aliæque nationes confluunt. Quoties Rex ipse copias educit, non vsq; exigua illum sequitur tentoriorum supellex, neque tum Regem ab alio quouis duce vestitu dinoscas: & quamuis innumeram ferè habet custodiam, non tamen facilè credas quàm sit pecuniarum parcissimus. Aureos cudit auro aliquanto viliori, quales sunt ij qui apud Italos Billacchi appellantur, maiores tamen sunt, sic vt illorum quilibet Italicum aureum cum quarta vnius aurei parte pendeat. Argenteam quoque atque æneam cudit monetam. Huius territorium incolis nõ admodum est copiosum, verùm quoniam illac ex Europa in Æthiopiam proficiscentibus iter patet, maximum sibi colligit Telensini Rex ex mercibus pretereuntibus emolumenti: idque ab eo præsertim tempore, quo Oran à Christianis fuit occupata. Huius Regis tempore Telensinum factum est tributarium, quæ ciuitas antea semper fuerat libera: quo factum est vt ad vltimum vsq; vitæ diem à suis subditis summo fuerit odio habitus. Postea huius filius qui patri successerat, census quoque atque tributa exigere conabatur; quare à populo Regno expulsus, ad impera-

peratorem Carolum supplex venit, cuius opera, vt antea dictum est, in regnum est restitutus. Eo tempore quo Oran Telensini Regis imperio parebat, numerabat ea regio annuorũ prouentuum tria interdum, nonnunquam etiam & quatuor millia aureorum, quorum maxima pars in regni custodiam atque milites Arabes impendebatur. Ego per aliquot mẽses in huius Regis aula agẽs, maximam expertus sum eius liberalitatẽ. Multa fateor prætermissa in huius Regiæ descriptione, verùm quoniã maxima in parte cum iis conueniunt quæ antea de Fessa diximus, ne quid lectori plus satis nauseæ essemus, data opera neglexinus.

## ¶ *Hubbed oppidum.*

HVbbed oppidulum ad castri modum exstructũ, à Telensino Meridiem versus in sesquimiliario positum. Satis copiosa est hic incolarum frequẽtia, ciues ferè omnes panni tinctores. Insignis sanctimoniæ quidam apud illos sepultus, quem quasi diuum quendam venerantur, ascenditurq; ad huius monumentũ quibusdam gradibus, Sidi Bu Median appellabant. Egregium in hoc oppido collegium, nec non & peregrinantib. opulentissimum xenodochium, hæc à quodam Fessano qui ex Marinis originem duxerat, exstructa sunt, vti in marmore quodam insculptum reperies.

## ¶ *Desesra.*

EST hoc oppidulum in planicie quadam in decimo quinto à Telensino positũ miliario. Maxima hic est fabrorum frequen-

tia,idq; fortaſſe propter quandam ferrifodinam: ager illis frumento feraciſſimus: omnes ferè fabrilem exercent arte, ab omni prorſus ciuilitate atque humanitate alieniſſimi.

## ¶ *Teſſela.*

ANtiquiſſimum hoc fuit oppidum ab Africanis in quadam planicie conditū,quę viginti ferè miliariorum erat longitudine.tanta hic peruenit fruměti præſtantiſſimi copia,vt vniuerſo ferè Telenſini Regno ſatis ſit:incolæ omnes tentoria inhabitāt, omnia enim huius vrbis ædificia deſtructa ſunt,nomē tamen loco remanſit. Numerauerūt & hi aliquando Regi Telenſini maximum quotannis tributum.

## ¶ *Beni Raſid Regio.*

EXtendit ſeſe hæc Regio Orientem verſus in longum quinquaginta, in latum verò vigintiquinq; fere paſſuum milia:ea parte qua Meridiem reſpicit,planicies eſt,altera verò Septētrioni expoſita,montibus maximè fructiferis eſt plena:incolæ in duas diuiſi ſunt partes,horum enim nonnulli in montibus illis domos habēt ſic ſatis ornatas:hi agricultura,aliiſq; ad victum pertinentibus negotiis ſeſe exercent. Alij aliquantò nobiliores in campis tantùm tentoria habent, illi pecus cogunt,camelos aliaque armenta alunt. Variis indies vexantur incōmodis,Telenſini Regi cenſum numerant annuum. Reperias in montibus illis aliquot pagos,atque inter hos duo ſunt præcipui,quorum alter Chal hat Haóara eſt appellatus, in montis cuiuſdam coſta ad arcis modum fabricatus, mercatorum atque

atque artificum domos circiter quadraginta numerat: alter verò Elmo Hascar nuncupatur, in hoc se continere solet, qui in his regionibus Regis vicem supplet: in hoc diebus Iouis mercatus est frequentissimus, vbi armentorum, frugum, vuarum passarum, ficuum, atque mellis maxima emitur copia: reperias quoq; & pannarios mercatores, aliosq; cumplures quorum enumeratio nō minus tædiosa quàm prolixa esset. Ego apud hos aliquoties versatus, meo incommodo intellexi quàm sint furtis mirè dexteri: colligit Telensini Rex ex hac prouincia vigintiquinq; millium aureorum annuum prouentum, totidemq; milites exercitatissimos numerant.

¶ *Batha oppidum.*

BAtha maximum, opulentissimum, atque Afrorum multitudine copiosissimum, nostris temporibus in amœnissima atque latissima planicie exstructum oppidum, vbi maxima frumenti prouenit copia. Telensino Regi vigintiquinque millium aureorū tributum persoluit. Verùm postea eo bello deletū fuit, quod inter Regem atque eiusdem aliquot affines gestum est. Hi Fessani Regis auxilio potentissimi, quamplurima sibi occupauerant Telensini oppida: quicquid verò se armis belli seruare non posse videbant, incendio prorsus deleuerūt, adeò vt huius oppidi perexigua nunc reperire licet monumenta. Non procul hinc angustissimus præterfluit fluuiolus, qui vtrinque hortos habet, agrosq; omnis generis frugibus fœcundissimos. Planicies item ad ea vsque tempora incolis fuit de-

destituta, donec quidam Eremita cum suis huc appulit, quem illi tanquam insignis sanctimoniæ virum colebant: hic intra paucos dies adeò boum, equorum, atque pecudum numero ditatus est, vt neminem ferè habuerit in hac regione secundum. Nullum neque hic neque huius subditi tributum persoluunt, cùm tamen (vti ex illius discipulis intellexi) singulis annis octo millia colligat frumenti modia, equos hunc habere quingentos dicunt, pecudum decē millia, boum duo millia: & singulis annis ex diuersis orbis regionibus afferuntur illi quatuor aut quinque aureorum millia: adeò per vniuersam Africam atq; Asiam huius innotuit sanctimonia. Discipulos habet circiter quingētos, quos propriis alere sumptibus solet: his nihil aliud iniungitur q̃ vt singulis diebus certas legant Deorum inuocationes: quò fit vt permulti vndique affluant, qui inter huius discipulos numerari cupiunt, à quo tandem quibusdam ceremoniis edocti domum redeunt. Tentoria habet plus minus centum, quorum alia peregrinantibus, alia pastoribus, reliqua eius familiæ sunt fabricata. Habet vir sanctissimus quatuor vxores, mācipia autem quàm plurima, quæ vestibus vtuntur sumptuosissimis. Habent & filij suas quoque vxores atq; familias: ità vt tam Eremitæ quàm eius filiorum familia numerum quingentesimum excreuerit. Ab omnibus Arabibus, atque ab ipso adeò Telensini Rege summè veneratur. Ego tandem quid viri esset scire conatus sum: per tres dies ab eo exceptus vnà cùm eo in secretioribus ædibus cœnatus

tus ſum, vbi inter alia libros quoſdam cõmonſtrauit,qui Magicam artem atque Alcumiſticam docebant: ac omnibus modis perſuadere ſtudebat,Magiam veram atque indubitatam eſſe diſciplinam, adeò vt Magus mihi viſus eſt, quanquã ea nunquam vſum fuiſſe intellexi, neque quicquam curauiſſe,quàm Dei quibuſdam nominibus inuocationes.

❡ *Orania.*

MAximum hoc atque frequentiſſimum oppidum familias plus minus ſex millia numerat.Ante aliquot ſæcula ab Afris ad mare Mediterraneum exſtructum, à Telenſino centum & quadraginta diſtat miliaria. Inſignem hic videas ædificiorum, templorum, collegiorum,xenodochiorum,balneorum,atque hoſpitiorum ſtructuram: muris vndique altiſſimis atque munitiſſimis cingitur, ab vna parte planiciem, ab altera verò montes habet altiſſimos. Maxima ciuium pars telam texebant, reliqui ferè annuis prouentibus viuebant. Non magna hic proueniebat frugum copia, adeò vt nullo præterquam hordeaceo veſcebantur pane: incolæ omnes humaniſſimi atque exteris omnibus amiciſſimi. Fuit hoc oppidum Cataloniæ atque Genuæ mercatorum frequentia copioſiſſimum: in eo vicus quidam fuit qui in hunc vſque diem Genuenſium appellatur. Perpetuum gerebant cum Telenſini Rege bellum, neque alium vnquam Principem admittere voluerunt, præterquam quendam qui tributum Regium à populo exigeret.Populus verò quendam è Conſuli-

ſulibus virum primarium elegerant,penes quẽm totius vrbis erat adminiſtratio. Mercatores propriis ſumptibus milites alebant, qui crebris incurſionibus Cataloniam, Geuiſam, Maioricam, àtque Minoricam maximè vexabant,adeò vt Oranita Chriſtianorum mancipiorum propemodum erat plena. Poſtea Hiſpaniarum Rex Ferdinandus ingenti claſſe Oraniam aggreſſus de liberandis Chriſtianis agere cœpit: ſed infelici planè pugnauit Marte. Verùm poſt aliquot deinde menſes Vaſconum atque Cardinalis Hiſpaniæ copiis adiutus, Oraniam occupauit. Mauri enim milites maximo impetu erumpentes in Chriſtianorum exercitum, ciuitatem militibus planè nudam reliquerant,quod vbi Hiſpani animaduertiſſent,ex alia ſtatim parte vrbem oppugnare cœperunt: quam (quoniam nemo præter fœminas reſiſtebat) minimo negotio occupauerunt. Mox vbi Mauri Chriſtianorum ſigna militaria in mœnibus ſita viderunt, continuò ad vrbem redeunt: atque ſic maxima vtrinque cæde hûc in modum occiſi ſunt, vt pauciſſimi ex hoc prælio effugere potuerunt. Hunc in modum recepta fuit Orania Hegiræ anno noningenteſimo decimoſexto, qui Chriſti fuit M. D. VII.

¶ *Merſalcabir.*

MErſalcabir oppidulum noſtris temporibus à Telenſini Rege ad mare Mediterraneum conditum, ab Orania minimo diſtat miliariorum interuallo. Merſalcabir autem idem illis atque nobis latiſſimus portus ſonat: non enim puto talem portum reperiri

poſſe

poſſe, qualis hic eſt: innumeras enim naues atq; triremes ab omni ventorum iniuria tutiſſimas ſeruare poteſt. Huc frequentiſſimæ Venetorum naues ſe recipere ſolent, vbi tempeſtatem aliquā imminere videbant: atque merces omnes per alias quaſdam naues Oraniam deuehi curabant. Ab Hiſpanis eodem modo quo Orania tandem fuit occupata.

¶ *Mezzagran.*

Eſt & hoc quoque oppidulum ab Afris ad mare Mediterraneum exſtructum, eo propemodum loco quo Selef fluuius in mare delabitur. Incolis ſatis eſt copioſa, atque Arabum frequentiſſimis iniuriis expoſita. Huius Præfectus exiguum habet in eo oppido ditionis, in ſuburbio verò multò minus.

¶ *Muſtuganin.*

Mvſtuganin ab Afris ad mare Mediterraneum exſtructa, diſtat in altera fluminis parte à iam dicto oppido Orientem verſus tribus ferè miliaribus. Olim incolis fuit frequentiſſ. at poſtea paulatim decreſcente Telenſinorum imperio, innumeris Arabum iniuriis vexata fuit, ita vt hodie tertiam vix eius partem integram reperias. Familias numerat circiter mille & quingentas: templum habet ornatiſſimum, miróque artificio ſumptuoſiſſimum. Frequentiſſima hic eſt telæ textorum turba: domus elegantiſſimæ, quibus nec ſui deſunt fontes limpidiſſimi. Per huius vrbis medium fluuius quidam præterfluit, ad cuius vtrunq; latus molæ ſunt frequentiſſimæ. Non procul ab oppido elegan

gantiſſimi reperiuntur horti, verùm inculti atq; infrugiferi. Ager illis fœcundiſſimus. Portum item habent, ad quem ex Europa quamplurimi ſolent confluere mercatores, quanquam nō mul tum ſit quod negocientur, propter maximam huius oppidi pecuniæ inopiam.

¶ *Breſch.*

ANtiquum hoc oppidum à Romanis ad mare Mediterraneum fuit extructum, diſtat à dicto oppido longo admodum miliariorum interuallo: incolis atque adeò telæ textoribus refertiſſimum: crucem quandam nigram in maxillam depingere ſolēt, alteram item in vtriuſque manus palma, eſtq; hic mos ab his omnibus obſeruatus qui in montibus Algeri, atque Bugiæ habitant, atque ex eo remanſiſſe creditur, quòd cùm Gothi has regiones occuparēt, quotquot Chriſti fidem aſſumere voluerunt, ab omni tributo liberos fuiſſe hiſtoriographi affirmant. Verùm quoniam quoties tributum exigebatur, nullus erat qui non ſe Chriſtianū eſſe profitebatur, vt à tributo liberaretur: quare tum decretum eſt, vt Chriſtiani his crucibus ab aliis dinoſcerentur. Tandem expulſis Gothis, omnes ad Mahumeticam redierunt fidem, remanſit tamen depingendi cruces conſuetudo, cuius rei vix illi nouerunt rationem. Solent & Mauritaniæ inferioris fortunæ homines huiuſmodi depictam crucem in facie gerere, qualem nonnullos in Europa habere videmus. Eſt hoc oppidum ficubus opulentiſſimum, ager maxima lini atque hordei copia fœcundiſſimus. Maximam illi cum vicinis

na-

nationibus alunt consuetudinem, quorum consilio per centum continuos annos ab omni tributo liberi remanserunt: verùm postquam Barbarossa id sibi imperium vsurpauit, maximis ab eo affecti sunt incommodis. Multi ficus atque linum ad transmarinas ciuitates Algiram, Tunetum, atque Bugiam deuehunt, vnde satis bonam sibi colligunt pecuniarum copiam: reperias & hodie hîc aliquot Romanorum ædificiorum mo numenta.

¶ *Sersel oppidum.*

MAximum atque amplissimum est oppi dum à Romanis ad mare Mediterraneũ ædificatum: postea à Gothis, tandem verò à Mahumetanis occupatum. Huius murus altissimus, munitissimus, atq; miro artificio insignis continet in circuitu miliaria plus minus octo. In ea parte quæ Mediterraneum respicit, amplissimum atque altissimum à Romanis con ditum visitur templũ, cuius pars interior marmorea est. Egregium olim in scopulo quodam ad mare Mediterraneum exstructum fuit muni mentum: Ager illis fœcundissimus est, & quanquam crebris Gothorum iniuriis vexatum fuit, Mahumetani tamen bonam sibi vrbis partẽ occupauerunt, idque per quingentos ferè annos. Post Telensinorũ deinde bellum annis ferè trecentis incolis vacua remansit. Tandem Granata à Christianis occupata, permulti Granatæ huc confugerunt, qui ædificia atq; bonam castri par tem reparauerunt: postea naues quoq; exstruere cœperunt, quibus suas merces in alienas deueherent

herent regiones: adeò paulatim accreuerunt, vt nunc mille & ducentas numerent familias. Barbarossæ imperio iamdudum paruerunt, cui trecentorum tantummodo aureorũ quotannis tributum persoluunt.

### ¶ *Meliana.*

MEliana vrbs amplissima atque antiqua, conditores habuit Romanos, nunc vulgò Magnana corrupto vocabulo appellant. In summitate cuiusdam montis exstructa, distat à Mediterraneo mari in quadragesimo ferè miliario. Frequentissimi in eo mõte sunt fontes atque syluæ iuglandibus refertissimæ: Muris antiquissimis atq; altissimis cincta est. Ab altera parte rupes habet munitissimas, altera verò eodẽ ferè modo ex monte dependet quo Narnia, quę vrbs Romæ vicina est: domos habet elegantissimas, quarum quælibet suum habet fontem. Incolæ ferè omnes textores sunt: nonnullos itẽ hic reperias qui elegantissima vasa conficiunt tornatilia. permulti quoque agriculturam exercent. remanserunt autem per multos annos ab omni tributo atque exactione liberi, donec tandem à Barbarossa tributarij sunt effecti.

### ¶ *Tenez oppidum.*

ANtiquissimum hoc oppidum ab Afris in costa cuiusdam montis non procul à Mari Mediterraneo exstructum, elegantissimis est cinctum muris, incolarum numero frequentissimũ. Mira huic genti est rusticitas: perpetuo Regis Telensinorum imperio paruit. Tandem Mahumetes eius auus qui nũc Regem agit, tres

tres ab obitu filios reliquit, quorũ natu maximus Abnabdilla, secũdus Abuzeuen, tertius verò Iahia fuit appellatus. Abnabdilla patri succeßit, quem fratres quorundam ciuium auxiliis adiuti interficere conati sunt. Postea autem re intellecta Abuzeuen captiuus in cathenis aliquandiu asseruatus fuit. Postremò Rege Abuchemmen regno à populo expulso, Abuzeuen nõ pristinæ modò libertati restitutus, verùm & in Regem electus est, regnoq́ue tantisper potitus est, donec à Barbarossa (vt antea dictum est) interfectus est. Iahia ad Fessæ Regem fugit, atque tandem à Tenez populo Rex proclamatus, regnauit per aliquot annos. Qui ab huius obitu fuit relictus filiolus, à Barbarossa quoque vexari cœpit, atque ad Carolum Hispaniarum Regem fugit. Verùm cùm iam plus satis morarentur promissa à Carolo auxilia, cumq; Tenez Princeps diutius abesset, inter omnes sparsus est rumor, eum vnà cum fratre Christianam fidem suscepisse: quare Tenez regnum mox ad Barbarossæ fratrem est deuolutũ. Ager quidem satis est fœcundus, verùm aliarum rerum hic maxima est penuria.

¶ *Mazuna oppidum.*

NOnnulli à Romanis conditum volunt, distat à mari Mediterraneo miliaribus ferè quadraginta. Agros habet fœlicissimos, muros munitißimos, domos autem vilissimas, structuraq; maximè deformes. Templum vtcunque elegans: fuit namque quondam id oppidum modis omnibus ornatissimum, sed crebris cùm Telensinorum tum aliorum incursio-

nibus diminutū: cùm tandem Arabum pareret imperio, ad vltimum peruenit excidium: sic vt hodie rariores hic inuenias inhabitatores, oésq; aut telæ textores, aut agricolæ, Arabum frequentissimis molestiis miserrimi. Ager illis omnibus frugum generibus feracissimus. In huius oppidi vicinis locis quamplurima inueniuntur Romanorum ædificia, pagi, atque oppidula, quod ex characterum in marmoribus depictorum delineatione facilè deprehendere licet. Horum nomina nusquam apud Historiographos aut Chronographos reperiuntur.

¶ *Gesseir, hoc est, Algira.*

GEseir Afris idem atque nobis Insula sonat: inde desumptum nomen putant, quòd Insulis Maioricæ, Minoricæ, atque Geuisæ adiaceat: hanc vrbem nos Algiram vócamus: conditores habuit Afros, qui ex familia Mesgana originem traxerant, quare & apud antiquos Mesgana fuit appellata. Spatiosissima est ciuitas, numeratq; familiarum quatuor ferè millia: muris elegantissimis atque munitissimis cincta. Ædificia hic visuntur artificiosa atq; sumptuosissima. Habet quælibet ars suum ad hoc designatum locum. Hospitiorum, balneorum, atque templorum mira hic est elegantia, atque inter cætera templum visitur ornatissimum atq; amplissimum in maris littore positum. Habet autem ea parte qua mare respicit, amœnissimum deambulacrum, eius ciuitatis muro superinstructum, qui maris fluctibus alluitur. Innumeri in suburbio reperiuntur horti, omnibus fructuum

gene

generibus amœnissimi. In parte Orientali præterfluit flumen quoddam,quod molas frequentissimas agit: ex hoc etiam aquam potationi atq; rei culinariæ aptissimam exhauriunt. Elegantissimas habet planicies, quarũ præcipuam Metegia vocant,patet in longum quadragintaquinque, in latum verò triginta fere miliaria, estque hæc omnis generis frugibus feracissima.Per multos annos Telensinorum imperio paruit; verùm quum iam Bugiæ suum quoque Regem esse intellexerunt, quoniam huic viciniores erant, in huius deditionem sese coniecerunt. Videbant enim Telensini Regem non posse magnopere ab hostium iniuria seruare, Bugiæ autem Regem maximas posse inferre molestias, quare censum annuum huic vel vltrò obtulerunt,remanserunt tamen ab omni ferè exactione liberi. Post aliquot deinde annos huius vrbis incolæ, compositis sibi triremib.piratas agentes,cœperunt iam dictas Insulas mirũ in modum infestare. Quare Rex Ferdinandus ingentem classem adornauit, qua se facilè hanc vrbem occupaturum putauit. In scopulo quodam altissimo huic oppido ex aduerso posito arcem quandam munitissimam construxit, neq; longius ab vrbe distabat quàm vt bombardarum ictu eò facilè pertingi posset, etsi nulla tamen in parte ciuitatis muris nocere possent. quare statim legati in Hispaiam missi sunt, qui decem annorum inducias peterent, ea lege vt singulis annis certum numerarent tributum, quod eis à Ferdinando concessum fuit. Remanserunt igitur per aliquot menses à belli

ſæuitia ſecuri: tandem verò Barbaroſſa ad Bugiæ obſidionem properans, poſteaquam arcem quandam ab Hiſpanis ædificatam occupaſſet, mox etiam de altera recuperãda cogitauit, ſperans fore vt hac deuicta minimo negotio totius Bugiæ regnum occuparet. Verùm non omnia ei ceſſerũt ex animi ſentẽtia: quos enim ſecum adduxerat milites, maxima pars agrorum erant cultores. Hi ſimulatque ſerendi tempus inſtare viderunt, nullis etiam exhibitis libellis principem deſeruerunt, atque ad agriculturam redierunt. Idem etiam Turcorum permulti fecerunt, adeò vt Barbaroſſa re infecta obſidionem ſoluere coactus ſit. Priuſquam tamen inde diſcedere voluit, propria manu duodecim myoparones incendit, qui in flumine à Bugia in tertio tantùm aberãt miliari. Deinde cum quadraginta in caſtrum Gegel ſe recepit, quod à Bugia ſexaginta ferè diſtabat miliaria, vbi per aliquot remanſit dies. Interea Rege Ferdinando vita defuncto, Algiræ incolæ ſe à tributo liberarunt: viderunt enim Barbaroſſam bello plurimum valere, atq; Chriſtianis hoſtem infeſtiſſimũ eſſe; hunc igitur accerſitum, totius exercitus ducem conſtituerunt: qui mox arcem oppugnare cœpit, ſed parum aut nihil profecit. Poſt hæc Barbaroſſa vrbis præfectum in quodam hypocauſto clam interfecit. Hic Arabibus imperabat, qui in Mettegiæ planiciebus habitabant, Selim Etteumi appellabant, ex ſtirpe Tehaliba originem traxerat, atque eodem tempore Argiræ præfectus creatus, cùm Bugia ab Hiſpanis occuparetur: atq; iam per multos annos regnauerat, cùm

cûm à Barbaroſſa interficeretur. Deinde Barbaroſſa huius ciuitatis ſibi imperium vſurpauit, monetam cudit, fuitq́; hoc primum Barbaroſſæ regnandi principium. Iam dictis omnib. rebus ipſe tum temporis adfui, quo mihi Feſſa Tunetum iter erat, atque apud quendam hoſpitio exceptus, qui Legatus ab Algiræ populo ad Hiſpanias miſſus fuerat, vnde tria millia librorum Arabica lingua deſcriptorum contulerat. Deinde Bugiam profectus ſum, vbi Barbaroſſam alteram illam arcem obſidentem reperi: poſtea Conſtatinam veni, atque inde Tunetum. Interea Barbaroſſam Telenſini interfectum audiui, ac eius fratrem, qui Cairadin dictus eſt, in Argiri regnum ſucceſſiſſe. Tum quoque Imperatorem Carolum duas miſiſſe claſſes ad Argiram expugnādam intelleximus, primam in Argiræ planicie periiſſe, alteram poſtquam per tres dies continuos oppidum oppugnaſſet, partim interfectam, partim à Barbaroſſa in deditioné redactam, adeò vt pauci admodum in Hiſpaniam redierint. Hæc Hegiræ noningenteſimo vigeſimo ſecundo, hoc eſt à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo decimo tertio Anno acta ſunt.

¶ *Tegdemt oppidum.*

ANtiquiſſimum hoc oppidum à Romanis, vt nonnulli volunt, conditum: Tegdemt autem Arabibus idem atque nobis antiquum ſignificat. Huius murus, quātum ex fundamētis colligere licuit, in circuitu decem erat miliariorum. Reperiuntur inſuper & duo inſignis altitudinis templa, deleta tamen, atque

maxima ex parte solo æquata, eo tempore quo à Mahumetanis occupabatur, opulentissimum fuit, literatorum atque poetarum numero frequentissimũ. Huic oppido præfuisse legitur eius Idridis patruus, qui Fessam condiderat, remansitq; imperium huius posteritati in centesimum fere & quinquagesimum annum. Postea eo bello deletum fuit, quod inter Cairaoan Pontifices gestum est, Hegiræ Anno trecentesimo sexagesimoquinto: nunc tantùm huius oppidi vestigia aliquot videre licet.

¶ *Medna oppidum.*

NOn procul à Numidiæ terminis exstructum, distat à mari Mediterraneo miliaria fere centum & octuaginta: in planicie quadam amœnissima maximeq; frugifera posita est, fluminibus hortisq; spatiosissimis cingitur. Incolas habet ditissimos, qui inter Numidas vt plurimum negociantur: tam circa vestitũ quàm circa rem familiarem sunt curiosi. Maximis indies Arabum incursionibus vexantur, & quoniam à Telensino per ducenta ferè miliaria absunt, hinc fit quòd nihil præsidij à Rege habere possint. Huic oppido præfuerunt quidam Tenez principes, deinde Barbarossa, atq; tandem eius frater. Nusquam tam magnifice atque hic exceptus fui: gens enim literarum cognitione rudissima, quoties doctum aliquem virum nacti sunt, maximo illum excipiunt honore, atque ab eodem lites omnes definitas volunt. Ego duobus illis mensib. quibus apud hos egi, plusquam ducentos lucratus sum aureos, adeoq; arrisit loci

amœnitas, vt nisi àliò vocatus fuissem, decreueram apud illos reliquum vitæ transigere.

### ¶ *Temendfust.*

HOc quoq; oppidum à Romanis ad mare Mediterraneum exstructum est, distat ab Algira duodecim ferè passuum milia. Satis frequens hic est portus, in quo Geseir naues in tuto sunt, his enim vix alius est portus. Hoc oppidum tandem à Gothis deletum, estque maxima Geseiri muri pars iisdem lapidibus exstructa, qui huius oppidi muro detracti fuerant.

### ¶ *Teddeles oppidum.*

AB Afris ad mare Mediterraneum conditum, à Geseiro in trigesimo distat miliari, muris antiquissimis atque munitissimis cinctum est: bona ciuium pars panni tinctores sunt, idque propter fluuiorum atque fontium frequentiam, qui per huius medium præterfluunt. Ingenium illis liberale, cythara ferè omnes atque testudine canere nouerunt. Ager illis feracissimus, frugibusq; felicissimus est. Vestitus ornatissimus: piscandi ferè cupiditate tenentur omnes, piscium autem tantam captant copiam, vt quibuslibet ferè impartiantur, quò fit vt nullum in hoc oppido sit forũ piscarium.

### ¶ *Montium qui in hac regione reperiuntur enumeratio.*

### ¶ *Beni Iesneten Telensini mons.*

DIstat à Telensino Occidentẽ versus quinquaginta ferè passuum milia, ex altera parte deserto Gareti adiacet, altera verò Angadi deserto iungitur. Extenditur in longum

vigintiquinque,in latum autem quindecim ferè miliaria, altiſſimus eſt,arduus,aſcenſuq; difficillimus. Frequentiſſima in eo reperias nemora,in quibus maxima prouenit ſiliquarum copia,quibus huius montis accolæ tanquam cibo vulgatiori veſci ſolent: mira enim his eſt hordei inopia. frequentiſſima hic reperiuntur mapalia. In ſummitate arx quædam eſt munitiſſima, quam totius montis principes inhabitant, inter quos crebra mouentur diſſidia,nemo enim eſt qui nó ſibi ſoli totius montis imperium ambiat. Cum his nonnihil mihi fuit conſuetudinis, quos in Feſſæ Regis aula noueram, quare & magnificè ab illis exceptus fui: reperiuntur milites in hoc monte ad numerum ferè decem millium.

¶ *Matgara mons.*

ADmirandæ altitudinis atque frigiditatis mons eſt, accolarum multitudine copioſiſſimus,diſtat à Ned Roma ſex ferè paſſuum millia. Accolæ validi, ſed non admodum opulenti: nihil enim in hoc monte præter hordeum prouenit, atque ſiliquarum maximam copiam: idem his cũ Ned Roma eſt idioma,adeoq; illi inter ſe ſunt amici, vt mutuo auxilio Telenſini Regi ſeſe opponere audeant.

¶ *Gnalhaſa mons.*

ALtiſſimus hic mons oppido Hunain vicinus eſt. Incolis ingenium eſt ferociſſimum,ruſticum,atq; ab omni humanitate alieniſſimũ: perpetuò cum Hunain populo belligerantur, adeò vt ſæpenumero nó multum abfuerit, quin oppidum prorſus deleuerint.

Pro-

Prouenit in eo mõte ſiliquarum maxima copia, frugum autem mira illis caritas eſt.

¶ *Agbal mons.*

QVi hunc mõtẽ incolunt, viliſſimæ ſunt conditionis, Oranitarũ imperio parent: agriculturã exercent, ligna Oraniam venalia deuehunt. Iis temporib. quibus adhuc Mauri Oraniæ imperarunt, aliquantò tolerabilior horum fuit conditio: poſtquam verò Orania à Chriſtianis fuit occupata, huius montis accolæ ad ſummam rerum inopiam ſunt redacti.

¶ *Beni Gnerened.*

A Telenſino tribus diſtat miliaribus, incolis, omnium generum fructibus, ficubus præſertim atq; ceraſis eſt copioſiſſimus. Incolæ aut carbonarij ſunt, aut ligna colligunt, nonnulli etiam agricultura ſe exercẽt: & quantum ex Regis Telenſini Secretario primario intelligere potui, colligitur in eo mõte ſingulis annis duodecim millium aureorum prouentus.

¶ *Mons Magraua.*

EXtendit ſe ad mare Mediterraneũ in longum quadraginta ferè paſſuum millibus, vicinus Muſtuganim oppido, cuius ante deſcriptionẽ dedimus. Incolas habet nobiles atq; in bello exercitatiſſimos, ager feraciſſimus, ingenio aũt ſunt liberali ac humaniſſimo prædìti.

¶ *Beni Abuſaid.*

NOn multum diſtat à Tenez, incolarum multitudine frequentiſſimus, vitam degunt propemodum beluinam, ſunt tamen viri in armis præſtantiſſimi. Maxima illis

eſt

eſt mellis,hordei,atque caprarum affluentia. Ceram & coria Tenez conferũt, ac ibi Europæ mercatoribus vendunt.Quandiu Regis Telenſini affines huic monti imperauerũt,tributum numerauerunt aliquot aureorum millium.

¶ *Guanſeris.*

Viſendæ altitudinis hic mons accolas habet nobiliſſimos,hi Feſſę Regis adiuti copiis bellum aliquando cum Telenſini Rege geſſerunt, quod pluſquam ſexaginta durauit annis. Agrum habent feraciſſimum,fontium autem copiam maximam. Militum numerant viginti ferè millia, quorũ duo millia & quingenti equites ſunt. Horum auxilio Iahia Tenez regnũ eſt adeptus:deficiente verò Tenez imperio,hi rapinis atq; prædationibus ſe exercuerunt.

¶ *Geſeiri montes.*

Ad Orientem atque Occidentem ſolem in Geſeiri locis vicinioribus frequentiſſimi ſunt mõtes, maxima accolarum multitudine copioſiſſimi.Ab omni tributo atq; exactione liberi , ditiſſimi, & bello præ cæteris præſtantiſſimi . Ager illis frugibus ſerendis feliciſſimus,pecudum atq; armentorum copia opulentiſſimi . Sæpenumero inter ſe belligerantur acriter, adeò vt nõ admodum tutum fuerit illac iter facere, niſi Religioſum quendam virum comitem habueris . Eſt & illis mercatus ſatis frequens,verùm nihil hic præter pecudes, frumentum,aut lanam inuenies,niſi fortè aliquis ex vicinis ciuitatibus aliud quippiam mercium aduexerit.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ rerumq; in ea memorabilium,

## LIBER QVINTVS.

### *Bugie & Tuneti regnorum descriptio.*

CVM antea Barbariæ regnũ in suas partes diuiderem, decreuerã de Bugia tanquam de regno quodam per se scribere: deinde animaduerti paucis tantum ab hinc annis regnum fuisse. paruit namq; Bugia Tuneti Regi, etsi per aliquot annos à Telensino fuerit occupata, tandem tamen à Tuneti Rege recepta fuit, qui filio suo huius oppidi imperium in manũ dedit, idq; cùm pro Bugiæ tranquillitate seruanda, tum vt dissidium nullum post mortem inter filios exoriri posset. Reliquit autem ab obitu tres filios, quorum maximus natu Habdulhaziz est appellatus, huic, vt iam diximus, Bugiæ regnum legauit: secundo Hutmeno Tuneti imperiũ reliquit, tertium autẽ, cui nomen erat Hammare, Dactyliferæ regioni præfecit, hic statim bellum fratri Hutmeno mouere cœpit, à quo tandem in oppido Assacos captus ac vtroque oculo orbus Tunetum ductus fuit, vbi cæcus per multos annos vixit, Hutmenus verò Tuneti regnum per quadraginta administrauit annos. Bugiæ princeps fratri per omnia fuit obsequentissimus, quare per multos annos tranquillissimè imperiũ gessit, donec tandem à Rege Ferdinando cuiusdam Petri Nauariensis opera regno priuaretur.

Bu-

¶ *Bugiæ amplißimæ ciuitatis deſcriptio.*

BVgio ciuitas antiquiſſima à Romanis, vt nonnulli volunt, in coſta excelſiſſimi cuiuſdam montis ad mare Mediterraneum ædificata. Muris altiſſimis atque ſtructuræ antiquitate elegantiſſimis cingitur. Ea pars quæ nunc incolas habet, familiarũ numerat pluſquã octo millia: quòd ſi omni ex parte ædificiis eſſet plena, pluſquam vigintiquatuor millium domorum foret capax, eſt enim incredibilis ferè longitudinis. Mira hic ædificiorum, templorum, & collegiorum ſtructura. Innumeri artium profeſſores, quorum nonnulli ea quæ ad legem pertinent docent, alij diſciplinas profitentur naturales. Non hic deſunt monaſteria ad illorum ritum compoſita, non hoſpitia neque xenodochia ſumptuoſiſſima: forum quoque latiſſimum hic viſitur atque elegantiſſimum: plateæ autem ferè aut deſcendunt, aut aſcendunt, quæ res non paruam negotiatoribus adfert moleſtiam. In parte ea quæ montem reſpicit, arx quædam munitiſſima, muris multóq; muſeaco ſumptuoſiſſima. Tam inſignes in gypſo atq; lignis ſunt ſcripturæ ſumma elegantia ſummáque arte depictę, vt multò pluris quàm ipſius muri ſtructura conſtiterunt. Ciues habet ditiſſimos, qui Hiſpaniæ fines crebris indies moleſtiis vexare ſolent, idq; triremibus ad hoc inſtructiſſimis, quæ res oppidum ad excidium traxit. Eò namq; miſſus fuit Petrus Nauarienſis cum quatuordecim tantùm nauium claſſe. Ciues adeò delitiis dediti atque belli rumore exterriti, vt qui nunquã in quenquam

quam bellum mouerant: mox vbi de Petri aduentu certiores sunt facti, Rex continuo se cum omnibus ciuibus in fugam coniecit, vrbemque rebus omnibus atque diuitiis refertissimam Hispanis spoliandam reliquit, adeo vt vel minimo negotio capta fuerit, idq; anno Hegiræ noningentesimo decimoseptimo, hoc est, post natum Christum, millesimo quingétesimo octauo. Mox Nauariensis expilata vrbe, arcem quandam in maris littore munitissimam exstruxit, alteram item quæ neglecta in eum vsque tempus remanserat, reparauit, structura atq; militum numero munitissimam reddidit. Deinde post sex annos Barbarossa cupiens ciuitatem Christianis adimere, collecto mille tantùm hominum satellitio, antiquam arcem expugnauit, fauerant enim Barbarossæ omnes vicinorum môtium incolæ. Quam vbi præsidio munitam effecisset, de altera quoque recipienda cogitare cœpit: sed prima oppugnatione è nobilibus, quos secum adduxerat, centum amisit: ex iis autem qui in subsidium venerant, quadringentos. quare Barbarossa inde fugatus, nunquam ab eo tempore huc redire voluit.

## ¶ *Gegel castrum.*

Gegel antiquissimum est castrum in altissima rupe, ad mare Mediterraneum ab Afris conditum, à Bugia distat miliaribus plus minus sexaginta. Familias numerat ferè quingentas: ædificia hic sunt vilissima. Incolæ liberali ingenio atque fidissimo sunt prædici, agriculturam ferè omnes exercent: ager illis rigidus,

dus, hordeo tantùm, lino, atque canabe accommodus. Magna hic ficuum atque nucum copia, quas Tunetum cymbis quibuſdam deuehere ſolent. Remanſerunt inuitis Bugiæ atque Tuneti Regibus ab omni tributo ſemper liberi: nullo enim modo nullâve obſidione ab hoſtibus occupari poteſt mons ille loci natura munitiſſimus. Tandem tamen in Barbaroſſæ deditionem ſe vltrò coniecerunt, qui nullum prorſus ab eis tributum exigit præter fructuum atque frugum quarundam decimas.

¶ *Meſila oppidum.*

A Romanis non procul à Numidiæ deſerto côditum, diſtat à Bugia in centeſimo ferè miliario: muros habet ſtructura elegantiſſimos, domos autem viliſſimas. Incolæ aut artifices aut agrorum cultores, viliſſimo vtuntur veſtitu: crebris Arabum exactionibus Regiſque Bugiæ quotidianis iniuriis miſerrimi. Ego cùm hâc quodam die iter facerem, non tantum pabuli reperire potui, quantum duodecim equis ſatis erat.

¶ *Stefa.*

ROmanos hæc quoq; ædificatores habuit, diſtat à Bugia Meridiem verſus ſexaginta paſſuum milia, in planicie quadam amœniſſima eſt ſita, muris elegantiſſimis atque munitiſſimis cincta. Incolarum numero olim fuit copioſiſſima: ſed ab eo tempore, quo à Mahumetanis fuit occupata, deinde etiam Arabum nequitia mirum in modum decreuit, qui bonam muri partem ſolo æquarunt, adeò vt in magno illo

illo antiquæ ciuitatis circuitu centum tantummodo relictæ ſunt domus.

### *Necaus oppidum.*

IN loco Numidiæ confini à Romanis ædificatum, diſtat à mari Mediterraneo centum, à dicto verò oppido octuaginta ferè miliaribus: muro fortiſſimo atque antiquiſſimo cingitur. Flumine quodam alluitur, quod vtrinque iuglandes ac ficus producit, qui totius regni Tuneti præſtantiſſimi habentur, ſolentq́; Conſtantinam venales deuehi, quæ ciuitas in centeſimo & octuageſimo inde diſtat miliario. Ager illis frugibus feraciſſimus. Inhabitatores ditiſſimi, liberales, ac circa veſtitum ſatis curioſi. Communibus ſumptibus xenodochium quoddam exteris illàc iter facientib. fouetur. Eſt & hic collegium in quo literas addiſcere volentibus victus datur atque amictus, Neque templum deeſt elegantiſſimum, optimeq́; de omnibus rebus prouiſum. Illorum fœminę candidæ, nigro capillo, cute delicatiſſima, frequẽtiſſimè enim balnea accedunt. Domus ferè omnes vnicam habent contignationem, elegantes tamen ſunt, habet enim quælibet ſuum hortum roſis damaſcenis, myrtis, camomillo, aliiſq́ue omnis generis floribus, necnon & fontium irrigatione amœniſſimũ. Hic pergulæ reperiuntur elegantiſſimæ, quæ æſtiuis temporibus vmbram præbent gratiſſimam: & vt ſemel dicam, tam hic omnia rident, oculos paſcũt, miraq́ue amœnitate alliciunt, vt ægrè aliquis inde diuelli poſſit.

### *Chollo oppidum.*

Chollo

CHollo oppidum ampliſſimum ad mare Mediterraneum, & ad radices altiſſimi cuiuſdam montis à Romanis exſtructū, nullis omnino cingitur muris, fuerunt namque à Gothis ſolo æquati: deinde poſtquam Mahumetani recepiſſent in deditionem, nihilo meliorem muri munitionem reddiderūt. Egregia tamen hic eſt Reſp. incolarum maxima frequentia, hi liberali omnes ſunt ingenio, atque humaniſſimi. Maximè ſemper cum Genuenſibus negociantur, colliguntq; maximam ceræ atque coriorum copiam. Ager illis in monte feraciſſimus eſt: adeoque Tuneti atque Conſtantinæ principibus reſiſtunt, vt in hunc vſque diem ab omni tributo liberi remanſerunt. A Conſtantinētium iniuria facillimè liberantur, cùm propter arduos montes interiectos, tum propter maximum itineris interuallum: diſtat enim à Conſtātina centum & viginti ferè miliaria. Neque vlla ciuitas eſt in vniuerſo Tuneti Regno, quæ cum hac omnium rerum opulentia, lociq; munitiſſimi natura vllo modo ſit conferenda.

¶ *Sucaicada.*

ANtiquiſſima hæc ciuitas ad mare Mediterraneum à Romanis exſtructa, diſtat à Conſtantina trigintaquinque ferè paſſuum millia, à Gothis vaſtata fuit atq; propemodum deleta: verùm propter portum frequentiſſimum, & Genuenſib. mercatoribus notiſſimum, Conſtantinæ princeps ædificia quædam ampliſſima Genuenſibus in his regionibus negociantib. exſtruxit, in quibus ſe ſuaq; bona recipiant: deinde in

in monte viciniori arcem quandam munitissimā ædificauit, vt mercatorib. ab omni hostium impetu securus pateret accessus. Inter portum & Constantinam interiecta est via quædam nigris lapidibus strata, quales nonnullæ in Italia reperiuntur, quæ Romanæ appellantur, vnde certissimum colligi potest, Sucaicádam à Romanis fuisse conditam.

¶ *Constantinæ descriptio.*

HVius vrbis cōditores fuisse Romanos, nemo negare poterit, qui muros munitissimos, altissimos, antiquissimos, nigris atq; elaboratissimis lapidib. compositos animaduerterit. In monte quodam altissimo ea facie posita est, quæ Meridiem respicit. Rupibus altissimis cingitur: huic fluuius Sufegmare subterfluit, qui & rupibus etiam clauditur, adeò vt fluuius profundissimus, vnà cum rupibus vtrinque positis, Constantinæ ceu fossam quandam præbent. Ad Septētrionale latus murum habet crassissimum. Suntque duæ tantùm viæ arctissimæ, quæ in vrbem ducunt: quarum hæc ex Oriente, illa verò ex Occidente patet. Portas quoque habet maximas, amplissimas, atque elegantes. Familiarum hic plus quàm octo millia numerantur. Ædificia passim sumptuosissima videre licet: quale summum est templum, duo collegia, tria aut quatuor monasteria, aliaque id genus cumplura. Hic quodlibet exercitium suum habet locum ab aliis secretū: incolæ honestatis amantissimi, armisq; belli exercitatissimi. Mercatorum quoque maxima hic est affluentia, quorum alij pannum

atque lanam venalia habent, alij oleum atque sericum ad Numidas mittunt, telam aliaq; quamplurima dactilis & mancipiis cõmutant. Neque vlla est in tota Barbaria regio, vbi tam paruo dactili emũtur. Solet Tuneti Rex Constantinæ imperium filiorum natu maximo dare: at qui nunc Regem Tuneti agit, primogenito Constantinam in manum dederat: qui cùm bellum contra Arabes mouere cœpisset, primo prælio periit. Deinde regnum ad secundum filium est deuolutum, qui propter nimiam vitæ intemperiem præmatura morte periit. Huic successit tertius atque minimus natu, iste propter nimiam insolentiam atq; impudentiam ab omnibus summo odio est habitus, adeò vt nonnulli Regem interficere decreuerant; quod postquã pater intellexit, filium per aliquot annos captiuum Tuneti seruauit. Post hæc & alio cuidam, qui à fide Christiana ad Mahumeticam legem desciuerat, Constantinæ imperium tradidit: huic enim non aliter ac proprio fratri fidebat, cuius etiam fidei sæpissimè periculum fecerat; hic per aliquot annos Rempub. summa cum tranquillitate administrauit. Est in hac vrbe in Septétrione arx quædam munitissima, eodem ferè tempore ædificata, quo ciuitas ipsa exstructa fuit: hæc multò quàm antea inexpugnabilior est facta, per quendam Elcaid Nabil, qui tum Regis vicé gerebat; maximè autem semper ea arx ciuitatem vicinosque omnes Arabes coarctauit, quorum ducem potentissimũ captiuum seruabat, neque prius dimisit quàm treis filios obsides reliquisset. Tandem verò eò

su

ſuperbiæ peruenit, vt monetam propriam cuderit, maximo interim Regis ac Principis contemptu, quem crebris tamen donis atque munerib. ſibi conciliare ſtudebat. Poſtquam igitur regni ſucceſſus à primo principio maxime differre viderunt, qui antea amauerant, ſummoq́; honore habuerant, cōtinuò animum omnem exuerunt, atque principem deſeruerunt. Et cùm in Numidia ciuitatem quandam obſideret, quā Peſcaram appellabant, ſenſit à nónullis ſibi inſidias parari: quare mox Conſtantinam redire cùm vellet, reperit occluſas portas: vnde ſtatim ad Tuneti Regem profectus, ab eodem in vinculis aſſeruatus fuit, neq; prius in priſtinam reſtitutus eſt libertatem, quàm centum millium aureorum ſummam Regi numeraſſet. Poſtea Regiis adiutus copiis in regnum fuit reſtitutus: deinde cùm in vrbis quoſdam primarios ſæuire cœpiſſet, rurſus ciues ad arma vocauit, qui mox arcem eam ad quā confugerat obſidione cinxerūt, quæ res tantam principi adtulit mœſtitiam, vt intra paucos dies animi dolore interierit. Populus autem vbi in gratiam cum Rege rediiſſet, nullum ab eo tempore extraneum principem recipere voluerunt: quare iterum Tuneti Rex filios ſuos miſit, quémadmodum antea dictum eſt. Ager illis eſt frugibus omnibus feraciſſimus. Habet fluuius qui in ea planicie præterfluit hortos vtrinque feraciſſimos, ſi rectè colerentur. Extra hanc ciuitatem egregia viſuntur ædificia, atq; antiquiſſima. Diſtat ab vrbe in ſeſquimiliario arcus quidam triumphalis, quales Romæ nōnullos videre licet:

 vul-

vulgus arcem fuiſſe putat,in qua infiniti ſe continebant dæmones,vnde à Mahumetanis eiectos dicunt, cùm illi Conſtantinam inhabitarent. Ad flumẽ quibuſdam gradibus deſcenditur rupi inciſis: in ipſo autem flumine domus quædam eſt rupi quoque ſic inciſa, vt tectum,columnæ, & muri vnâ tantùm efficiant partem, hic Conſtantinæ mulieres panniculos abluere ſolent. Eſt quoq; huic oppido vicinũ quoddam balneũ aquæ calidæ, quæ inter rupes fluendo diffunditur:hic maxima eſt teſtudinum copia,quas eius ciuitatis mulieres dæmones dicunt: & quoties contingit aliquem corripi febre,aut alio quouis morbo, illud mox à teſtudinibus profectum putant. Huic autem rei huiuſmodi repertũ eſt remedium : Gallinam quandam albam mactant, & adhuc plumis veſtitam in lance quadam reponunt,quam cereis circumcinctam ardentibus ad fontem deferunt:qua re à nonnullis animaduerſa, mox ad fontem taciti ſequuntur, ac gallinas inde in ſuam culinam conferunt. Diſtat aliquantò longius ab vrbe, Orientem verſus, fons quidam aquæ frigidiſſimæ, cui ædificium marmoreum vicinum eſt, figuris quibuſdam hieroglificis inſignitum, quales Romæ aliiſque permultis Europæ locis vidi . Illi verò putant aliquando ludum fuiſſe literarium,cuius quoniam tam profeſſores quàm diſcipuli vitioſiſſimi erãt, in marmor mutatos dicunt. Incolæ bis in anno maximã in Numidiam ſolent mittere mercium copiam: & quoniam iter à latronibus Arabibus nõ admodum ſecurum ſciunt, Turcas quoſdam.

ſclo

sclopetarios grandi pęcunia cōductos secum ducunt. Constantinæ autem mercatores Tunetum proficiscentes nullum omnino tributum persoluunt, nisi quòd fortasse ad Constātinæ egressum pro centum aureorum mercatura, duorum aureorum cum vnius aurei dimidio tributum persoluant.

¶ *Mela oppidum.*

A Romanis in duodecimo à Constantina miliario extructū, munitissimisq; muris cinctum, familiarum numerauit tria ferè millia: rara autem hodie hic sunt ædificia, idque propter belli iniuriam. Est hic artificum sic satis copiosus numerus: horum maxima pars pannum texunt, vnde lodices conficiuntur. Est hic in foro fons quidam limpidissimus, Ciues validissimi, verùm rudiori ingenio præditi. Maxima hic est non fructuum modò, vnde deductum nomen putant, verùm & carnium frugumque copia. Ad hanc ciuitatem Constantinæ princeps iudicē quendam singulis annis mittere solet, qui apud hos lites definiat, vrbisq; redditus annuos recipiat: fitq; sæpenumero vt huiusmodi iudex à populo interficiatur.

¶ *Bona oppidum antiquissimum.*

A Mari Mediterraneo in centesimo ferè & vigesimo miliario à Romanis fuit conditum, Hypponem antiqui vocauerunt, vbi Diuus ille Augustinus Episcopum egit. Paruit primò Gothorū imperio, deinde à quodam Hutmeno tertio post Mahumetē Pontifice occupatum atq; incendio deletum fuit. Post mul-

tos deinde annos nouam quandam vrbem in secundo ab hac miliario iisdem ferè lapidibus exstruxerunt, qui Bonæ ciuitati detracti fuerant: noua autem Beld Elhuneb, hoc est, Ziziphorum ciuitas est appellata, propter magnā eius fructus copiam: hunc autem fructum Sole exsiccatum, in hyemem seruant. Trecentesima ferè numeratur familia, domus omnes atq; alia ædificia vilissima sunt, nisi quòd ad mare templum quoddam elegantissimum visitur. Incolæ omnes ingenio sunt liberali, horum nonnulli mercaturam, alij artem aliquam exercēt. Bona apud hos telæ conficitur copia, quæ apud Numidas vtplurimū deferri solet. Huius oppidi ciues interfectis aliquando rectoribus, ausi sunt & Tuneti Regem minitari: atque ipsam vrbem proculdubio Christianis tradidissent, nisi à Tuneti Rege optimè cautum fuisset. Inuenias in hac ciuitate scelestissimos quosdam homines, qui cùm vestitu vtantur abiectissimo, ab huius ciuitatis incolis summo habentur in honore. Nulli hic fontes: nulla aqua illis est præterquam pluuialis, quam illi cisternis quibusdam asseruare solent. Ad Orientale latus arx quædam est munitissima à Tuneti Rege ædificata, hic se vrbis præfectus à Rege cōstitutus continere solet. Huic oppido spatiosissima quædam est planicies, cuius longitudo quadraginta, latitudo autem vigintiquinque continet miliaria: hæc frugibus ferendis est fœlicissima, ab Arabibus quibusdam colitur, quos Merdez appellant: maxima his est armentorum atq; pecudum affluentia, pecuniæ verò summa penuria

nutria: hi bonā butyri copiam Bonam quotidie deferunt. Solent in hanc ciuitatem quotannis Tunetani, Gerbenſes, atq; Genuenſes confluere, maximamq́; frugum atq; butyri copiam emere. Singulis diebus Veneris extra vrbem nō procul à muris mercatum habent, qui in veſperam vſq; frequentiſſimus eſt. Non procul hinc locus quidam eſt in mari, in quo eſt maxima corallij copia: & quoniam illud expiſcandi artem non nouerunt, Tuneti Rex Genuenſib. quibuſdam mercatoribus eius rei copiam fecit: qui quum propter pyratarū crebras iniurias nihil efficere poſſent, rurſum à Rege impetrarunt vt arcem in vicino loco exſtruerēt: verùm huius vrbis incolæ id nullo modo permittere voluerunt, affirmātes tali aſtutia oppidū aliquādo à Genuenſib. fuiſſe occupatum, ac poſtea à Tuneti Rege recuperatū.

### ¶ *Tefas.*

TEfas oppidum ab Afris in coſta cuiuſdam montis cōditum, diſtat à Bona Meridiem verſus centum ferè & quinquaginta miliaria. Incolis olim fuit frequentiſſimum, ædificiorum ſtructura ornatiſſimū, verum poſteà ab Arabibus deletum. Tandem nouis receptis incolis, remanſit per aliquot menſes à bello ſecurū deinde rurſum ab Arabibus fuit deſtructum. Poſtremò omnium (quoniam frumēti erat copioſiſſimum) à quibuſdam Afris, qui Haoaroa dicti ſunt, receptum fuit, idq́; auxilio cuiuſdam principis eius fratris qui Conſtantinę principem Eſaſiri Tuneti Regis filium interfecerat: nunc autem à Tuneti Rege funditus deſtructū eſt quid-

quid in oppido integri remanserat.

*Tebessa ciuitas.*

MAxima hæc atque munitissima ciuitas à Romanis in Numidię loco cõfini extructa, distat à mari Mediterraneo meridiem versus ducenta ferè miliaria, huius murus altissimus atque huiusmodi ferè lapidibus constructus, quales in Coliseo Romano videre licet: neque vspiam in tota Africa aut Europa tales vidisse muros memini. Domus tamen, reliquaque ædificia vilissima sunt: latissimus per huius ciuitatis partem præterfluit fluuius: reperiuntur in foro aliisq; cumpluribus in locis columnę quædam marmoreæ, quibus epigrammata atque sententiæ quædam Latinis sunt characterib. insclu ptæ: sunt & aliæ quædam marmoreæ columnæ quadratæ tecto quodam coopertæ. Huius planicies etsi aridiuscula, frugibus tamen est copiosissima. Est in loco quodam in quinto ab hinc miliario sito, tanta iuglandiũ copia, vt syluam densissimam esse dicas. Est huic oppido mons quidam vicinus, antris profundissimis refertus, in quibus gigantes aliquãdo inhabitasse putantur: verùm multis argumentis conuincitur à Romanis iis temporib. incisa fuisse, cùm illi vrbem ædificarẽt: desumpta enim saxa ex iisdem rupibus, vnde compositi sunt muri, quis non certissimũ videret? Incolæ auaritiæ, inhumanitati, moribusque agrestibus sunt addictissimi, perpetuum gerunt cum Tuneti Rege, nec non & cum vrbis rectoribus bellum: quare cùm quodam die Rex illac in Numidiam iter faceret, legatos in vrbem mi-

misit, vt quis esset ciuium erga principẽ animus sciscitarentur: his responsum est, Viuant huius ciuitatis muri. quare Rex indignatus, mox expugnata vrbe capite nonnullos truncauit, adeoque multis affecit incõmodis, vt ab eo tempore incolis nuda remanserit: hæc autẽ anno Hegiræ acta sunt noningentesimo decimoquinto, hoc est, à Christo nato millesimo quingentesimo sexto.

¶ *Vrbs.*

LOci nomẽ satis indicat à Romanis exstructum fuisse oppidũ, in amœnissima totius Africæ planiciæ positum, quæ assidua fontium irrigatione tam est frugibus omnibus copiosissima, vt inde satis frumenti Tunetũ (quod centum & nonaginta Meridiem versus distat miliaribus) atque ad alias circumiacentes regiones deuehatur. Reperias in eo oppido infinita propemodum monumenta Romanorũ, vt sunt statuæ marmoreæ, Latinis literis sententiæ muris vbique insculptæ: muri summa elegantia summoque artificio sumptuosissimi. Fuit autem Afrorum auxilio à Gothis occupatum, cùm in eo adhuc esset quicqd Romani sumptuosissimi aut diuitiarum in Africa habebant. Post hæc per aliquot annos incultum remãsit, deinde nouos recepit incolas, sic tamẽ vt pagus potius quàm oppidum haberi posset. Huic vicinus quidam præterfluit fluuius, cuius aqua limpidissima molas aliquot agit, sumitque suum ferè initium à colliculo quodam in dimidio miliari ab vrbe posito. Incolæ omnes aut telam texunt, aut agros colunt, maximisq; indies à Tuneti Rege afficiuntur

tur

tur incommodis. Verùm si tam illi quàm mihi nota esset huius regionis summa fertilitas, loci amœnitas, aërisque salubritas, non dubito quin statim relicto Tuneto ad hanc migraret regionem. Optimè Arabes illam nouerunt, qui maximam quotannis frumenti copiam hinc in sua conuehunt deserta.

### ¶ *Beggia.*

BEggia oppidum in monte quodam à Romanis conditum distat à mari Mediterraneo viginti fere passuum milibus, à Tuneto autem Occidentem versus plus minus octuaginta, ea via quæ Constantina Tunetum ducit. Verùm quandoquidem vox ea non sit Arabica, satis verisimile est primum nomen variis ab eo tempore mutationibus corruptum fuisse. Seruauit in hunc vsq; diem primos muros, oppidum munitissimum, atque de omnibus optimè prouisum. Frequentissima hic est textorum atque agricolarũ turba, ager illis amplissimus omnisq; generis frugibus adeò fecundus, vt non illius regiones coloni sufficere possent, nisi vicinos Arabes ad id operis sibi adiungerent comites: remanet tamen satis ampla agrorum pars inculta: ita vt plurimum quotannis frumenti Tunetũ mittant: maximis indies Regis Tuneti vexantur exactionibus, quę res facit vt paulatim indies illorum respub. minuatur.

### ¶ *Hain Samit.*

FVit hoc oppidum nostro æuo à Tuneti Rege conditum: distat à Beggia triginta ferè miliaria: eam autem ob causam exstru-

ſtructum fuiſſe dicunt,ne quod adhuc agrorum incultum remanſerat,vacuum foret. Deinde ab Arabibus,iubente interim Tuneti Rege,deletum fuit: nunc tantum turris aliáque quædam reperiuntur ædificia, quorũ nonnulla tectum adhuc habent,reliqua verò non.

¶ *Caſba.*

A Romanis in ampliſſima quadam planicie,quæ in circuitu duodecim continet miliaria, exſtructa fuit, diſtat à Tuneto in vigeſimoquarto miliario.Murus illi adhuc eſt munitiſſimus, cæterum oppidum ab Arabibus deletum,ager vbiq; incultus negligitur,idq; Tuneti Regis atq; illius regionis incolarũ incuria.

¶ *Choros caſtellum.*

AB Afris non multis ab hinc annis ad flumen Magridan conditum, à Tuneto octo ferè diſtat miliaria: agris feraciſſimis eſt cinctũ. Eſtque huic ſylua quędam vicina oliuis refertiſſima:tandem ab Arabibus quibuſdam deſtructũ fuit,qui Beni Heli appellati ſunt: hi perpetuum cum Tuneti Rege gerunt bellum,neque aliunde ſibi victum q̃ furtis atq; direptionib. quærunt.

¶ *Biſerta.*

BIſerta ciuitas antiquiſſima ad mare Mediterraneum in trigeſimo quinto à Tuneto ſita miliario,conditores habuit Afros,exiguæ eſt magnitudinis: incolæ miſerrimi ſunt. Eſt huic quidã fluuiolus vicinus, qui principio arctiſſimus deinde paulatim fluendo mirum in modum augetur. Vtrinque magna habitat piſcatorum atq; agricolarum frequentia.In Occidentali

tali autem fluminis parte spatiosissima quædam planicies, Mater vocant, frugibus serendis feracissima, verùm Tuneti Regis atque Arabum molestiis plus satis vexata. Maxima in hoc flumine capitur piscium copia: post mensem Octobrem genus quoddam piscis capitur quod apud Afros Giarapha appellatur, eundé piscem esse crediderim, qui Romanis Laccia appellatur: tum.n.pluuialis aquæ accessiõe, huius fluminis aqua dulcis efficitur, qualem maxime huiusmodi pisces amare dicũt. Altiss. est flumẽ, capiunturq; in eo pisces ad finẽ vsq; mensis Maij: sed ab eo tempore pisces minuuntur multoq; aridiores efficiuntur, quẽad modũ qui in flumine Fessæ vicino inueniuntur.

¶ *Cartago oppidum maximum.*

NOtissimũ hoc atque antiquissimũ oppidum à quodam populo exstructum fuit, qui ex Syria huc venerant. Alij verò à Regina quadam conditum malunt. Ibnu Rachich historiographus à quodam populo exstructum putat, qui Barca huc venerat, ab Ægypti Rege regno expulsus: Quare nihil est in præsentia quod de huius conditorib. affirmem: nam præterquam quòd variè Afri atq; Historiographi inter se dissentiunt, nemo est illorum qui inde aliquid scriptũ reliquerit, nisi post Romani imperij decrementum: quo tempore quotquot Romanorum in Africa reperti sunt, à Gothis regno fuerunt eiecti. Postremò autem Tripoli Barbariæ atq; Capis à Mahumetanis occupatis, duarum illarum vrbium incolæ Cartaginem venerunt, quò se nobiles Romanorum atque Gothorum

rum receperant, qui Mahumetanis resistere conati sunt: verùm post multa prælia, Romani Bonam profecti, Gothi verò Cartaginem Mahumetanis spoliandam atque delendam reliquerunt, quæ postea per aliquot annos inculta remansit, donec Pōtifex quidam Elmahdi nouas colonias introduxisset: vigesima tamen vix sui parte habitatores habuit. Visuntur in hunc diem aliquot tantùm muri reliquiæ idque vsque ad quandam cisternam latissimam atq; altissimam. remansit quoq; quidam aquæductus, qui aquam è monte quodam triginta inde distante miliaribus in vrbem ducebat, illi propemodū aquæductui similis qui & nunc Romæ visitur. Reperies quoque non procul à Cartagine antiquissima quædā ædificia, quorum descriptio memorię prorsus excidit. Habet aûtem Cartago tam in Occidente q̄ Meridie hortos omni fructuum genere copiosissimos, adeò vt inde ad Tuneti Regnum satis fructuum reportetur. Quæ huic loco vicina est planicies feracissima est, verùm non admodum spatiosa. Habet enim in Septentrione montē, mare, atque iam dictum flumen: in Oriente atque Meridie Bensart planiciei adiūgitur, nunc aûtem ciuitas ad extremum miseriarum atq; calamitatum est redacta: viginti tantū aut vigintiquinq; in ea reperiuntur mercatorum officinæ, domus aûtem vilissimæ numerum vix attingunt quingentesimum Nostris temporibus ornatissimum hic fuit exstructum templum, necnon & collegium amplissimum, quanquam nemo adhuc est qui in eo literis det operā. Ciues omnes etsi miser

atque lanam venalia habent, alij oleum atque sericum ad Numidas mittunt, telam aliaq; quamplurima dactilis & mancipiis cómutant. Neque vlla est in tota Barbaria regio, vbi tam paruo dactili emũtur. Solet Tuneti Rex Constantinæ imperium filiorum natu maximo dare: at qui nunc Regem Tuneti agit, primogenito Constantinam in manum dederat: qui cùm bellum contra Arabes mouere cœpisset, primo prælio periit. Deinde regnum ad secundum filium est deuolutum, qui propter nimiam vitæ intemperiem præmatura morte periit. Huic successit tertius atque minimus natu, iste propter nimiam insolentiam atq; impudentiam ab omnibus summo odio est habitus, adeò vt nonnulli Regem interficere decreuerant; quod postquã pater intellexit, filium per aliquot annos captiuum Tuneti seruauit. Post hæc & alio cuidam, qui à fide Christiana ad Mahumeticam legem desciuerat, Constantinæ imperium tradidit: huic enim non aliter ac proprio fratri fidebat, cuius etiam fidei sæpissimè periculum fecerat: hic per aliquot annos Rempub. summa cum tranquillitate administrauit. Est in hac vrbe in Septẽtrione arx quædam munitissima, eodem ferè tempore ædificata, quo ciuitas ipsa exstructa fuit: hæc multò quàm antea inexpugnabilior est facta, per quendam Elcaid Nabil, qui tum Regis vicẽ gerebat: maximè autem semper ea arx ciuitatem vicinosque omnes Arabes coarctauit, quorum ducem potentissimũ captiuum seruabat, neque prius dimisit quàm treis filios obsides reliquisset. Tandem verò eo

su

ſuperbiæ peruenit,vt monetam propriam cuderit,maximo interim Regis ac Principis contemptu, quem crebris tamen donis atque munerib. ſibi conciliare ſtudebat. Poſtquam igitur regni ſucceſſus à primo principio maximè differre viderunt, qui antea amauerant, ſummoq́; honore habuerant,cōtinuò animum omnem exuerunt, atque principem deſeruerunt. Et cùm in Numidia ciuitatem quandam obſideret,quá Peſcaram appellabant,ſenſit à nónullis ſibi inſidias parari: quare mox Conſtantinam redire cùm vellet,reperit occluſas portas:vnde ſtatim ad Tuneti Regem profectus, ab eodem in vinculis aſſeruatus fuit, neq; prius in priſtinam reſtitutus eſt libertatem, quàm centum millium aureorum ſummam Regi numeraſſet. Poſtea Regiis adiutus copiis in regnum fuit reſtitutus: deinde cùm in vrbis quoſdam primarios ſæuire cœpiſſet,rurſus ciues ad arma vocauit, qui mox arcem eam ad quā confugerat obſidione cinxerūt, quæ res tantam principi adtulit mœſtitiam,vt intra paucos dies animi dolore interierit. Populus autem vbi in gratiam cum Rege rediiſſet, nullum ab eo tempore extraneum principem recipere voluerunt: quare iterum Tuneti Rex filios ſuos miſit, quēadmodum antea dictum eſt. Ager illis eſt frugibus omnibus feraciſſimus. Habet fluuius qui in ea planicie præterfluit hortos vtrinque feraciſſimos, ſi rectè colerentur. Extra hanc ciuitatem egregia viſuntur ædificia,atq; antiquiſſima. Diſtat ab vrbe in ſeſquimiliario arcus quidam triumphalis,quales Romæ nōnullos videre licet:

vulgus arcem fuiſſe putat,in qua infiniti ſe continebant dæmones, vnde à Mahumetanis eiectos dicunt, cùm illi Conſtantinam inhabitarent. Ad flumé quibuſdam gradibus deſcenditur rupi inciſis: in ipſo autem flumine domus quædam eſt rupi quoque ſic inciſa, vt tectum, columnæ, & muri vnâ tantùm efficiant partem, hic Conſtantinæ mulieres panniculos abluere ſolent. Eſt quoq; huic oppido vicinũ quoddam balneũ aquæ calidæ, quæ inter rupes fluendo diffunditur:hic maxima eſt teſtudinum copia,quas eius ciuitatis mulieres dæmones dicunt: & quoties contingit aliquem corripi febre,aut alio quouis morbo, illud mox à teſtudinibus profectum putant. Huic autem rei huiuſmodi repertũ eſt remedium : Gallinam quandam albam mactant, & adhuc plumis veſtitam in lance quadam reponunt,quam cereis circumcinctam ardentibus ad fontem deferunt:qua re à nonnullis animaduerſa, mox ad fontem taciti ſequuntur, ac gallinas inde in ſuam culinam conferunt. Diſtat aliquantò longius ab vrbe, Orientem verſus, fons quidam aquæ frigidiſſimæ, cui ædificium marmoreum vicinum eſt, figuris quibuſdam hieroglificis inſignitum, quales Romæ aliiſque permultis Europæ locis vidi. Illi verò putant aliquando ludum fuiſſe literarium,cuius quoniam tam profeſſores quàm diſcipuli vitioſiſſimi erát, in marmor mutatos dicunt. Incolæ bis in anno maximá in Numidiam ſolent mittere mercium copiam: & quoniam iter à latronibus Arabibus nó admodum ſecurum ſciunt, Turcas quoſdam

ſclo

sclopetarios grandi pecunia cõductos secum ducunt. Constantinæ autem mercatores Tunetum proficiscentes nullum omnino tributum persoluunt, nisi quòd fortasse ad Constãtinæ egressum pro centum aureorum mercatura, duorum aureorum cum vnius aurei dimidio tributum persoluant.

¶ *Mela oppidum.*

A Romanis in duodecimo à Constantina miliario extructũ, munitissimisq; muris cinctum, familiarum numerauit tria ferè millia: rara autem hodie hic sunt ædificia, idque propter belli iniuriam. Est hic artificum sic satis copiosus numerus: horum maxima pars pannum texunt, vnde lodices conficiuntur. Est hic in foro fons quidam limpidissimus, Ciues validissimi, verùm rudiori ingenio præditi. Maxima hic est non fructuum modò, vnde deductum nomen putant, verùm & carnium frugumque copia. Ad hanc ciuitatem Constantinæ princeps iudicẽ quendam singulis annis mittere solet, qui apud hos lites definiat, vrbisq; redditus annuos recipiat: fitq; sæpenumero vt huiusmodi iudex à populo interficiatur.

¶ *Bona oppidum antiquissimum.*

A Mari Mediterraneo in centesimo ferè & vigesimo miliario à Romanis fuit conditum, Hypponem antiqui vocauerunt, vbi Diuus ille Augustinus Episcopum egit. Paruit primò Gothorũ imperio, deinde à quodam Hutmeno tertio post Mahumetẽ Pontifice occupatum atq; incendio deletum fuit. Post mul-

tos deinde annos nouam quandam vrbem in secundo ab hac miliario iisdem ferè lapidibus exstruxerunt, qui Bonæ ciuitati detracti fuerant: noua autem Beld Elhuneb, hoc est, Ziziphorum ciuitas est appellata, propter magnã eius fructus copiam: hunc autem fructum Sole exsiccatum, in hyemem seruant. Trecentesima ferè numeratur familia, domus omnes atq; alia ædificia vilissima sunt, nisi quòd ad mare templum quoddam elegantissimum visitur. Incolæ omnes ingenio sunt liberali, horum nonnulli mercaturam, alij artem aliquam exercẽt. Bona apud hos telæ conficitur copia, quæ apud Numidas vtplurimũ deferri solet. Huius oppidi ciues interfectis aliquando rectoribus, ausi sunt & Tuneti Regem minitari: atque ipsam vrbem proculdubio Christianis tradidissent, nisi à Tuneti Rege optimè cautum fuisset. Inuenias in hac ciuitate scelestissimos quosdam homines, qui cùm vestitu vtantur abiectissimo, ab huius ciuitatis incolis summo habentur in honore. Nulli hic fontes: nulla aqua illis est præterquam pluuialis, quam illi cisternis quibusdam asseruare solent. Ad Orientale latus arx quædam est munitissima à Tuneti Rege ædificata, hic se vrbis præfectus à Rege cõstitutus continere solet. Huic oppido spatiosissima quædam est planicies, cuius longitudo quadraginta, latitudo autem vigintiquinque continet miliaria: hæc frugibus ferendis est fœlicissima, ab Arabibus quibusdam colitur, quos Merdez appellant: maxima his est armentorum atq; pecudum affluentia, pecuniæ verò summa penuria

nuria: hi bonã butyri copiam Bonam quotidie deferunt. Solent in hanc ciuitatem quotannis Tunetani, Gerbenses, atq; Genuenses confluere, maximamq; frugum atq; butyri copiam emere. Singulis diebus Veneris extra vrbem nõ procul à muris mercatum habent, qui in vesperam vsq; frequentissimus est. Non procul hinc locus quidam est in mari, in quo est maxima corallij copia: & quoniam illud expiscandi artem non nouerunt, Tuneti Rex Genuensib. quibusdam mercatoribus eius rei copiam fecit: qui quum propter pyratarũ crebras iniurias nihil efficere possent, rursum à Rege impetrarunt vt arcem in vicino loco exstruerẽt: verùm huius vrbis incolæ id nullo modo permittere voluerunt, affirmãtes tali astutia oppidũ aliquãdo à Genuensib. fuisse occupatum, ac postea à Tuneti Rege recuperatũ.

¶ *Tefas.*

TEfas oppidum ab Afris in costa cuiusdam montis cõditum, distat à Bona Meridiem versus centum ferè & quinquaginta miliaria. Incolis olim fuit frequentissimum, ædificiorum structura ornatissimũ, verum postea ab Arabibus deletum. Tandem nouis receptis incolis, remansit per aliquot menses à bello securũ deinde rursum ab Arabibus fuit destructum. Postremò omnium (quoniam frumẽti erat copiosissimum) à quibusdam Afris, qui Haoaroa dicti sunt, receptum fuit, idq; auxilio cuiusdam principis eius fratris qui Constantinę principem Euasiri Tuneti Regis filium interfecerat: nunc autem à Tuneti Rege funditus destructũ est quid-

quid in oppido integri remanſerat.

## ¶ *Tebeſſa ciuitas.*

MAxima hæc atque munitiſſima ciuitas à Romanis in Numidię loco cõfini extructa, diſtat à mari Mediterraneo meridiem verſus ducenta ferè miliaria, huius murus altiſſimus atque huiuſmodi ferè lapidibus conſtructus, quales in Coliſeo Romano videre licet: neque vſpiam in tota Africa aut Europa tales vidiſſe muros memini. Domus tamen, reliquaque ædificia viliſſima ſunt: latiſſimus per huius ciuitatis partem præterfluit fluuius: reperiuntur in foro aliiſq; cumpluribus in locis columnę quædam marmoreæ, quibus epigrammata atque ſententiæ quædam Latinis ſunt characterib. inſcluptæ: ſunt & aliæ quædam marmoreæ columnæ quadratæ tecto quodam coopertæ. Huius planicies etſi aridiuſcula, frugibus tamen eſt copioſiſſima. Eſt in loco quodam in quinto ab hinc miliario ſito, tanta iuglandiũ copia, vt ſyluam denſiſſimam eſſe dicas. Eſt huic oppido mons quidam vicinus, antris profundiſſimis refertus, in quibus gigantes aliquãdo inhabitaſſe putantur: verùm multis argumentis conuincitur à Romanis iis temporib. inciſa fuiſſe, cùm illi vrbem ædificarẽt: deſumpta enim ſaxa ex iiſdem rupibus, vnde compoſiti ſunt muri, quis non certiſſimũ videret? Incolæ auaritiæ, inhumanitati, moribusque agreſtibus ſunt addictiſſimi, perpetuum gerunt cum Tuneti Rege, nec non & cum vrbis rectoribus bellum: quare cùm quodam die Rex illac in Numidiam iter faceret, legatos in vrbem mi-

misit, vt quis esset ciuium erga principē animus sciscitarentur: his responsum est, Viuant huius ciuitatis muri. qua re Rex indignatus, mox expugnata vrbe capite nonnullos truncauit, adeoque multis affecit incōmodis, vt ab eo tempore incolis nuda remanserit: hæc autē anno Hegiræ acta sunt noningentesimo decimoquinto, hoc est, à Christo nato millesimo quingentesimo sexto.

¶ *Vrbs.*

Loci nomē satis indicat à Romanis exstructum fuisse oppidū, in amœnissima totius Africæ planiciæ positum, quæ assidua fontium irrigatione tam est frugibus omnibus copiosissima, vt inde satis frumenti Tunetū (quod centum & nonaginta Meridiem versus distat miliaribus) atque ad alias circumiacentes regiones deuehatur. Reperias in eo oppido infinita propemodum monumenta Romanorū, vt sunt statuæ marmoreæ, Latinis literis sententiæ muris vbique insculptæ: muri summa elegantia summoque artificio sumptuosissimi. Fuit autem Afrorum auxilio à Gothis occupatum, cùm in eo adhuc esset quicqd Romani sumptuosissimi aut diuitiarum in Africa habebant. Post hæc per aliquot annos incultum remāsit, deinde nouos recepit incolas, sic tamē vt pagus potius quàm oppidum haberi posset. Huic vicinus quidam præterfluit fluuius, cuius aqua limpidissima molas aliquot agit, sumitque suum ferè initium à colliculo quodam in dimidio miliari ab vrbe posito. Incolæ omnes aut telam texunt, aut agros colunt, maximisq; indies à Tuneti Rege afficiuntur

tur

tur incommodis. Verùm si tam illi quàm mihi nota esset huius regionis summa fertilitas, loci amœnitas, aërisque salubritas, non dubito quin statim relicto Tuneto ad hanc migraret regionem. Optimè Arabes illam nouerunt, qui maximam quotannis frumenti copiam hinc in sua conuehunt deserta.

¶ *Beggia.*

BEggia oppidum in monte quodam à Romanis conditum distat à mari Mediterraneo viginti fere passuum milibus, à Tuneto autem Occidentem versus plus minus octuaginta, ea via quæ Constantina Tunetum ducit. Verùm quandoquidem vox ea non sit Arabica, satis verisimile est primum nomen variis ab eo tempore mutationibus corruptum fuisse. Seruauit in hunc vsq; diem primos muros, oppidum munitissimum, atque de omnibus optimè prouisum. Frequentissima hic est textorum atque agricolarũ turba, ager illis amplissimus omnisq; generis frugibus adeò fecundus, vt non illius regiones coloni sufficere possent, nisi vicinos Arabes ad id operis sibi adiungerent comites: remanet tamen satis ampla agrorum pars inculta: ita vt plurimum quotannis frumenti Tunetũ mittant: maximis indies Regis Tuneti vexantur exactionibus, quę res facit vt paulatim indies illorum respub. minuatur.

¶ *Hain Samit.*

FVit hoc oppidum nostro æuo à Tuneti Rege conditum: distat à Beggia triginta ferè miliaria: eam autem ob causam exstru-

ſtructum fuiſſe dicunt,ne quod adhuc agrorum incultum remanſerat,vacuum foret. Deinde ab Arabibus,iubente interim Tuneti Rege,deletum fuit: nunc tantum turris aliaq́ue quædam reperiuntur ædificia, quorũ nonnulla tectum adhuc habent,reliqua verò non.

*Caſba.*

A Romanis in ampliſſima quadam planicie,quæ in circuitu duodecim continet miliaria, exſtructa fuit, diſtat à Tuneto in vigeſimoquarto miliario.Murus illi adhuc eſt munitiſſimus, cæterum oppidum ab Arabibus deletum,ager vbiq; incultus negligitur,idq; Tuneti Regis atq; illius regionis incolarũ incuria.

*Choros caſtellum.*

AB Afris non multis ab hinc annis ad flumen Magridan conditum, à Tuneto octo ferè diſtat miliaria: agris feraciſſimis eſt cinctũ. Eſtq́ue huic ſylua quędam vicina oliuis refertiſſima:tandem ab Arabibus quibuſdam deſtructũ fuit,qui Beni Heli appellati ſunt: hi perpetuum cum Tuneti Rege gerunt bellum,neque aliunde ſibi victum q̃ furtis atq; direptionib.quærunt.

*Biſerta.*

BIſerta ciuitas antiquiſſima ad mare Mediterraneum in trigeſimo quinto à Tuneto ſita miliario,conditores habuit Afros,exiguæ eſt magnitudinis: incolæ miſerrimi ſunt. Eſt huic quidã fluuiolus vicinus, qui principio arctiſſimus deinde paulatim fluendo mirum in modum augetur. Vtrinque magna habitat piſcatorum atq; agricolarum frequentia.In Occidentali

tali autem fluminis parte ſpatioſiſſima quædam planicies, Mater vocant, frugibus ſerendis feraciſſima, verùm Tuneti Regis atque Arabum moleſtiis plus ſatis vexata. Maxima in hoc flumine capitur piſcium copia: poſt menſem Octobrem genus quoddam piſcis capitur quod apud Afros Giarapha appellatur, eundẽ piſcem eſſe crediderim, qui Romanis Laccia appellatur: cum.n. pluuialis aquæ acceſſiõe, huius fluminis aqua dulcis efficitur, qualem maxime huiuſmodi piſces amare dicũt. Altiſſ. eſt flumẽ, capiunturq; in eo piſces ad finẽ vſq; menſis Maij: ſed ab eo tempore piſces minuuntur multoq; aridiores efficiuntur, quẽad modũ qui in flumine Feſſæ vicino inueniuntur.

¶ *Cartago oppidum maximum.*

NOtiſſimũ hoc atque antiquiſſimũ oppidum à quodam populo exſtructum fuit, qui ex Syria huc venerant. Alij verò à Regina quadam conditum malunt. Ibnu Rachich hiſtoriographus à quodam populo exſtructum putat, qui Barca huc venerat, ab Ægypti Rege regno expulſus: Quare nihil eſt in præſentia quod de huius conditorib. affirmem: nam præterquam quòd variè Afri atq; Hiſtoriographi inter ſe diſſentiunt, nemo eſt illorum qui inde aliquid ſcriptũ reliquerit, niſi poſt Romani imperij decrementum: quo tempore quotquot Romanorum in Africa reperti ſunt, à Gothis regno fuerunt eiecti. Poſtremò autem Tripoli Barbariæ atq; Capis à Mahumetanis occupatis, duarum illarum vrbium incolæ Cartaginem venerunt, quò ſe nobiles Romanorum atque Gothorum

rum receperant, qui Mahumetanis resistere conati sunt: verùm post multa prælia, Romani Bonam profecti, Gothi verò Cartaginem Mahumetanis spoliandam atque delendam reliquerunt, quæ postea per aliquot annos inculta remansit, donec Pôtitex quidam Elmahdi nouas colonias introduxisset: vigesima tamen vix sui parte habitatores habuit. Visuntur in hunc diem aliquot tantùm muri reliquiæ idque vsque ad quandam cisternam latissimam atq; altissimam. remansit quoq; quidam aquæductus, qui aquam è monte quodam triginta inde distante miliaribus in vrbem ducebat, illi propemodũ aquæductui similis qui & nunc Romæ visitur. Reperies quoque non procul à Cartagine antiquissima quædã ædificia, quorum descriptio memoriç prorsus excidit. Habet aûtem Cartago tam in Occidente q̃ Meridie hortos omni fructuum genere copiosissimos, adeò vt inde ad Tuneti Regnum satis fructuum reportetur. Quæ huic loco vicina est planicies feracissima est, verùm non admodum spatiosa. Habet enim in Septentrione montẽ, mare, atque iam dictum flumen: in Oriente atque Meridie Bensart planiciei adiungitur, nunc autem ciuitas ad extremum miseriarum atq; calamitatum est redacta: viginti tantũ aut vigintiquinq; in ea reperiuntur mercatorum officinæ, domus autem vilissimæ numerum vix attingunt quingentesimum. Nostris temporibus ornatissimum hic fuit exstructum templum, necnon & collegium amplissimum, quanquam nemo adhuc est qui in eo literis det operã. Ciues omnes etsi mi-

ser

ſerrimi ſint,multa tamen ſuperbia inflantur. Videnturque magnam præ ſe ferre religionem. Horum maxima pars aut hortos aut agros colit,verum Regiis exactionibus miſerrime quotidie vexantur.

¶ *Maximæ Tuneti ciuitatis exactiſsima deſcriptio.*

TVnetum ab Arabibus Tunus appellatur, quanquã illi corruptum eſſe vocabulum putent, eò quòd nihil ea vox apud illos ſignificet: apud antiquos Tharſis eſt appellata, qualis ea quæ in Aſia eſt. Principiò anguſtiſſimum fuit oppidulum ab Afris ad lacum quendam exſtructum, quod à mari Mediterraneo circiter duodecim diſtabat miliaria. Deleta verò Cartagine, cœpit Tunetum cùm ędificiis tum & incolis mirum in modum augeri. Nam qui tum temporis Cartaginem incolebant, nullo modo illic remanere voluerũt, timebant enim ne quid auxilij ex Europa mitteretur; quare Tunetum profecti ſunt, quã vrbem ædificiis maximè tum locupletarunt. Venit poſtea quidam Hucba Vtmenus Pontifex quartus, hic perſuaſit nullum exercitum debere in maritimis ciuitatibus morari, quare aliam quandam ciuitatem ædificauit, Cairaoan appellauerunt, diſtabat autem à mari Mediterraneo triginta, à Tuneto centũ ferè miliaria: huc ſe exercitus relicto Tuneto contulit, atque eius loco alius quidam populus Tunetum eſt introductus. Poſt hæc annis circiter centum & quinquaginta Cairaoan oppidum ab Arabibus occupatũ fuit, huius princeps inde expulſus

Bu-

Bugię regno imperauit: Tuneti autẽ affines quoſdam habuit, penes quos totius ciuitatis erat imperium. Decem deinde annis Bugia à Ioſepho Teſſini filio occupata fuit, qui poſtquam huius principis humanitatem intellexit, regno illum expellere noluit: ſed quandiu penes ſuos poſteros imperium remaneret, Bugiæ regnũ ab omni iniuria liberum eſſe voluit. Deinde poſtquã Abdul Mumen Marocci Rex Mahdiam Chriſtianis ademiſſet, Tuneto iter faciens id ſibi imperium vſurpauit. Tranquilliſſimè igitur Tunetum Marocci Regis imperio paruit, tantiſper dum penes Abdul, eius filium Ioſephum, ac deinceps eorum ſucceſſores Iacobum & Manſorem ſtetit imperium. Poſt mortẽ verò Manſoris eius filius Mahumetes Emaſir cõtra Hiſpaniæ Regem bellum mouere cœpit, vnde ſuperatus Maroccum fugit, vixitq; deinde non multis annis. Fratri mortuo ſucceſſit Ioſephus, qui à quibuſdam Regis Teleſini militibus interfectus fuit. Statim poſt Mahumetis excidium, Arabes Tuneti territorium rurſus inhabitare, vrbemq́ue crebris obſidionibus vexare cœperunt: quare Tuneti princeps Marocci Regi per Legatos nunciauit, niſi ſtatim auxiliares mitteret copias, ipſe Tunetum Arabibus relinquere cogeretur: quare Rex ducẽ quendam (Habduluaidi nominabãt, è Sicilia natum) cum viginti nauium claſſe Tunetum miſit, quam iam ab Arabibus occupatã inuenit: verùm tanta huic fuit eloquentia, vt omnia ſuo conſilio in priſtinum ſtatum reſtituerit, atque prouẽtus annuos receperit. Patri ſucceſſit Abu Zacharias, qui patrẽ

eruditione ingenijque dexteritate superauit. Arcem quandam in Tuneti partem Occidentalem loco eminentiori condidit, quam maximis ædificiis temploq; sumptuosissimo ornauit. Deinde ad Tripolitanum Regnum profectus atque per regiones Meridiones rediens, annuos omnes illarum regionum prouētus sibi recepit: adeò vt ab obitu maximam reliquerit pecuniarū copiam. Huic successit filius, qui cùm multa esset superbia tumidus, Marocci regi parêre noluit, eò quod iam id regnum decrescere cœperat: tum quoque sibi Marinorū genus, regnum Fessæ, Beni Zeyeni Telensini atque Granatę occupauerant. Deinde variis inter regiones illas ortis dissidiis, Tuneti imperium maximè augeri cœpit. Rex cum exercitu Telensinum profectus, tributum sibi numerari voluit. Quare Marinorū Rex, qui per id tempus Maroccum obsidione vexabat, Tuneti Regis amicitiam per legatos petiuit, quam & impetrauit, amplissimis interim missis munerib. Rediit igitur Rex Tunetum victor, vbi maximo cum triumpho exceptus totius Africę Regem appellauerunt, quandoquidem nō erat eo tempore in tota Africa princeps qui cum eo erat conferendus. Regiam igitur instituere cœpit, duces, consules, aliasq; omnes dignitates elegit, quæ ad Regiam pertinere videbātur: iisdemq; prorsus vsus est ritibus, quæ in Marocci Regis aula obseruari consueuerant. Ab hoc igitur principe ad nostra vsque tempora adeò Tuneti accreuit Respub. vt totius Africæ opulentissima sit appellata. Huius filius quum post obitum patris ad Regnum peruenis-

uenisset, amplissimis ædificiis suburbium locupletauit. Vicum quendam ad portã Beb Suuaica ædificauit,qui trecẽtas fere numerabat familias: Alterũ ad portam Beb el Manera exstruxit, qui plus minus mille familiarũ fuit capax. Frequentissima in vtroq; est artificum multitudo,in posteriori omnes Tuneti Christiani habitant, qui in Regis custodiam electi sunt: adiunctus est ab eo tempore & tectius quidam vicus ad Maritimam portam Beb el Bahar dictam,quę à sinu in dimidio tantum abest miliario.Huc se Genuenses,Veneti,reliquique oẽs mercatores Christiani conferunt, habentque sua extra Maurorum tumultum hospitia secretiora: est autem hic vicus tantę amplitudinis, vt tam Christianorũ quàm Maurorum familias trecentas numeret, domus autem humiles sunt atq; aliquantulum arctiores. Huius ciuitatis domus, cum iis quæ in suburbiis sunt additæ,numerũ attingunt decies ferè millesimum. Ornatissimum hoc oppidum atq; incolis frequentissimum, singulis habet artibus suum assignatũ locum. Infinitus propemodum hic est telæ textorum numerus, tela autem subtilissima per totã Africam distrahitur,maximoq; venditur. Est huius oppidi fœminis mirus quidam nendi modus : eminentiori enim quodam loco sedentes,aut in superiori domus parte, fusum aut per fenestrã,aut per foramen quoddam tabulati,in subiectam demittunt contignationẽ, adeò vt fusi pondus filum maximè æquale atq; politum reddat. Habent autem telæ mercatores complures hic officinas,atque pro ditissimis to-

tius Tuneti habentur ciuibus: non hic aromatariorum, non ſartorum, omniumque deniq; exercitiorum maximâ deſiderabis copiam: innumeri hic laniones in macello frequentiſſimo, qui ouillas carnes vtplurimum venales habent, idque Veris atque æſtatis præſertim tempore: reperitur & hic omnis generis infinitus propemodum artificum numerus, quorum enumeratio non tam prolixa quàm tædioſa eſſet. Ingenium omnibus eſt liberale: veſtitus mercatoribus, ſacerdotibus ac doctoribus, ſatis eſt decorus. Dulipanum in capite gerũt, quod prolixo admodum linteo tegitur: dulipanum quoq; aulici omnes atque milites gerunt, verùm non eodem modo linteo tectum. Diuitum non admodum copioſus eſt numerus, idq; fortaſſe propter frumenti omniumq; adeo frugum ſummam caritatem: non enim illis licet agrum vel minimo interuallo ab vrbe ſitum colere, propter crebras Arabum incurſiones. Frumentum illis ex aliis aduehitur regionibus atq; ciuitatibus, quales ſunt Vrbs, Beggia, & Bona. Huius oppidi ciues nonnulli agros in ſuburbiò muris cinctos habent, vbi nonnihil hordei atque frumenti ſerunt, ſolum tamen adeò eſt aridum, vt frequentiſſima egeat irrigatione: quare & ſingulis ſuus eſt puteus, vnde aquam rota quadam, quam mulus aut camelus agit exhauriunt, atque ductibus quibuſdam ad id paratis totam irrigãt agri ſuperficiẽ: nunc mihi quęſo ſupputa, quantum frumenti ex tantillo campo muris incluſo ſummoq; artificio irrigato colligi poſſit: panem pinſunt optimũ, furfure tamen ſeruato vnà cum

fru

frumēto, maſſam piſtillis quibuſdam pinſitant, quibus in contundendo lino Ægyptij vti ſolent. Mercatores & reliqui ferè ciues pulte quadam vi liſſima ex hordei farina in maſſam propemodū reducta veſcuntur, huic aut oleum, aut malorum citreorum ius infundunt, pultem vulgò Beſis appellitant. Eſt hic locus quidam, vbi nihil aliud quàm hordeum huic pulti paratum venale reperias: veſcuntur & alio quodam non admodum honeſtiori cibo: farinę maſſam aqua optimè coctam alio quodam vaſe piſtillo quodam agunt atq; oleo aut carnium iure madidam vorant potius quàm edunt: cibum hunc Beſin vocant: veſcuntur quidem ditiores cibis aliquantulo delicatioribus. Nulla illis eſt mola (niſi fortaſſe ad riuum quendam non procul ab vrbe ſitū) quæ non aut mulo, aut aſino agatur: nullus hic fons, nullum flumē, nullúsue puteus eſt: aquā omnes pluuialem è ciſternis quibuſdā petunt, niſi quòd in ſuburbio puteus eſt, vnde aquā ſalſam exhauriunt, atq; baiulis quibuſdam in vrbem venalem conuehunt, ſalubriorem enim potuiq; commodiorē putant quàm pluuialem. Eſt quidem puteus qui aliquantulo tolerabiliorē præbet aquā, verùm ea principi eiuſque aulicis ſeruatur. Eſt in hoc oppido ampliſſimū quoddam templum, ſacerdotum numero atque annuis prouentibus opulentiſſimum. Reperiuntur & alia vbiq; templa, ſed quæ non adeò amplam habent prouentuum copiam: non hic collegia deſunt, neq; ad illorum ritum extructa monaſteria, quę omnia communi ciuium fouentur eleemoſyna. Repe-

riuntur in hac vrbe nonnulli, quos insanire planè dixeris, hi lapides semper circumferũt, nudis pedibus apertoque capite incedunt, atque à populo ceu eximię sanctitatis viri venerantur. Adde quod Tuneti Rex cuidam ex his monasteriũ exstruxit, eique cum omnibus affinibus amplissimam legauit prouentuũ copiam, Sidi el Dahi vocabant. Domus omnes sic satis ornatæ, lapidibus elegantissimis multoque museaco elegantissimæ. Miro quodam artificio gypsum incidunt, coloribusque elegantissimis depingunt: est enim hic lignorum maxima inopia, in quibus egregij quiddam insculpi posset. Cubiculorum solum lapidibus quibusdam pellucidis atque elegantissimis sternitur: suntq; omnes ferè domus vnius dumtaxat contignationis: his autem singulis ferè duæ sunt portæ, quarum prior plateam respicit, posterior in culinam reliquamq; domus partem ducit. Solent autem atrium inter vtramque portam elegantissimum exornare, vbi cum amicis confabulari possint. Balnea hic multò commodiora quàm Fessę reperias, quanquã non tam ampla atq; sumptuosa. In suburbiis frequentissimi atque amœnissimi sunt horti, qui fructum, etsi non magna copia, præstantissimum tamen producunt; satis bona hic malorum citreorum, rosarum, omnisque generis florum prouenit copia, eo pręsertim loco qui Bardo illis appellatur, vbi regium visitur palacium hortis vndique amœnissimis cinctum. Habet quoq; hæc ciuitas ab omni parte in quarto aut quinto miliario cãpos oliuis copiosissimos, vnde tantum olei conficiunt

ficiunt, vt nō ciuitati solùm satis sit, verùm & ad Ægyptum quoque bonam inde mittant quantitatem: ligna autem ex oliuis decisa igni committere solent, indeq; carbones conficere: neq; puto vspiam maiorem esse lignorum inopiam. Nonnullarum fœminarum inopia frequentissimè in causa est quò minus integram seruent castitatē: ornate quidem vestiuntur, domumq́ue egressę ad Fessanarū morem faciem tegunt: pannus enim latus frontem tegit, cui & alter quidam subiungitur, quem Setfari appellant: caput autem tam multis obuoluunt panniculis, vt ea parte gigantem referant. Omnē ferè substantiam omnemq́; adeò curam persumis atque huiusmodi deliciis insumūt. Est apud hos cibus quidam sumptuosissimus, qui illis vulgo Lhasis vocatur, cuius qui vnciam vnam sumpserit, perinde atque si ebrius esset ridere, iocari atque ineptire incipit: maximeq́ue ad libidinem prouocatur.

¶ *De Tuneti Regis aula, deq́; variis in ea ritibus atque ceremoniis.*

Tuneti Regi hęreditario iure regnum adepto, nobiles omnes, doctores, sacerdotes, atque iudices iuramento se astringunt. Patri mortuo statim in regnum succedit filius: mox qui summam habet inter aulicos dignitatem (Munafid dicunt, eò quòd Regis vicem suppleat) se continuò nouo Regi offert, omniumq́; earum rerum rationem exhibet, quæ ab eo dum adhuc pater viueret, gesta sunt: deinde iubente Rege nobiles pro sua quisque autoritate dignitates atq; officia à Munafid accipiunt. Est & alius

quidam,quem Mesnare vocant,hoc est,militum præfectus primarius: ille militum numerum augendi, diminuendi, stipendia numerandi, exercitum mouendi, atq; quocunque velit ducendi potestatem habet. Castellanus tertiam habet dignitatem, hic cum suis militibus tantùm castri Regisq́ue custodiæ curam gerit: hic quoq; in captiuos animaduertere solet qui in castrum adducti sunt,non aliter ac si Rex ipse esset. Quartũ locum obtinet vrbis præfectus,huius est Remp. administrare, atque in malos animaduertere. Quintum ordinẽ occupat qui Regi est à secretis, huic scribendi atque respondendi Regis nomine potestas data est: huic etiã literas omnes,iis tantùm exceptis qui ad Castellanum atq; vrbis præfectum missæ sunt,aperire & legere licet. Sextus in ordine est,qui auditorio Regio præficitur: hic muros tapetis ornare,omnib9q; suum assignare locum solet,per Legatum quendam Senatũ conuocat, estq; illi maxima cum Rege familiaritas, quo cum quoties lubitum est confabulari licet. Septimus in honore est, qui Regi est à thesauris: hic redditus omnes,tributa,annuosq́; census recipit,atq; Munafido,Regis tamen subscriptione, enumerat. Octauus earum mercium tributum recipit quæ terrestri itinere huc aduehuntur,nec non & exterorum mercatorũ tributum, qui pro centum aureis, duos cum vnius dimidio persoluere coguntur: huic aliquot sunt exploratores, qui quoties aliquem mercatorẽ aduenisse sciunt, continuò ad herum adducunt, quo absente captiuum tantisper detinent,donec præsente præfecto

fecto omnium illorum tributum numerauerit quæ secũ adduxit, ac sic tandem multis astrictus iuramentis dimittitur. Nonus autẽ earum tantùm mercium tributa recipit, quæ per mare huc aduehuntur, continetq; se in domo quadam ad maris sinum exstructa. Decimum locum habet Architriclinus, qui panes, carnes, aliaq; suppeditare solet, quæ ad victum necessaria sunt, fœminas omnes regiasq; vxores, necnon & eunuchos vestit, atq; mancipia ex Nigritarũ solo aduecta, quæ Regi ministrãt. Hic quoque Regis filiorum eorumq; nutricum curam gerit, officia quoque inter Christianorum mancipia disponit. Habes hic pręcipua huius Regiæ officia, reliqua quoniã lectorem tædio afficerent, consultò omisimus. Habet Tuneti Rex mille & quingentos milites expeditissimos, quorum pars maxima à Christi lege desciuerunt: his satis amplum numeratur stipendium. habent autem & suum ducem, qui numerum eum augendi ac diminuendi potestatem habet. Sunt & alij numero centum & quinquaginta milites Mauri, penes hos castra mouẽdi atque remouendi potestas est. Habet præterea & balistarios aliquot, qui quocunque equitantem Regem semper comitantur: Regi tamẽ omnium proxima illorum Christianorũ est custodia, quos in suburbio habitare antea diximus. Regem custodia quædam peditum præcedit, hi oẽs Turcæ balistarij atq; ferentarij. Regem immediatè præcedunt præcursores, vulgò à pedibus appellati: præfectus à latere altero equo insidet qui Regis iaculum, ab altero verò qui eiusdem fert scutũ,

à tergo ſequitur qui Regiam vehit baliſtam. Sunt & alij quidam qui Regem comitantur, quorum enumerationẽ ne prolixi eſſemus, hoc loco anneƈtere non libuit. Habes hic ritus præcipuos priſcorum Tuneti Regum, maximè ab iis differentes, quibus vtitur qui nũc Regem agit. Multa hoc loco occurrunt, quæ de huius Regis viciis recenſere poſſem, à quo ampliſſima me recepiſſe beneficia fateor, verùm id huius iam non eſt inſtituti: hoc ſaltim affirmare poſſim, eum in exigendis à ſubditis maximis pecuniis, mirum eſſe artificem. Ipſe verò inter mulieres, cantores, hiſtriones, aliasq; id genus delicias, nũc in palacio, nunc in hortis ſeſe continet. Quoties autẽ Muſicum aliquem ad ſe accerſi iubet, is non niſi obduƈtis oculis ad falconum morem introducitur. Tuneti aureum vigintiquatuor carata, vt vocant monetarij, continet, hoc eſt, aureum vnum Europæ cũ vnius aurei parte tertia: cudit & argenteam quandam monetam figura quadratã, quæ ſex caratis pendet, huius .xxx. aut .xxxij. aureo æquiualent, Naſari appellant: Itali Tuneti aureum Doble vocant. Hęc autem de Tuneti Rege, de eiusq; ritibus annotaſſe ſufficiat.

¶ *Neapolis.*

ANtiquiſſimũ oppidulum à Romanis ad mare Mediterraneum exſtruƈtum, diſtat Orientẽ verſus à Tuneto in duodecimo ferè miliario, in quo Mauri quidam Nabel appellati inhabitant. Incolis quondam fuit copioſiſſ. nunc autem ruſtici quidam inhabitant, qui agrũ lino tantùm accommodum colunt.

¶ *Cam*

¶ *Cammer.*

EIusdem ferè antiquitatis oppidum Cartagini vicinum, à Tuneto autem in octauo miliario positum Septentrionem versus. Incolarum numero frequētissimum est, olitores sunt omnes,qui olera fructusq; Tunetum venalia conferūt.Hic maxima saccareorum calamorū prouenit copia, quæ & Tunetum deuehi solet: verùm quandoquidem saccarum exstrahendi artem non nouerunt, in secundis tantùm mensis succum sugendo eliciunt.

¶ *Marsa.*

ANtiquissimum quoque est oppidulum ad mare Mediterraneum eodem loco positum,vbi Cartaginensium portus fuit, per aliquot annos desertum remansit, nunc autem quibusdam piscatoribus agrorumq; cultoribus tantùm incolitur: solent hic telam quoque candicare. Reperias non procul hinc castra aliquot, in quibus se Tuneti Rex æstate continere solet.

¶ *Ariana.*

ARiana oppidulum vetustum à Gothis in octauo ferè miliario à Tuneto Septentrionem versus conditum.Hortis amœnissimis maximeq; fructiferis cingitur, murum habet munitissimum,agricolarū maximam frequentiam.Reperiuntur præterea & alia quædam non procul à Cartagine oppidula,quorum nonnulla incolas habent,reliqua habitatoribus sunt destituta,nomina prorsus memoriæ exciderunt.

¶ *Hammamet.*

Ham

HAmmamet oppidum ante paucos annos à Mahumetanis extructum, muris cingitur munitissimis, distat à Tuneto quinquaginta ferè passuū milibus. Huius incolæ miserrimi, crebrisq; exactionib. infelicissimi, piscatores ferè omnes aut carbonarij.

¶ *Eraclia.*

OPpidulum vetustissimū à Romanis in monte quodam extructum, ab Arabibus postea deletum fuit.

¶ *Susa oppidum.*

MAximum quoque atq; vetustissimum est oppidum, à Romanis ad mare Mediterraneum conditū, à Tuneto in centesimo ferè distat miliario. Campos habet oliuis atque ficubus copiosissimos: ager illis hordeo est fœcundissimus, si modò coli posset, verùm Arabum frequētes incursiones in causa sunt quò minus exerceantur. Incolæ liberalissimi, humanissimi, atq; erga exteros fautores candidissimi, maxima illorum pars nauigio ad regiones Orientales atque Turciam proficiscuntur: nonnulli etiam oppida Siciliæ atque Italiæ viciniora inuisunt. Reliqua ciuium pars aut telæ sunt textores, aut armentarij, aut torno vasa cōficiunt lignea, quibus totam Tuneti implent regionem. Cùm sibi Mahumetani eam deuicissent prouinciā, in hac ciuitate se continebat, qui Regis vicem gerebat, cuius & in hunc vsque diem visitur palacium. Elegantissimum oppidum munitissimis muris cinctum in plánicie quadam amœnissima situm est. Incolas olim habuit infinitos, ædificiorum

ele-

elegantia celeberrimi, quorum hodie nonnulla cũ templo quodam amplissimo visuntur. Nunc autem vix inhabitatores vllos habet: quinque tantùm aut sex in eo sunt officinæ, idq; propter frequẽtissimas Regis exactiones. Ego in hoc oppido propter temporis sæuitiam quatriduum la titare coactus sum.

¶ *Monaster.*

MOnaster antiqua ciuitas à Romanis ad Mediterraneum exstructa, distat à Susa duodecim ferè passuum milia: fortissimis atque elegantissimis est cincta muris, domos habet elegantissimas, incolas verò miserrimos ac mendiciss. calceos gerunt iuncis marinis compositos: bona illorũ pars telæ textores, aut pisca tores: pane vescuntur hordeaceo, alioq; quodam oleo cocto, quẽ Bezzin aliàs appellauimus, quo etiam pane vicinæ omnes vescuntur ciuitates: nihil enim hic aliud quàm hordeum prouenit. Huius ager chrisomelis, ficubus, pyris, malis aureis, atque oliuis est copiosiss. nisi quòd crebris infestetur hostium incursionibus.

¶ *Tobulla.*

TObulla oppidum à Romanis ad mare Me diterraneum cõditum, distat à Monaster Orientem versus circiter duodecim miliaribus: per aliquot annos incolis copiosissimũ & ficubus ditissimum remansit: postea verò Arabum iniuria effectum, vt rariores hic reperian tur domus, in quibus religiosi quidam viri inhabitant: hi amplissimum quoddam illac iter fa cientibus fouent xenodochium, Arabes quoque hu-

humanissimè excipiunt.

¶ *El Mahdia oppidum.*

Nostris ferè temporibus à Mahdi primo Cairaoan pontifice conditum, ad mare Mediterraneum exstructum, muris, turribus atque portis munitissimis ornatum, portum habet frequentissimum. Mahdi cùm primum hanc ingressus fuisset regionem, incognito habitu se à Mahumete originem duxisse finxit, quare adeo populi sibi conciliauit beneuolentiã, vt illorum auxilio Cairaoan princeps effectus, el Mahdi Califa fuit appellatus: postea cùm Occidentem versus per quadraginta miliaria Numidiam ingressus esset, vt debita sibi reciperet tributa, à Segelmesse principe captus, atque in carcere asseruatus fuit: mox tamẽ Segelmessenus misericordia ductus in pristinam illum restituit libertatem, atque mox ab eodem interfectus fuit: Deinde cùm in populum tyrannidẽ exercere cœpisset, atq; nonnullos se cõiuratores habere intellexisset, hoc oppidum construere cœpit, ad quod quoties opus esset, tutò se recipere posset. Tandẽ quidam Beiezid cõcionator, quem asininũ equitẽ appellabant, eò quòd asino perpetuò insidens quadraginta milium exercitum secum ducebat, Cairaoan venit: Mahdi verò ad nouum à se conditum oppidũ fugit, vbi triginta nauium classe quę à principe Cordouę Mahumetano missę fuerunt, ita contra hostes dimicauit, vt Beiezid atq; eius filius in eo prælio sint interfecti: post hæc Cairaoan rediens cum ciuibus pacẽ fecit, remansitque imperium penes huius successores in an-

nos

nos permultos. Ab hinc verò annis centū & triginta à Christianis receptū fuit oppidum, deinde rursum a quodam Marocci pontifice Abdul Mumeno recuperatum fuit, nunc autem Tuneti Regis imperio paret, à quo grauissimis indies vexatur exactionibus. Incolæ ad regiones transmarinas negociantur: maximas alunt cum Arabibus inimicitias, adeo vt vix agrū illis exercere liceat; non multis ab hinc annis Petrus Nauariensis nouem tantùm nauium classe oppidum aggredi conatus est, verùm ingenti suorum iactura re infecta redire coactus fuit, idq; anno à Christo nato millesimo quingentesimo decimonono.

¶ *Asfacus ciuitas.*

AB Afris ad mare Mediterraneum iis temporibus extructa fuit, quibus cum Romanis gerebāt bellum. Muris altissimis atque munitissimis cingitur, incolis olim fuit ditissima, nunc autem trecentas tantùm aut quadringentas numerat familias, officinas numero perpaucas: tam Arabum quàm Tuneti Regis vexatur molestiis: omnes hic aut textores, nautæ, aut piscatores sunt. Maxima hic eorum piscium colligitur copia, qui Spares illis appellari consueuit, quæ vox neq; Arabibus neq; Barbaris, multo minus latinis quicq̄ sonat. Vescuntur & hi pane hordeaceo atq; Besin: vestitus his est vilissimus, nōnulli apud Ægyptios ac Turcas negociantur.

*Cairaoan olim oppidum amplissimum.*

CAiraoan, siue alio nomine Caroen nobilissimum oppidum conditorem habuit Hucba, qui vniuersi exercitus dux ex Arabia

rabia deserta ab Hutmeno Pontifice tertio mis-
sus fuerat: à Mediterraneo mari. xxxvi. à Tune
to verò centum ferè abest miliaribus, neque a-
liam ob causam conditum fuisse dicunt, quàm
vt in eo exercitus cũ omni præda Barbaris atq;
Numidis adempta, securè se continere possent.
Muris illud cinxit munitissimis, elegãtissimũq;
in eo cõstruxit templum artificiosissimis colum
nis sumptuosissimũ. Hic post mortem Hutmeni
Muchauiæ princeps est constitutus, rexitq; im-
perium ad tempora vsque Qualidi Califæ, Hab-
dulmalic filij, qui tum Damascum inhabitabat:
hic ducem quendã (Muse Noair vocabant) cum
exercitu ingenti Cairaoan misit: qui postquam
per aliquot dies cum exercitu nõ procul à Cai-
raoan consedisset, Occidentem versus pergendo
multas cepit atque depopulatus est ciuitates, do
nec tandem ad Oceani littora peruenisset, ac pò
stea Cairaoan redit. Deinde ducem quendã cum
aliquot militibus in Mauritaniam misit, vbi &
multas sibi quoque deuicit regiones atque ciui-
tates. Huius inuidia motus Muse tantisper ex-
spectare iussit, donec ipse quoq; adueniret. Taric
igitur nõ longè ab Andologia consedit, quò intra
quatuor mẽses maximo exercitu Muse peruenit.
deinde vterq; exèrcitus transmisso mari Granatã
venit, atq; terrestri itinere ad Gothos ꝓfecti sunt.
His se Theodoricus Gothorum princeps oppo-
suit, atque cõmisso prælio miserè superatus fuit:
deinde duo illi Duces fœlici rerũ omniũ euentu
elati, in Castiliam vsque venerunt, Toletum oc-
cupàuerunt, vbi inter cæteras opes, infinitas in-
ue-

uenerunt Diuorum reliquias,atque inter eas eādem reperta est mensa, ad quam Christus cum Apostolis charissimis accubuit , hæc purissimò erat auro cooperta atque infinitis propemodum gemmis ornatissima,hanc Muse cum omni ferè Hispaniæ opibus secum reportauit.Interea autē literis Pontificis Qualid reuocatus,in Ægyptum nauigauit: atque postquam in Alexandriam venisset, per Helcian Pontificis fratrē ei renunciatum est,Pontificem grauissimo laborare morbo: proinde non statim Damascum veniret,periculum enim erat, ne mortuo Pontifice sumptuosissima illa præda facilè huc atque illuc disperge retur.Hæc omnia Muse paruifaciens,Damascum venit,omniaq; à se recuperata Pontifici obtulit, qui quinto post mortuus est die . Deinde postquàm frater fratri in Pontificatum successisset, Muse dignitate adempta in eius locum quidam Ielul constitutus fuit,cuius filius,frater atq; successiuè omnes eius cognati oppidum rexerunt. Tandem ea familia expulsa fuit , eique successit Elagleb,hic non vt Pontifex oppido præfuit:ab eo enim tempore Pontifices Mahumetani relicto Damasco Bagadedam migrarūt,vti & quodā Chronicorum scriptum reperies libro.Huic vita defuncto successit filius, remansitque ei familiæ Regnum annis centū & septuaginta,donec tandem à quodā Mahdi Califa Regnō fuit destituta. Eo igitur tempore quo Elagleb Regno potitus est, Cairaoan tā incolis quàm ædificiis aucta est, adeò vt vicinum quoddam conditum fuerit oppidum,cui Recheda nomen impositum est: hic

se

se princeps cum nobilibus continere consueuit. Huius tempore deuicta fuit Sicilia, Elagleb enim Ducem quendã Halcama eò misit, qui in ea Insula oppidulum quoddam ceu munimentũ condidit, atq; suo nomine Halcama appellauit, quod nomen in hunc vsq; diem apud Siculos remansit. Deinde nouum hoc oppidum à quibusdam obsidione cinctum est, qui Siculis in auxilium venerant. Post hæc missus etiam cõtra eos Ased, atque ita reparatis Afrorum copiis, quod reliquũ fuit Siciliæ occupauerunt, cœpitque hoc modo miris modis Cairaoanorũ augeri imperium. Est autẽ Cairaoan in planicie quadam arenosa atq; deserta exstructum oppidum, in qua neq; arbor vlla, neque vllum prouenit frugum genus. Frumentum illuc à Susa, à Monaster, atque etiam à Magdia deportatur, quæ omnes ciuitates circiter in quadragesimo distant miliario. Abest ab hoc oppido mons quidam Guesset, in quo nõnulla adhuc visuntur Romanorum ædificia: est autem mons ille fontibus atq; siliquis frequentissimus, fontes autẽ inde ad Cairaoan defluunt, vbi nulla alioquin esset aqua, nisi quę cisternis quibusdam seruatur. Extra huius vrbis mœnia pluuialis aqua in cisternis solùm ante initium mensis Iunij reperiri potest. Æstiuo tempore Arabes ad campos huic oppido vicinos confluere solent, qui maximam secum frumẽti atque aquæ caritatem adferunt, dactilorum autem & carnium ingentem copiam, idq; è Numidia, quæ regio centum ferè & septuaginta isthinc distat miliaria. Hic per aliquot annos maximè floruit Iuris prudẽtia, adeò

vt

vt hic totius Africę celeberrimi fuerint Legũ professores. Deletum tandem nouos recepit incolas, sed nunquam potuit ad pristinum redire statũ. Nunc nihil hic præter coriarios quosdam reperias, qui cõria ad Numidiæ ciuitates mittũt, atq; Europeis pannis commutant. Tuñeti Regis maximis indies molestiis affecti, ad summam nunc inopiam sunt redacti.

*Capes ciuitas.*

CApes amplissima ciuitas à Romanis ad mare Mediterraneum cõdita, altissimis, vetustissimisque muris, necnon & arce quadam est munitissima. Huic fluuius quidam aquæ calidæ atq; salsæ præterfluit. Crebris semper Arabum iniuriis adeò fuit vexata, vt incolæ relicta vrbe in campos quosdam se contulerunt, in quibus maxima prouenit dactilorum copia; qui arte quadam per totum seruantur annum. Effoditur & hic fructus quidam fabæ magnitudinis, qui sapore amigdalum refert: hunc per vniuersum Tuneti regnum notissimum Arabes Habhasis appellant. Incolæ nigri sunt, piscatores, atque agrorum cultores.

*El Hamma oppidum.*

VEtustissimum hoc oppidum à Romanis conditum, distat à Capes quiñdecim ferè miliaria, muris elegantissimis atque munitissimis cingitur: reperias & hodie in marmoribus quibusdam insculpta quædam antiquitatis monumenta. Huius oppidi plateæ atq; ædificia sunt vilissima; incolæ miseri, furtisq; addictissimi. Ager illis aridus atque incultus: nihil

hic præter dactilos sapore minimè gratos reperire poteris. In sesquimiliario Meridiem versus ab hoc oppido originem habet fluuius quidam aquæ calidissimæ, qui per ciuitatis medium præterfluit, idque per ductus quosdam siue canales latissimos, eiusque profunditatis, vt ingressis ad vmbilicū pertingat: quanquam propter nimiam aquæ caliditatem rariores sint qui se huic committere audeant. potabilem tamē ciues reddunt per integrum ferè diem refrigeratā. Tandem hæc aqua non procul ab eo oppido lacum efficit, qui leprosorum appellari consueuit: habet enim sanandi huiusmodi morbū atq; vulnera solidandi miram naturam: quare frequentissimas hic leprosorum reperies casulas, quorum permulti restituuntur sanitati. Aqua autem eius est naturæ, vt sulphur propemodum odore referat, adeò vt sitim nullo modo sedare possit, quod quidem sæpenumero ipse expertus sum.

## ¶ *Macbres castellum.*

MAchres castellum nostris temporib. ab Afris eam ob causam ad fretum Cabes conditum, vt regionē illam ab hostium incursionibus tutam seruaret. Distat à Lotophagitis Insula quinquaginta ferè passuum millia. Incolę omnes aut textores, nauium fabricatores, aut etiam piscatores sunt, qui per totam eam Insulam negociantur. Ad eundem modum Africè loquuntur, vt illi qui prædictam inhabitant Insulam: & quoniam agros omnino nullos habēt, textoribus tantùm exceptis, reliqui omnes ciues prædis atque direptionibus viuunt.

Lo-

¶ *Lotophagites Insula.*

DIstat à continenti non multis passuum milibus: perpetua est planicies, atq; arenosa, in qua copiosissima prouenit dactilorum, vuarum, oliuarum, aliorumq; fructuum copia: cótinet in ambitu circiter octo & decem miliaria. Rura aliquot habet, separatim tamen posita omnia, adeo vt rarius duo aut tria in eadem reperias vicinia; ager illis aridus, fragosus, atque diligentissima vix opera atque irrigatione vel paululum proferre potest hordei. Maxima hic semper est hordei atque carnium caritas. Reperias ad maris littus arcem quandam munitissimam, in qua totius Insulæ princeps cũ suis se cótinere solet. Non procul hinc vicus quidam abest, ad quem mercatores Christiani, Mauri, atq; Turcæ hospitio excipiuntur, estq; in eódem hoc loco singulis quibusq; septimanis mercatus frequentissimus, nundinas esse dicas, ad quas totius Insulæ mercatores multiq; Arabes à continente magnam pecudum atque lanæ copiam adferũt. Insulæ autem inhabitatores, pannum qui apud illos conficitur, venalem habẽt, qui & Tunetum atque ad Alexandriam vnà cum magna vuarum passarum copia deferri solet. Vix quinquaginta iam præteriere Anni, à quo Insula à Christianis fuit oppugnata, atque ab iisdem recepta: verùm statim à Tuneti Rege recuperata. Deinde statim post nouas huc introductas colonias, hæc arx de qua iam locuti sumus, ædificari cœpit: quã sem per Tunetani principes occupauerunt. Rege aũt Hutmeno vita defuncto, insulares ad pristinam re-

redierunt libertatem: mox pontem illum fregerunt, qui à cõtinente ad Insulam ducebat, timentes ne terrestri aliquo exercitu vexarentur. Deinde paucis post hæc diebus insulares interfectis omnibus alterius partis ducibus, in hunc vsque diem totius eius regni imperium penes se seruauerunt. Colligitur ex hac Insula singulis annis prouentus octuaginta illius regionis aureorum millia, idq; propter maximã in ea mercatorum Alexandrinorum, Turcarum, atq; Tunetanorum frequẽtiam. Nunc autem quoniam crebris inter se vexantur dissidiis atque cõtentionibus, cœpit illorum Resp. multis partibus diminui. Nostro tempore Ferdinandus Hispaniarum Rex ingentem exercitum eò misit, cui Albensem præfecit Ducem; hic quoniam Insulæ naturam non satis nouerat, milites cùm adhuc procul ab Insula essent, naues exire voluit: Mauris autem tam strenue Insulam defendentibus, Hispani loco cedere coacti sunt: accessit & ad illorum infortunium, quòd tantum aquæ reperire non potuerũt, vnde ingentem quã sibi contraxerant sitim sedare potuissent; huc adde quòd cùm primùm Christiani huc aduenerãt, mare iam multò accreuerat, cùm autẽ ad naues redire voluerunt, propter nimium maris decremẽtum, naues ne in arena hærere cogerentur, aliquantò longius à littore sese receperant; remanserat autem arena per quatuor ferè miliaria aquis nuda, adeò vt maximis laboribus atque fatigationib. milites eò peruenire vix potuerunt, Insequentibus verò à tergo Mauris, tantum Christianorum fuit infortunium, vt illorũ pars

pars maxima aut interfecta fuit, aut à Mauris capta, reliqui nauigio in Siciliam peruenerunt. Postea interiectis aliquot annis, Carolus Quintus instructissimam eò classem misit, cui Rhodiensem quẽdam ducem prẹfecit, ordinis Sancti Ioannis Mescine: hic tanta in eo prælio vsus est prudentia, quòd Mauri promisso tributo quinq; millium illius regionis aureorum inducias impetrauerunt, quæ & in hunc vsq; diem durant.

¶ *Soara oppidum.*

SOara oppidulum ab Afris ad mare Mediterraneum conditum, distat à Lotophagiti insula quinquaginta ferè Orientem versus passuum milia. Huius murus vilissimus est, inhabitatores miserrimi, nihil aliud quàm calcem aut gypsum conficiunt, quæ ad Regnum Tripolitanum venalia conferuntur. Ager his infelicissimus est: incolæ perpetuis Christianorum incursionibus infestantur, ab eo præsertim tempore, quo ab eis expugnata fuit Tripolis.

¶ *Lepida.*

VEtustissima ciuitas à Romanis ædificata, muris altissimis munitissimisque cincta, bis à Mahumetanis occupata fuit, è cuius lapidibus postea exstructa fuit Tripolis.

¶ *Tripolis antiqua.*

TRipolis à Romanis exstructa, deinde à Gothis, postremò à Mahumetanis eo tempore fuit occupata, quo Homar Califa secundus imperauit. Hi postquam Tripolitanum ducem per sex menses obsedissent, tandem Cartaginem fugere coegerunt. Incolæ partim inter-

fecti, partim in Ægyptum atque Arabiam capti fuerunt abducti, teste Ibnu Rachich apud Afros historiographo celeberrimo.

¶ *Tripolis Barbariæ.*

POst excidium antiquæ Tripolis, condita est altera eodẽ nomine appellata: hęc muris altissimis atq; elegantissimis quanquã non admodum muuitis cingitur, in campo quodam arenoso sita est, in quo dactilorũ satis bona prouenit copia. Huius domus ad Tuneti domos collatę elegãtissimæ sunt, deinde & hic artes suis omnes sunt locis distinctæ. Magna hic reperitur telę textorum copia. Nullus hic puteus nullusq; omnino fons est: aquam omnes è cisternis quibusdam petunt. Magna hic semper frumenti caritas, omnes enim Tripolis agri perinde atq; Numidiæ arenosi sunt atq; aridi. Huius rei ratio est quòd qui pinguiores huius regionis essent agri, frequentissimis maris vndis teguntur. Huius regionis incolę maximam hodie agrorum partem in Septentrione à Mari occupatam dicunt, quod & facilè in regionib⁹ Monaster, Magdia, Affacos, Capes, atque in Lotophagiti insula cognosci potest, necnon in aliis quoque partibus Orientalibus, vbi ad miliare vnum aut alterũ mare ingressis vix aqua ad vmbilicum pertingit. Neque desunt qui eam ciuitatẽ magis in Septentrione positam fuisse opinentur, verùm crebris indies maris inundationibus, paulatim Meridiem versus ædificatam fuisse, cuius rei testimonium præbẽt integra adhuc quibusdam locis ædificiorum monumenta, quæ maris fluctibus fuerunt demersa.

Fre-

Frequentiſſima hic exſtructa fuerūt templa atq; collegia: xenodochiū habuit quod pauperes atq; exteros recipiebat: parciſſimè victitant. Beſis tantùm hordeaceo veſcuntur: in hac enim regione vel minimū prouenit hordei, adeò vt ditiſſimus hic cenſeatur, qui vnum aut alterū poſſidet frumenti modium, mercaturam tamē ferè exercent omnes: eſt enim ea ciuitas Numidiæ atque Tuneto vicina, neque inde Alexandriam vſq; vllum aliud reperitur oppidum: non etiam procul à Sicilia atq; Maltha abeſt: ſolentque quotannis ad eorum portum Venetorum naues confluere, maximamque eò aduehere mercium copiam. Semper Tuneti Regis imperio paruerunt. Eo autem tempore, quo Abulhaſen Feſſæ Rex Tunetū obſedit, Regem cum Arabibus ad deſertum fugere coëgit. Deinde victo Abulhaſeno Tuneti Rex in regnum rediit: tum ſe ciues Regi opponere cœperunt: fuitq; illorum Reſpub. maximis ſemper diſſidiis belliſq; inteſtinis vexata. Quod vbi Feſſæ Rex intellexiſſet, quinto belli ciuilis anno rurſum cum exercitu Tunetū profectus eſt, ipſum Regem prælio ſuperatum atque Conſtantinam fugatum tam acriter obſedit, vt Conſtātinienſes cum ſe Feſſę Regis vim non poſſe ferre viderent, cum omni exercitu intromiſerint. Tuneti Rex Feſſam captiuus primò adducitur, deinde in Septæ arce aliquādiu aſſeruatus eſt. Interea autem Tripolis viginti nauium Genuenſium claſſe expugnata atque depopulata fuit, habitatores verò captiui. Quod poſtquam Feſſæ Rex intellexiſſet, ea conditione cum Genuenſibus egit, vt ipſe nu-

meratis quinquaginta aureorũ millibus, ipse in pace oppidũ possideret. Genuenses postea inde profecti, maximam aureorum partem adulterinam intellexerunt. Posthæc Tuneti Rex à Fessæ Rege Abuselimo libertati restitutus fuit, quo tandem ad regnum reuerso, remansit penes successores imperiũ, donec Abubar Hutmeni filius in Tripolitana arce vna cum filiolo à nepote interfectus fuit, qui & postea sibi id Regni vsurpauit: idem postea prælio quodam periit, quod cõtra Hubdul Mumenum gessit, qui statim Tripolitanum regnum assumpsit. Huic successit filius Zacharias, qui post mẽses aliquot peste interiit. Post hunc in Regem electus fuit Mucamen Heseni filius Zachariæ cognatus, qui postquam tyrannidem inter ciues exercere cœpisset, à populo regno expulsus est: ad regnum postea quidam è ciuibus successit, qui modestissimè imperauit. Qui verò antea expulsus fuerat, aliquot militum exercitum misit qui Tripolitanum vexarent imperium, hi statim amisso prælio fugerunt. Post hęc qui humanissimè regnare cœperat, in tyrannum versus est, quo à cognato interfecto, populus nobilem quendam virum, qui tum temporis Eremitam agebat, coacto fere animo regere voluerunt, remansitque penes illum huius vrbis imperium, donec Ferdinandus Petrum quendã Nauariensem eò misisset: qui cùm improuiso aduẽtu suo vrbem occupasset, captiuos plurimos secum duxit. Tripolis præfectus vnà cum genero Messinam captiui missi sunt. Vbi per aliquot annos detenti, tandem à Carolo Imperatore pristi-

næ libertati restituti, Tripolim redierunt, quod oppidum postea à Christianis fuit deletum. Huius oppidi arx munitissimis muris cincta est, & quantū intelligere potui, nouos cœpit recipere incolas: habes igitur hic quę de Tuneti ciuitatibus memoratu digna occurrere potuerunt.

### ¶ *De Bugiæ montibus.*

BVgia montibus asperis, altissimis, atq; nemorosissimis est refertissima: incolę ditissimi, nobiles & liberalissimi, maximam habent caprarum, boum ac equorum copiam, ferè semper liberè vixerunt, ab eo præsertim tēpore, quo Bugia à Christianis fuit occupata. Hi semper in altera maxilla nigram crucem gerunt, desumpto ab antiquis more, quemadmodū & ante diximus. Pane vescuntur hordeaceo, his maxima est nucum atque ficuum copia, in iis præsertim montibus, qui Zoaoę viciniores sunt: hic quibusdam in locis nonnullæ reperiuntur ferri fodinæ, ex quo sibi semissem quādam monetam cudunt. Reperitur & alia quoque apud hos moneta argentea, quæ grana quatuor pendet: prouenit in his montibus magna admodum vini atq; canabis abundantia, telam vilissimam texūt. Zelotipia maximè cruciantur, vestitu vilissimo vtuntur. Patent autē Bugiæ montes ad mare Mediterraneum in longum centū ferè & quinquaginta miliaribus, in latum verò quadraginta: habet autem quilibet mons suos ab aliis nationib⁹ diuersos incolas, qui quoniam vno eodemq́ue viuunt ritu, silentio prætermisimus.

### ¶ *Auraz mons.*

Al-

ALtiſſimus atq; frequentiſſimus hic mons incolas habet rudiſſimos, prædis atque rapinis addictiſſimos. Diſtat à Bugia in octuageſimo, à Cóſtantina verò in ſexageſimo ferè miliario. Ab aliis montibus ſeparatus, extenditur in longũ per ſexaginta propemodum miliaria. In Meridie Numidiæ deſerto iungitur, in Septentrione regionibus Meſinæ, Stefæ, Nicaus, atq; Conſtantinæ terminatur. Ex huius vertice ſummo frequentiſſimi defluunt riuuli, qui per ſubiectos campos fluentes, tandẽ lacum efficiũt, aqua autem æſtiuo tempore ſalſa eſt. Arabum quorundam iniuria facit, vt difficillimus ad hũc montem pateat acceſſus.

### ¶ *De Conſtantinæ montibus.*

OMnis ea Conſtantinæ pars quæ Septentrionem atque Occidentem reſpicit, altiſſimis eſt montibus plena, qui à Bugię finibus initium habent, atq; extendunt ſe ad mare Mediterraneum Bonam vſque, hoc eſt per centum ferè & triginta miliaria. Horum ager in planicie eſt oliuis, ficubus, aliiſq; omnis generis fructibus feraciſſimus, adeò vt eorum maxima copia ad ꝓximas deferatur ciuitates: accolæ omnes Bugię ciues morum ciuilitate antecellunt, varias inter ſe exercent artes, texiturq́ue apud hos magna admodum telæ copia. Frequentiſſima inter eos naſcuntur diſſidia idq́; propter illorum mulieres ad alios ſubinde maritos tranſmigrantes. Ditiſſimi ſunt, atque ab omni tributo liberi: vix agros cũm propter Arabes tum propter nobiles colere audent. Eſt hic ſingulis quibuſque ſepti-

manis,diuersis tamen diebus,mercatus Constan tinorum aliorumque locorum mercatoribus fre quentissimus: Quod nisi amicũ quendam in eo monte habeas,periculum est ne miserrimè ab eis decipiaris. Nullus in montibus illis iudex,sacerdos,aut literatus reperiri potest: si quis autẽ epistolam ad amicũ scriptam cupiat, huic per duodecim aut etiam interdum quindecim miliaria scriba est quærendus. Peditum quadraginta ferè numerant millia,necnon & quatuor equitum millia. Incolæ viribus adeo præstantissimi,vt si inter eos recte conueniret,totam facillimè Africam sibi subigere possent.

¶ *Bonæ montes.*

HAbet Bona ad latus Septentrionale Mediterraneum mare, ad Meridiem & Occidentem montes nonnullos, qui Constantinæ ferè mõtibus connexi sunt,in Oriente agros habet felicissimos,camposque spatiosissimos, in quibus olim permulta fuerunt oppida atq; castella à Romanis extructa: nunc tantùm eorum vestigia quædam remanserunt, quorum ne nomina quidem sunt nota. Omnes hæ Regiones propter Arabum iniurias adeò sunt incultæ, vt rarioribus tantùmodo locis incolas habeant, qui armis belli inuitisque Arabibus regnum sibi occupant. Extendunt sese montes ab Occidente Orientem versus in longum per octuaginta ferè miliaria,in latum autẽ plus minus triginta. Frequentissimi hîc sunt fontes,vnde riuuli aliquot oriuntur, qui per planicies illas præterfluentes, tandem in mare Mediterraneum labuntur.

*Mon-*

¶ *Montes qui Tuneto sunt viciniores.*

TVnetum in planicie quadã conditũ nullos omnino montes habet vicinos, præterquam in Occidente ad mare Mediterraneum, vbi montem habet illi persimilem qui Carthaginem amplectitur. Adiacet quoque Tuneto & alius quidam mons altissimus ac frigidissimus, quem Sagoan dicunt: hîc incolas nullos reperies, præter quosdam qui aluearioru curam gerunt, hi aliquantulũ hordei colligunt. In huius mõtis summitate Romani aliquot sibi arces exstruxerunt, quorum hodie tantùm visuntur ruinę, epitaphia marmorib. Latinis literis insculpta. Ab hoc monte Carthaginẽ vsque ductibus quibusdam aqua defluere solet.

¶ *Beni Tefreni atque Nufusæ montes.*

SVnt hi mõtes à deserto semoti, à Lotophagiti atq; Sfacos triginta ferè absunt miliaria, altissimi ac frigidissimi, hordei vel minimam producunt copiã. Incolæ valentissimi atq; à Mahumetica lege maximè abhorrẽtes, opinionem vt plurimum Pontificis Cairaoan sequuntur, neque alia est Gens inter Arabes, quæ eam legem sibi seruarunt. Apud Tunetum aliasq; ciuitates vilissimis quibusdam artibus sibi victum quærunt: neq; vsquam eorũ fidem publicè profiteri audent.

¶ *Gariani mons.*

ALtissimus hic atque frigidissimus mons, longitudine quadraginta, latitudine verò quindecim est miliarium, deserto arenoso à reliquis montibus separatur, distat à Tripoli quinquaginta ferè miliaria. Maximam producit hor-

hordei atque dactilorum copiam, qui nisi recentes edantur, facile vicientur. Oliuarũ hic quoq; magna prouenit affluentia, quare ab hoc monte ad Alexandriam vicinasque ciuitates plurimum olei conuehitur. Nusquam in toto orbe præstantiorem crocum reperias, quare & carissimo apud omnes diuendi solet. Colligitur ex hoc monte sexaginta millium aureorum prouentus, croci autem quantum quindecim muli ferre possent. Perpetuis semper Arabum Regisque Tuneti exactionibus vexantur. Pagos hic atq; vicos nonnullos reperias vilissimos.

¶ *Beni Gnarid.*

DIstat hic mons à Tripoli in centesimo ferè miliario: huius accolæ validissimi atque potentissimi in libertate constituti, perpetuas habent cum montibus vicinioribus atq; cum Numidiæ deserto inimicitias.

¶ *Casr castellum.*

A Duce quodam ædificatũ, qui cum exercitu in Africam ad mare Mediterraneum venerat: non procul à Tripoli distat, tandem verò ab Arabibus deletum fuit.

¶ *Subeica.*

SVbeica castrum iis ferè temporibus conditũ, quibus Mahumetani in Africam venerunt. Incolis olim fuit frequentiss. postea ab Arabibus deletum, nunc piscatores aliquot inhabitant.

¶ *Cair Hessin castrum.*

AD mare Mediterraneum à Mahumetanis conditum, postea ab Arabibus deletum fuit.

FINIS LIBRI. V.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ, rerumq; in ea memorabilium,

## LIBER SEXTVS.

### ¶ Gar.

ENumeratis hactenus montibus, superest nunc vt de pagis atque vicis nonnihil dicamus, tum & de regiunculis aliquot: postea Numidiæ quoq; ciuitates recto ordine describemus. Qua in re nunc se mihi Gar primò offert, pagus ad mare Mediterraneum dactilorum copia opulentissimus: ager aridiusculus, paululum tantùm profert hordei copiam, quo huius inhabitatores vesci solent.

### ¶ Gar & Gare.

TErrenū est in quo antra stupendæ sunt profunditatis, vnde lapides extractos dicunt, quibus condita fuit Tripolis antiqua, quandoquidem non procul inde distat.

### ¶ Sarman.

RVS est amplissimum, non longo à Tripoli antiqua interuallo situm, dactylis copiosiss. cùm præterea nihil omnino frugum producat.

### ¶ Zauiat Ben Iarbuh.

PAgus est non longè à mari Mediterraneo situs, dactylis affluentissimus, cæterum frugibus omnibus infelicissimus: hunc religiosi quidam viri inhabitant.

### ¶ Zanzor.

ESt & hic quoq; pagus Mediterraneo mari vicinus, distat à Tripoli duodecim ferè miliaribus: artificū hic maxima est frequentia,

tia,dactylorum,malorum punicorum atque cotoneorum summa profluentia. Incolæ miserrimi, ab eo præsertim tempore, quo à Christianis occupata fuit Tripolis, & tamen apud Tripolitanos negociantur, dactylosque huc venales adferunt.

¶ *Hamrozus.*

VIcus est in sexto à Tripoli miliario, quorum horti dactylis atq; omnis generis fructibus sunt feracissimi.

¶ *Tagiora.*

PLanicies est in secundo à Tripoli miliario Orienté versus situs, in qua nonnulla sunt rura, dactylis aliisque fructibus mirè copiosa. Huic felicissima Tripolitana expeditio fuit, tum enim permulti huc confugerunt. Incolæ ignari, rudes, furtis atque rapinis addictissimi, tuguria sibi ex palmorum ramis componunt. Pane vescuntur hordeaceo atque Bezin: omnes Regis Tuneti atq; Arabum imperio parent, præterquã qui in hac morantur planicie.

¶ *Mesellata prouincia.*

AD mare Mediterraneũ à Tripoli triginta quinque distat miliaria, pagis, castris atq; inhabitatorib. ditissimis est refertissima, prouenit & hic summa oliuarum ac dactylorum copia. Incolæ liberi, ducem quendam inter se habent, qui Rempub. administrat, quique bella pro suis contra Arabes gerit: militum quinque ferè enumerãt millia.

¶ *Mesrata prouincia.*

AD mare Mediterraneũ in centesimo ferè à Tripoli miliario sita, pagos complures cùm in planicie tum in montibus habet, Inhabitatores ditissimi, nullum omnino tributum

tum persoluunt, cum Venetis qui triremibus huc veniunt negociantur, easdemque merces apud Numidas mancipiis, musco atque ciueto (vt vocant) commutant, quod illuc ex Æthiopia aduehitur.

### Barcæ desertum.

A Finibus Mesratæ initium habet, extenditq; se Orienté versus ad confinia vsq; Alexãdriæ loca, sic vt longitudine mille & trecenta, latitudine verò ducenta ferè capiat miliaria. Desertum est asperum, aqua atque frugibus infelicissimũ. Anteq̃ Arabes Africam inhabitare cœpissent, nullos adhuc in hoc deserto repperisses inhabitatores: Verùm nunc miserrimam quidam hic degunt vitam, maximeq; famelicam: distat enim ab omni habitatione longissima admodum intercapedine: neque apud illos quicquam frumenti prouenit. Frumentum autem aliaque ad vitam necessaria huc nauigio è Sicilia aduehuntur, tum statim quisque vt inde sibi aliquid desumat, filios dat pignori, interea huc atq; illuc furantur ac in viatores grassantur vt filios repignerare possint. Nusquam atrociores reperias prędatores, postquam enim mercatores bonis omnibus ac vestibus exuerunt, lac tepidum vi infundunt, ac pedibus in arborem suspendunt, adeo vt omnia euomére cogantur, tum sedulò in sordibus quærũt, num quid auri inuenire possint, suspicantur nanque scelestissimi homines mercatores aureos omnes ingurgitare, priusquam desertum ingrediantur.

### Tessetum Numidiæ oppidum.

Dixi-

DIximus primo huius operis libro Numidiam à Cosmographis Africanis infimo loco esse habitam, rationes quoq; eo loco adiecimus: huius ciuitates aliquot Athlanti viciniores sunt, quemadmodum libro secũdo, cùm de Heha scriberemus, abundè dictũ est. Sus verò, Gusula, Helchemma, atq; Capes in Tuneti sunt Regno, & tamen in Numidia sitas esse has ciuitates nonnulli dicunt. Ego verò Ptolemæi sententiam secutus, Tuneti regnum Barbariæ esse partem existimauerim. Numidiæ igitur ciuitates omnes atque oppida depicturus, initium à Tesseto sumam: quod oppidulum vetustissimũ à Numidis non procul à Lybiæ deserto conditũ, muris ex crudis lapidibus compositis cingitur, & tamen vix oppidum esse dicas: familias numerat quadringentas. Campis tantùm arenosis cinctum est, nisi quòd locis quibusdam oppido vicinioribus dactylorum, millij, atq; hordei aliqua prouenit copia, quibus miserrimi victitare solent. Amplissimum coguntur tributum enumerare Arabibus, qui in vicino habitant deserto. Apud Nigritas atque Gusulanos negociantur, adeò vt maximã temporis partem domo absint. Colore subnigri sunt, atque ab omni literarum cognitione alienissimi. Mulieres in ludis literariis primæ ætatis puellos nonnihil literarum docent, qui degustatis vix primis elementis ad laborem atque agrorum culturam compelluntur. Huiusmodi aũt mulieres reliquis sunt candidiores: aliæ aut nendo, aut lanificio victũ quærũt, reliquæ ociosæ prorsus desidẽt. Qui in hac regione

ditiſſimi habentur, vel minimam poſſident pecudum copiam. Terram equo ſimul & camelo exercent, qui arandi mos per totam Numidiam obſeruari ſolet.

¶ *Guadenum.*

GVadenum vicus quidam in Numidiæ deſerto, nō procul à Lybia ſitus. Incolæ miſerrimi, viliſſimoque ingenio præditi. Nihil hic præter dactylos prouenit: tanta his eſt cum vicinis inimicitia, vt domū vix exire liceat. Venationib. ſeſe exercent, atq; ſyluaticas quaſdam feras, Elamth atq; Strutiones captant, neq; aliis vix carnibus veſcuntur. Si quid caprarum habent, propter lac aſſeruare ſolent. Sunt & hi colore omnes ſubfuſci.

¶ *Ifran.*

QVatuor eo nomine appellata ſunt caſtella, à Numidis in tertio ab inuicem miliario ad fluuiolum quendam exſtructa, qui ſemper æſtatis æſtu aquis deſtituitur. Reperias inter hęc caſtra agros quoſdam dactylis copioſiſſimos. Huius incolæ aliquantò ditiores ſunt, negociantur enim cum Luſitanis ad portum Garet Gueſſem, quorum merces Gualitam atque Tumbutum conferunt. Habēt hæc caſtra ſatis magnam incolarum frequentiam, qui vaſa quædam ænea apud Nigritas vendenda conficiunt: æs enim in locis quibuſdam vicinis effoditur. Habet quodlibet caſtrum ſuum ſingulis ſeptimanis mercatum, maxima ſemper illis eſt frumenti caritas. Veſtitu vtuntur honeſtiſſimo: templum habent ornatiſſimum: iudicem quoque qui res tantùm

ciui

ciuiles curat: in rebus autem capitalibus, exilio tantùm punire ſolent.

¶ *Accha.*

TRia item caſtella ſunt in Numidiæ deſerto non procul à Lybia ædificata: incolis quondam fuerunt frequẽtiſſima:tandem verò belli ciuilis iniuria,incolis remanſerunt deſtituta.Tandem cõpoſitis rebus omnib.religioſi cuiuſdam viri opera,qui poſtea huic populo imperauit,nouæ huc ſunt introductæ coloniæ.Miſerrimi homũtiones,nihil quod colligãt habent, præter dactylorum certam copiam.

¶ *Dara.*

AB Atlante initium ſumens extendit ſe Meridiem verſus per Lybię deſertum ad ducenta & quinquaginta ferè miliaria: eſt autem ſtrictiſſima hæc prouincia. Incolæ omnes ad fluuium quendã habitant,qui à regione nomen habet. Excreſcit interdum hunc in modum, vt mare videatur, æſtate autem tam eſt diminutũ,vt pedes facillimè tranſire poſſis. quòd ſi excreuerit circa Aprilis initium,fœcundiſſima ſua irrigatione maximã huic regioni adfert vbertatem:ſin minus,actum eſt de illius anni frugum prouentibus. Infinitos reperias ad huius fluminis ripam vicos atque pagos,caſtra quoq; quamplurima muris ex lapide crudo atque creta compoſitis cincta.Trabes omnes atque contignationes ex palmis conficiuntur,quanquam huic rei non admodum quadrent, nõ enim illud lignum ſolidum eſt ſed fibroſum admodum. Viſuntur præterea ad vtrumque fluminis latus in quinto,

aut sexto miliario agri dactylis copiosissimi,qui in multos si probè seruarētur,durare possent annos:& quemadmodum varia hic sunt dactylorū genera,ita & varium eorū est precium: quorundam enim modius aureo venditur,aliorū quarta vix auri parte,vtpote quibus equi vescuntur atque cameli. Dactylorum alij sunt masculi, aliæ fœminæ, masculi flores tantùm producunt, fœminæ fructum: Verùm fœminarum flores non aperiuntur,nisi quis masculi ramū cum floribus adiungat, alioqui dactyli vilissimi maximisque nucleis proueniunt. Hordeo aliisque cibis vilissimis vescuntur: panem autem non nisi festiuis gustant diebus. Castra aurifabris aliisque artificibus occupantur,vti & omnes ille regiones,quę ā Tumbuto Fessam ducunt: reperiuntur in hac regione tria aut quatuor oppida satis ampla,mercatoribus,exteris,officinis,atq; templis frequentissima. Oppidorum autem celeberrimum Beni Sabih appellatur,incolis validissimis atq; liberalibus occupatur,in duas diuisum est partes,quarum quælibet suum habet principē:hi frequentissimè inter se belligerantur,eo præsertim tempore,quo solum irrigant,idque propter maximā aquæ penuriam. Mercatorem per integrum annum aut etiam plus humanissimè exceptum ita dimittunt,vt nihil omnino ab eo exigant,quàm quod ille pro sua liberalitate persoluere velit. Hi quoties inter se bellum gerunt, vicinos Arabes in auxilium vocant, atque cuilibet stipendium vnius semiaurei singulis diebus persoluunt, interdum etiam plus,numerantq; singulis diebus.
Pa-

Pacis temporibus sclopeta aliaque bellica instru menta adornant, neque me vnquam peritiores sclopetarios vidisse memini. Prouenit in hac regione herba quædã Guasto sylnestri non admodum dissimilis, hanc inter Fessanos atque Telensinos allis cõmutant mercibus. Mira his frumẽti caritas, quod huc à Fessa aliisque regionibus aduehitur, caprarum atque equorum non magna hic reperitur copia, his frumenti loco dactylos apponunt, atq; huiusmodi pabulum quod apud Neapolitanos farfar appellari consueuit. Capris dactylorum nucleos antea contritos porrigunt, qui cibus maximè pingues atque lacte grauissimas reddit: carnibus vescuntur caprinis atque camelinis, quæ ingratissimi sunt saporis. tum & strutiones quoque à se educatos mactant atque edunt, horum carnes galli gallinacei carnibus gustu non admodũ sunt dissimiles, nisi quòd multo durior est atque fœtida, eaque præsertim, quæ iuxta coxam est, hæc plus satis est viscosa. Horũ mulieres elegantissimę sunt, pinguiusculę atque humanissimæ: mancipia è Nigritarum solo aduecta alunt.

## ¶ *Segelmessa.*

SEgelmessa à præcipuo huius regionis oppido sic appellata initium habet non procul ab oppido Garseluino, ac Meridiem versus ad flumen Ziz per centũ & viginti miliaria vsq; ad Lybię ferè desertum extenditur. Hanc regionem Barbari nonnulli inhabitãt, olim cuiusdam principis imperio paruit qui per se illud sibi regnum occupabat. Deinde à Iosepho Luntunensium Rege, postea à quodam Muhaidin, tandem

& à Marinorum Regis filio fuit recuperata. Post hæc cõmota erga Principem dissentione Regeq; interfecto, oppidum Segelmessa destructum, remansitque in hunc vsque diem incolis vacuum. Incolæ postea sibi castra quædam condiderunt, quorum nonnulla in libertate remanserunt, alia Arabum imperio parent.

## ¶ *Cheneg.*

EXtendit se ea Regio ad flumen Ziz, atque Atlante monte terminatur, castris atque dactyliferis regionibus est copiosissima, quanquam dactyli minimi sint valoris, horum agri aridiores sunt atque angustissimi, nisi quòd in quibusdam, qui à flumine ad montes radices extenduntur, nonnihil hordei proueniat. Incolarum alij aut Arabibus parent, aut Garseluinis: alij omnino liberi sunt. His tota ea via subiecta est, quę à Segelmessa Fessam ducit, atq; tributum amplissimũ à mercatoribus illac iter facientibus exigunt. In hoc itinere tria præcipua reperies castra, quorum primum in rupe quadam altissima nubes attingere videtur. Huic subiecta quædam domus est, in qua perpetuò milites quosdam inuenias, qui pro cameli sarcina quartã aurei partem postulant: secundum inde in decimoquinto distat miliario, nõ in monte sed in ipsa planicie positum, multis partibus copiosius atque opulentius est. Tertium Tamracostum appellant, distat à secundo viginti ferè miliariorũ spatio Meridiem versus, in publica cõditum via. Reperiuntur præterea & pagi nonnulli, aliaque quædam castella minus frequentia. Mira illis est frumẽti ino-

inopia:caprarum autẽ copia maxima,quas hyeme in antris quibusdã spaciosissimis ceu in suis munimẽtis seruant,ad quæ strictissima quadam via ingreditur. Est quoq; ad hanc regionem ingressus per quadraginta ferè miliaria adeò angustus, vt duo vel tres armati maximos hic sustinere possent hostium impetus.

¶ *Matgara Regio.*

INitium habet in Meridie à prædicta regione:frequentissima hic sunt castella ad flumẽ Ziz ædificata, horum præcipuum est Helel, in quo totius regionis princeps natione Arabs se continere solet. Huius milites tentoriis quibusdam campos occupant:habet & alios quoq; milites secum, adeò vt neminem nisi fide publica exhibita præterire sinant, quem non continuò bonis omnibus exuant. Sunt & alia hic passim mapalia atque castella,quę quoniam memoratu vix digna erant,consultò omisimus.

¶ *Retel.*

IAmdictæ Regioni contigua est Retel,quæ & ad flumẽ Ziz Meridiem versus per quinquaginta miliaria ad Segelmessæ territorium se extendit. Regio castellis agrisque dactyliferis copiosissima. Incolæ Arabibus parent, vltra modũ auari atque pusillanimes sunt,adeò vt illorũ centum vix se decem Arabibus opponere auderent: agrum ferè Arabibus colunt, perinde ac si illorũ essent mancipia: in Oriente mõte quodam incolis vacuo,in Occidẽte verò planicie quadam deserta atque arenosa clauditur, ad quam Arabes à deserto redeuntes se recipere solent.

¶ *Segelmesse territorium.*

EXtendit se Segelmessæ territorium ad flumen Ziz à Septentrione Meridiem versus per viginti ferè miliaria: sunt in eo trecẽta ferè & quinquaginta castra, præter pagos & vicos, quorum tres omnium sunt celeberrimi. Primum Tenegent vocant, numeratq; mille, aut etiam plus familias: est autẽ oppido Segelmessæ vicinus, quare in eo artificum magna reperitur copia. Secundum Thebuhasant appellant, distat à priori Meridiem versus in octauo ferè miliario: aliquantò maior est incolarum numero, atque adeò mercatorum frequentia copiosior, vt in reliquis huius regionis partibus vix plures reperiri posse crediderim. Tertium Mamun dicunt, in quo magna quoque reperitur mercatorum, Iudæorum, atque Maurorum affluentia. Habent autem singuli suum principem, maximaq; inter se alunt dissidia. Sæpenumero aquæductus illos vastant, quibus illorum agri adaquantur, qui postea non nisi maximis sumptibus restaurari possunt. Palmos quoque ad truncum decidunt: atq; vndique Arabes quidam scelestissimi se intermiscent. Argenteam atque auream cudunt monetã: nisi quòd aurũ habent non vsqueadeo præstans. Argẽtei numuli singuli quatuor pendent grana, illorum autẽ octuaginta vni aureo æquiualent. Maximum hic Iudæi atq; Arabes tributum persoluũt. Reperias hic aliquot nobiles ditissimos, qui maximè apud Nigritas negociantur: quò merces Barbaricas deuehunt, auroq; atque mancipiis commutant. Dactylis ferè vescuntur oẽs, nisi

nisi quòd quibusdam locis nonnihil frumenti habeant. Infiniti hic reperiuntur scorpiones, pu lices auté nulli. Maximus huic regioni per æstatem est æstus, quo tempore flumina adeò aquis destituuntur, vt salsam é puteis quibusdam hau rire cogantur. Habet hoc territorium in circuitu octuaginta ferè miliaria, quod incolæ post Segel messæ excidium minimis sumptibus muris cinxerunt, ne quid equitum quotidianis vexarentur incursionib. Hi quandiu pacem inter se seruauerunt, liberi remanserunt: verùm postquam dissidiis inter se distrahi cœperũt, destructis mu ris quælibet pars Arabum implorauit auxilium, quibus paulatim parêre coacti sunt.

¶ *Segelmessa oppidum.*

NOnnulli à quodam Romanorum Duce conditum volunt, qui postquam suos milites è Mauritania duxisset, totá sibi recuperauit Numidiam, atque tandem in Occidentem veniens, vbi oppidum cõdidit, quod Sigillummessa appellauit, eò quòd esset in finibus Messæ positum, atq; omnium victoriarum ceu sigillum, deinde corrupto vocabulo Segelmessa appellari cœpit. Vulgus vnà cum quodam Becro Cosmographo ab Alexandro Magno exstructam esse ciuitatem arbitrati sunt, vt in ea ægros sauciosq; milites seruarentur. quæ quidem opinio nullo modo mihi arridere potest: nusquã enim legitur Alexandrum Magnum vnq̃ in his fuisse regionibus. Situm autem est oppidum in planicie quadam ad flumé Ziz, murisq; elegantissimis atque altissimis cinctum fuit, vti & multis in lo-

cis

cis adhuc videre licet. Poſtquam Mahumetani Africæ fines ingreſſi fuerunt, cœperũt huius oppidi ciues Zenetorũ parère imperio: qui tandem à quodam Ioſepho Teſſini Luntunorum Regis filio regno expulſi ſunt. Domorum atque ædificiorum elegãtia ornatiſſimum fuit oppidum: incolæ ditiſſimi, maximè apud Nigritas negociati ſunt. Ornatiſſima hic templa atque collegia fuerunt, necnon & fontium quoq; maxima copia, quorum aqua rotis quibuſdam è flumine vicino exhauriebatur. Feliciſſima hic aëris temperies, niſi quòd hyeme nimia laborauerunt humiditate, quæ morbos nõnullos inter ciues procreabat. Nunc autem deleto oppido, incolæ, vt iam diximus, caſtra pagoſq; vicinos inhabitare cœperunt. Ego in his regionibus ſeptem ferè egi menſibus, in quodam caſtello quod apud eos Memun appellabatur.

¶ *Eſnoaihila caſtellum.*

IN duodecimo ab vrbe miliario Meridiem verſus, loco quodam deſerto ab Arabibus conditum fuit. Hic merces atque frumenta ab hoſtium iniuria tuta reſeruarunt. Nullum in vicinia neque hortum, neque agrum, neque deniq; quicquam boni reperies, præter petras quaſdam nigras atque arenam.

¶ *Humcledegi.*

CAſtrum in decimo octauo à Segelmeſſa miliario ab Arabibus loco quodam deſerto exſtructũ, eadem ratione qua iamdictum caſtrum ædificatum diximus. Huic vicina eſt aſpera quædam planicies, fructibus quibuſ-

busdam adeò copiosa, vt si quis à longè videat, malis citreis sparsam esse putet.

¶ *Vmmelhesen.*

Vlissimum est castellum in vigesimoquinto à Segelmessa miliario, loco quódam deserto, eaque ipsa via quæ à Segelmessa Daram ducit, ab Arabibus exstructum. Muris nigrissimis cingitur, atq; cōtinuo Arabum præsidio munitur. Quotquot hâc prætereunt mercatores, pro cameli sarcina, quartam vnius aurei partem persoluunt. Ego cùm quodam die illàc præterirem, comitati sunt quatuordecim Budeitæ, atque numerum rogati, tredecim tantùm esse diximus: quare postquam numerare cœpissem, decimumquartum ac decimumquintum captiuos retinere voluerunt, nisi Mahumetanos esse dixissemus: verùm, quoniam non satis verbis nostris fidebant, Mahumeticam legem protulerunt, quam postquam hos intelligere viderunt, liberos abire siuerunt.

¶ *Tebelbeltum.*

Pagus est in Numidiæ deserto, ab Athlante distat miliaribus plus minus ducentis, à Segelmessa verò centum Meridiem versus. Tria habet castra vicina, incolarum numero atq; dactylorum profluentia copiosissima. Ingens hic est aquæ atque carnium penuria. Strutionibus insidiantur, quorum carnibus vtplurimum vescuntur: & quamuis apud Nigritas negocientur, miserrimi tamen sunt summaque inopia coacti, Arabum imperio parent.

¶ *Togda.*

Regi-

Regiuncula est ad flumen eiusdem nominis sita: dactylis, malis persicis, vuis, atq; ficubus copiosissima. Quatuor in ea reperiuntur castra, pagi verò decem, quorum incolæ aut agrum colunt, aut corium parant. Distat à Segelmessa Occidentē versus quadraginta ferè miliaria.

*Farcala.*

Regiuncula quoque ad fluuiolum sita, dactylis etiam aliisque fructibus abundat. Frumenti verò maxima hic est penuria. Tria hic castra, pagi verò quinque reperiuntur. Distat ab Athlante Meridiem versus centū, à Segelmessa sexaginta ferè miliaribus. Incolæ mendicissimi Arabum imperio parent.

*Teserim.*

Amœnissima hæc Regio ad fluuiolū quendam distat à Farcala triginta, ab Atlante verò sexaginta ferè miliaria. Dactylis est copiosissima, complectitur pagos quindecim, castella verò sex, vnà cum duorum oppidorum vestigiis, quorum nomina nusquā reperire potui. Teserin autem Afris perinde sonat atque latinis oppidum.

*Beni Gumi.*

HÆC Regio flumini Ghir adiacet, dactylis quoque abundat. Huius incolæ miserrimi, equos Fessæ emunt quos postea mercatoribus reuendunt, qui ad Nigritas proficiscuntur: numerantur in hac octo castella, vici verò quindecim: distat à Segelmessa Euroaustrū versus in cētesimo ferè & quinquagesimo miliario.

*Masalig & Abuginan castra.*

IN Numidiæ deserto à Segelmeſſa in quinquageſimo ferè miliario ad flumē Ghir ſita. Horum incolæ Arabes mendiciſſimi, nihil enim hic frugum prouenit: dactylorum autem exigua prouenit copia.

¶ *Caſair.*

OPpidulum in Numidiæ deſerto, diſtat ab Atlante viginti miliaribus: hic plumbum atque antimonium effodiunt, vnde huius incolæ victum ſibi parant, neque aliud quicquam hic boni prouenit.

¶ *Beni Beſſeri.*

REgiuncula ad Atlantis radices omni genere fructuum copioſiſſima, nihil autem neque frugum, neque dactylorum profert. Tria ſub ſe caſtra habet, deinde & quandam ferrifodinam, quæ omnibus Segelmeſſę regionibus ſatis facit. Pagi hic rariores, principi Dubdu atque Arabibus parent, incolę omnes ferrum effodiendi artem exercent.

¶ *Guachde.*

REgio eſt in Meridie ſeptuaginta miliaribus à Segelmeſſa ſita: Tres ſub ſe caſtra, pagos quamplurimos ad flumen Ghir habet: magna hic prouenit dactylorum, frugum autem minima copia. Inhabitatores apud Nigritas negociantur: parentque omnes Arabum imperio, quibus & tributum perſoluunt.

¶ *Trighig.*

TRia ſunt in deſerto quodam poſita caſtra, dactylorum copia feliciſſima. Huius loci mulieres pannum ad culcitræ modum te-

sunt, adeò subtilem tamen, vt sericum esse dicas, qui maximo apud Barbaros, Fessanos, atque Telensinos vendi solet. Incolæ maximo sunt ingenio præditi: partim apud Nigritas negociantur, partim Fessæ literis incumbunt: vbi simulatque Doctoris titulum sunt adepti, ad Numidiam redeũt, vbi aut Sacerdotes, aut Senatores efficiũtur, adeò vt omnes ferè sint opulentissimi. Distant autẽ à Segelmessa in centesimo ferè & quinquagesimo miliario Orientem versus.

¶ *Tesebit.*

TEsebit Regio in deserto Numidiæ à Segelmessa in ducentesimo & quinquagesimo Orientem versus, ab Atlante autẽ in centesimo posita miliario: quatuor sub se habet castella, vicos complures in Lybiæ cõfinibus ea via sitos, qua Fessa aut Telensino ad Agades Nigritarum Regionem itur: incolæ non admodum diuites, nihil enim apud hos prouenit, præter dactylos, præterque frumenti exiguam quantitatem: viri subnigri, fœminæ formosiores, colore tamen subfuscæ sunt.

¶ *Tegorarin.*

TEgorarin Regio amplissima Numidiæ deserti distat à Tesebit Orientem versus centum ferè & viginti miliaria, castella circiter quinquaginta, pagos autem plusquã centum numerat: estque dactylorũ copia opulentissima. Incolas habet ditissimos, qui inter Nigritas negociantur. Illorum ager frugibus serendis aptissimus, assidua tamen propter nimiam ariditatem eget irrigatione, atque stercoratione. Exteris do-

mos

mos inhabitandas præbent,nulla interim numerata pecunia, tantum vt stercus inde recipiant, quod illi curiosissimè asseruare solent: quin & ægre admodum ferunt, si quis hospes extra domum aluum exoneret.Ingens hic carnium caritas est:tanta enim soli est ariditas,vt neq; armenta,neque pecudes vix alere possit;capras aliquot propter lac alunt: carnibus camelinis vescuntur quam ab Arabibus emūt qui illuc ad mercatum veniunt; seuum salsum cibis admiscent, quod à Fessanis atq; Telensinis huc conuehi solet. Fuerunt quondam hic permulti Iudęi,ditissimi,qui tandem propter concionatorē quendam expulsi fuerunt,bonaque eorum pars interfecta fuit populi seditione; idque eodem ipso anno,quo Budeitæ Hispania atq; Sicilia expulsi sunt. Principem quendā proprium habent, frequentissimè inter se belligerantur,nullis tamē exteris nocent; vicinis quoq; Arabibus nonnihil tributi persoluunt.

¶ *Meszad.*

Regio in Numidiæ deserto Orientem versus, in trecentesimo à Tegorarin miliario posita,à mari Mediterraneo totidem distat miliaribus. Sex in hac regione sunt castra, pagi complures: incolæ ditissimi, maximè apud Nigritas negociantur. Nigritæ quoque vnà cum Bugiæ atque Ghier mercatoribus huc confluere solent. Arabum imperio parent, quibus & tributum enumerant.

*Tegort.*

Vetustiss. oppidum à Numidis in monte quodam conditū, ad cuius radices fluuius præterfluit,hic pons quidam qui eleuatur atque demit-

demittitur. Huius oppidi murus ex lapide viuo atq; creta eſt exſtructus,ea tamē parte qua montem reſpicit,muri vice rupem habet munitiſſimam: diſtat à mari Mediterraneo Meridiem verſus quingentis, à Tegorarin trecentis ferè miliaribus. Familiarum duo millia & quingenta numerat: domus autem ex lapide crudo ſunt fabricatę,præterquam templum,quod aliquanto elegantius eſt. Maxima hic incolarū tam artificum quam nobilium multitudo:& quoniam ſumma eſt his dactylorum copia,frumenti verò ingens penuria,Conſtantinæ mercatores apud hos frumentum dactylis commutant:exteris omnibus maximè fauent, quos humaniſſimè exceptos aſymbolos dimittunt. Exteris filias deſpondere malunt quàm propriis ciuibus: pro dote autem agrum quendam dant,quemadmodū & in pluri mis Europæ partibus. Aduenas multis onerant muneribus,etſi tamen nunquā rediturios ſciant: tanta his eſt liberalitas. Primo Maroccorū Regi paruerunt, deinde Telenſino,nunc tandem Tunetano ſubiecti ſunt Regno, cui ſingulis annis quinquaginta millium aureorum enumerāt tributum,ea tamen conditione,vt Rex ipſe tributa receptum veniat.Qui nunc Tuneti Regem agit, ſecundum tributum ab his exegit. Multa habēt caſtra atque pagos, nonnullas item regiunculas, quæ omnes huius ciuitatis principi parent: ille ſingulis annis centum & triginta millia aureorū prouentū colligit:numeroſiſſimo ſemper eſt ſatellitio munitus,numeratq; ſtipendium ampliſſimum.Qui nunc Regē agit,iuuenili ætate princeps

ceps est, Habdulla vulgò nominant, exterisque omnib. humaniss.est,id quod ego certissimū per aliquot dies expertus sum,quib. apud eum egi.

¶ *Gnargala.*

Est hæc quoque ciuitas antiquissima,à Numidis in Numidiæ deserto munitissimis muris cincta. Ædificiorum structura hic summa est elegantia: dactylorum autem vbertas maxima. Castella aliquot sub se habet, pagos propemodum innumeros. Huius incolæ, quoniam Agades regno adiacent, ditissimi sunt. Ingens hic est Constantinétium ac Tunetanorum mercatorum affluentia, qui merces ex Barbaria aduectas apud Nigritas vendunt. Et quoniam magna his est frugum atq; carnium inopia,strutionum carnibus vescuntur,atq; camelinis.Sunt autem omnes colore nigri,habentque mancipia nigra: ingenium eis humanissimum, liberale, ac in exteros amicissimum est, maximeque munificum. Principem habent,quem ceu Regem venerantur: hic perpetuò duo ferè equitum millia secum ducit,colligitq; quotannis centum ferè & quinquaginta millium aureorum prouentum.

¶ *Zeb regio.*

Est hæc regio in Numidiæ quoque deserto posita: principium Occidentale à Melisa sumit, terminaturque in Septentrione ad montem Bugiæ: in Oriente dactylifera illa regione quæ Tunetum respicit, in Meridie deniq; deserto quodam clauditur, per quod à Gnargala Techortū proficiscitur. Ingens hic semper æstus atque arena est,aquæ verò atq; frumenti summa

inopia: verùm id dactylorũ abundantia optimè pensatur. Habet hæc regio sub se quinque oppida, pagos verò quamplurimos: quæ omnia à nobis suo quoque ordine describentur.

### ¶ *Pescara.*

ANtiquissimum est oppidum à Romanis eodem tempore conditum quo illi Barbariam occupauerunt, deinde excisum à Mahumetanis Africam ingressis restauratum fuit: nunc incolarũ numero sic satis copiosum, muris elegantissimis cinctum: incolæ etsi non diuites, ciuilitatis tamen sunt amatores. Nihil hic præter dactylos prouenit. Varios habuerunt Principes. per aliquot enim annos Tunetani imperio paruerunt, idque in obitum vsque Regis Hutmeni, cui eiusdem ciuitatis sacerdos successit: neque vnquam ab eo tempore Tuneti Reges id sibi imperium recuperare potuerũt. Maxima hic scorpionum est copia, à quibus icti cõtinuò moriuntur: quamobrem ciues ferè omnes æstatis tempore relicta vrbe rus commigrant, vbi in mensem vsque Nouembrem remanent.

### ¶ *Bargi.*

ALiud quoddam oppidum est quod Borgi vulgò appellatur: distat Orientẽ versus à Pescara quatuordecim ferè passuum millia. Magna hic est omnium generum artificum, maxima verò agricolarum frequentia. Et quoniam ingens hîc est aquæ penuria, cùm tamen agri assidua egeant irrigatione, quodam aquæductu cuique in suum agrum aquam introducere licet, idque per vnam aut alteram horam, secun

ſecundum agri latitudinem aut longitudinem: deinde vicinus quoq; ager ad clepſidras adaquatur, ita tamen vt frequentiſſimè inter ſe rixetur, atque pro aquæductu digladientur.

¶ *Nefra.*

NEfra oppidum,ac eodem nomine appellata regio, quæ tria ſub ſe caſtra habet, quorum maximum à Romanis, quantum ex ſtructura colligere poſſum,fuit ædificatum . Ciuium hic maxima eſt frequentia, quos ruſticitati natos dicas: olim ditiſſimi fuerũt,non enim procul à Libya aberãt, eadem ipſa via qua ad Nigritas itur: verùm propter cõtinuum cum Tuneti Rege geſtum bellum, qui nunc Regem agit,oppidum deleuit: incolas partim interfecit, partim fugauit. Muros reliquaq; omnia ædificia ita deſtruxit,vt iam pagum eſſe credideris. Non procul hinc fluuius quidam aquæ calidæ præterfluit,cuius aqua cùm eorum potui,tum & agrorum quoque irrigationi ſeruit.

¶ *Teolaea.*

OPpidum eſt à Numidis ædificatum,murisque viliſſimis cinctum, cui etiam vicinus eſt fluuius quidam aquæ calidæ. Horũ ager dactylis copioſiſſimus, frugibus verò infeliciſſimus eſt. Miſerrimi huius oppidi ciues maximis indies cùm ab Arabibus,tum à Tuneti Rege exactionib.diſcruciantur: auari tamẽ ſunt, atq; vltra modum ſuperbi,ac exteris inuidiſſimi.

¶ *Deuſen .*

DEuſen vetuſtiſſimũ oppidum à Romanis eodem loco cõditum,quo Bugiæ regnum

cum Numidia iungitur: à Mahumetanis ſimulatque in Africam venerunt deletum fuit, idque propter quendam ducem Romanũ, qui per integrum annum Saracenorum obſidionem ſuſtinuerat: hic tandem capto oppido cum omnibus ſuis interfectus eſt, mulieres omnes cum pueris captiuæ abductæ fuerunt. Poſt excisum tamen oppidum remanſit murus integer, quandoquidem duriſſimo lapide ingentiq; craſſitudine munitiſſimus erat, etſi quibuſdam in locis præruptus videatur, id facilè aliquo terræmotu accidiſſe crediderim. Reperiuntur adhuc non procul ab hoc oppido nonnulla antiquitatum monumenta, quæ ſepulcra eſſe dicas, in quibus argentea quædam numiſmata reperiuntur, literis quibuſdam atq; hierogliphicis inſignita figuris, quarum interpretationẽ nunq̃ à quoquã percipere potui.

¶ *Billedulgerida regio.*

EXtendit ſe à Peſcaræ territorio ad Inſulam vſq; Lotophagitem, altera eius parte, hoc eſt, in qua ſita ſunt Caphſa atq; Teuſar, diſtat à mari Mediterraneo trecentorum ferè miliariũ interuallo. Calidiſſima atq; aridiſſima regio, nihil prorſus frumenti, dactylorum autem maximã producit copiam, qui quoniam optimi ſunt, ad Tuneti regnum cõuehi ſolent. Frequentiſſimæ hic ſunt ciuitates, quæ omnes à nobis ſuo quæque explicabuntur loco.

¶ *Teuſar.*

TEuſar antiquiſſimum quoque oppidum à Romanis in Numidiæ deſerto ad flumẽ quoddam, quod ex montibus Meridiona

libus

libus effluit, ædificatum. Muros habuit elegantissimos atque munitissimos, territorium quoqꝫ amplissimum, verùm adeo à Mahumetanis deletum, vt nunc pro sumptuosissimis palaciis turguriola quædam vilissima reperias. Incolæ cùm mercibus tum & pecuniis opulētissimi sunt, frequentes enim quotannis nundinas habent, ad quas infiniti propemodum Numidę atque Barbari confluere solent: flumen oppidum in duas diuidit partes, quarum alteram nobiles inhabitant, hanc Fatnasa appellant: in altera, quã Merdes dicunt, Arabes quidam morantur, qui exciso à Mahumetanis oppido superfuerunt. Variè inter se semper belligerantur, ægreque admodum Tunetti Regis imperio parēt: quare & ab eodem indignissimis semper tractantur modis.

## ¶ *Caffa oppidum.*

CAffa oppidum antiquissimũ à Romanis ędificatum per aliquot annos proprium habuit ducem, postea à quodam Hucha Hutmeno Califa occupatum: muri verò solo fuerunt æquati: arx interim remansit, quæ sanè munitissima est, huius enim murus longitudine vigintiquinque est cubitorum, in crassitudine autem quinque habet cubitus, lapidibus elaboratis, atq; eiusdem ferè artificij, cuius sunt lapides Amphiteatri Vespasiani. Posthæc ciuitatis murus restitutus fuit, atque tandem rursum à Mansore destructus, ciuitatis principe cum omnibus suis interfecto, Mãsor alium quendam ei Regno præfecit. Nunc oppidum incolis refertissimum, domus omnes templo tantũ excepto cum aliis

quibusdam ædificiis vilissimæ sunt, plateæ spatiosissimæ nigrisq; lapidibus stratæ, quales Neapolitanæ atque Florentinæ sunt plateæ. Incolæ non admodū diuites frequentissimis Tuneti Regis exactionib. vexantur. Huius oppidi medio quadrati quidam profundi atque latissimi sunt fontes, muris vndique circumcincti. Aqua calida est potuiq; minus apta, nisi prius per horam vnam aut alteram refrigerata: summa hic aëris est intemperies, bona semper incolarum pars febribus detinetur. Ingenium illis est rude, illiberale, ac exteris omnibus minimè fauent: quamobrem & ab omnibus Afris mirè cōtemnuntur. Nō procul ab hoc oppido agri sunt dactylis, oliuis, malisq; citreis fœcundissimi: dactyli autem atq; oliuæ, totius Regionis præstantissima sunt: oleum quoq; optimum colligunt: inhabitatores ex ceruino corio sibi calceos cōsuunt maximos.

¶ *Nessaoa.*

TRia sunt castra eo nomine appellata, incolis referta, structurisque vilissima, crebris exactionibus à Tuneti Rege vexantur, distant à mari Mediterraneo circiter quindecim miliaribus.

¶ *Teorregu.*

REgiuncula est Regni Tripolitani, Barcæ deserto adiacens, suntque tria castra hoc nomine dicta dactylis copiosissima, cùm nihil hic omnino frumenti proueniat. Incolæ quia maximo distāt à reliquis vrbibus interuallo, miserrimam agunt vitam.

¶ *Iasliten.*

Re-

REgio eſt ad mare Mediterraneũ frequentiſſimis pagis, dactyliſque copioſiſſima. Incolæ quoniam mari adiacent, maxime cum Siculis atque Ægyptiis negociantur.

¶ *Gademes.*

REgio eſt ampliſſima frequentiſſimis caſtris pagiſque copioſiſſimis plena, diſtat à mari Mediterraneo Meridiem verſus in trecenteſimo ferè miliario. Incolæ cùm dactylis tum & omnis generis mercaturis ditiſſimi ſunt, apud Nigritas negociantur atq; Arabibus tributum perſoluũt, quanquam per aliquod tempus Tuneti Regi atque Tripolitano principi paruerint. Maxima hic eſt frumenti atq; carnium penuria.

¶ *Fezzen.*

FEzzen Regio ampliſſima munitiſſimis caſtris pagiſque frequentiſſimis copioſiſſima, inhabitatores ditiſſimos habet, regno Agades, Libyæ deſerto necnon & Ægypto adiacet: diſtat à Cairo ſexaginta ferè itinere dierum, neque in toto eo deſerto alius pagus reperitur, præterquam Angela, quæ in Libyæ deſerto ſita eſt. Habet Fezzen proprium quendam principẽ, qui omnes regionis prouẽtus in ſingulos pro arbitrio diuidit, atque Arabibus viciníoribus nonnihil tributi enumerat. Maxima hic eſt frugum carniumque penuria: camelinis enim duntaxat carnibus veſcuntur.

*De Libyæ deſerto, ac primum Zanhagæ deſcriptio.*

ENumeratis hactenus Numidiæ regionib. ſequitur nunc vt & de Libya nonnihil dicamus, quæ in quinque diuiditur partes,

vti in principio huius operis dictũ est. Initium igitur sumemus à Zanhagæ deserto arido atque fragoso, quod initiũ habet in Occidēte ad mare Mediterraneũ, deinde Orientem versus sese extendit ad Salinas vsque Tegasæ, in Septentrione Sus, Haccha atq; Dare Numidiæ regionibus adiacet. Deinde Meridiem versus ad Nigritarũ vsq; regionem protenditur, vbi Gnalata atque Tumbuto Regnis terminatur. Aqua hic in centesimo tantùm reperitur miliario, eaq́; salsa, maximeq́; insipida à puteis quibusdam profundissimis petitur, idq́ue ea præsertim via quæ à Segelmessa Tumbutum ducit: maxima hic ferarum reptiliumq́; copia est, vti & suo dicetur loco: in hac regione desertum est asperum, quod eis Asanad appellatur, in quo neque aquam, neq; habitationes in centesimo vix reperias miliario: initium sumendo à puteo Asanad, ad puteum vsq; Araoan, qui à Tumbuto circiter centũ & quinquaginta miliaribus abest: hic cũ propter aquę penuriam tum & caloris nimiam vehementiam, multi quotidie homines multaq́; armenta intereunt.

### De quodam deserto quod Zuensiga populus inhabitat.

EST & in hac Regione desertũ quoddam quod in Occidente à Tegasa initium habet, extenditurq́; Orientem versus ad desertum vsque Hair, quod Targa populus incolit: in Septentrione Segelmessæ, Tebelbelti, atq; Benigorai desertis adiungitur, in Meridie aũt Ghir deserto clauditur, quod Gubero regno adiacet: aridissimum, maximeq́ue horrendum est desertum

tum: illac tamẽ mercatores à Telensino ad Tum butum proficiscuntur: reperiuntur autem frequentissimi in eo itinere extrema siti extincti. Includitur in hoc deserto & aliud quoddã, quod Goeten appellãt, vbi nouem dierum itinere ne guttula quidem aquæ reperitur, nisi fortassè pluuia nonnihil aquæ præbeat: quamobrem mercatores camelis aquam circumferre solent.

*Eius deserti descriptio quod à Targa populo occupatur.*

HAbet hoc desertum suum in Occidente principium ad confinia Hairi loca, vergitq; Orientem versus ad desertum vsq; Ighidi, in Septentrione desertis Tuath, Tegorarin atque Mesabe terminatur: in Meridie verò deserto quodam Agadez clauditur. Multis partibus clementius minusque asperum quàm duo iam ante à nobis descripta: aquæ hic satis bona reperitur copia, vicinis præsertim Hairi locis. Mira hic est aëris temperies, nullum herbæ genus hic desiderari potest. Non procul ab Agades reperitur manna copiosissimum, hoc incolæ mane semper quibusdam vasculis colligunt, ac recens Agades ad mercatum ferunt: solet autem aqua commixtum pro deliciis epotari. Deinde & iuri addunt, quo modo sumptum maximam habet refrigerandi facultatem, quamobrem hic rariores esse morbos credibile est, quanquã Tumbuti atque Agades sit aër corruptissimus: patet hæc solitudo à Septẽtrione Meridiem versus per trecenta ferè passuum millia.

*De eo deserto quod Lemta populus inhabitat.*

Quar

QVartum desertum à territorio Igidi initium habet,extéditurq; ad aliud quoddam desertum, quod à Berdoa populo colitur. in Septentrione desertis Techort,Gnargalæ atque Gademiti adiungitur : in Meridie eo deserto clauditur quod ad Cano Nigritarum regnum ducit. Aridissimum est,necnon & mercatoribus Constantinam proficiscentibus periculosissimũ. Huius enim incolæ sibi Gnargalæ imperium asscribunt, quare dum contra Gnargalæ Principem bellum gerunt, mercatores vtplurimum bonis exuunt:Gnargalitas verò,quotquot in eorum manus incidunt,confestim iugulant.

¶ *De alio quodam deserto quod à Berdoa populo tenetur.*

QVintum desertum in Occidēte initium habet à iam dicto deserto, extenditq́ue sese Orientem versus ad Augelę vsque desertum. In Septentrione Fessen atque Barcæ solitudinib. adiacet, vergitq́ue Meridiem versus ad desertum vsque Bornon. Maxima hic quoque ariditas est, neque cuiquam tutus illàc transitus patet, præterquam Gademitis,qui Berdoa populo sunt amicissimi:Fezzenitis verò,quoties in manus hostium incidunt, merces omnes adimuntur. Reliquum Libyæ deserti, hoc est,ab Augela ad Nilum vsque ab Arabibus quibusdam atque Africanis occupatur, quos vulgò Leuata vocāt: estq; hic Libyæ deserti finis. ¶*Nun regio.*

NVn regio maritima, pagos atque vicos complures habet, incolas verò mendicissimos: inter Numidiam atq; Lybiam po-

posita est, sic tamen vt Libyæ sit vicinior. Nihil hic neque frumenti neque hordei prouénit. Hic dactyli reperiuntur sapore nó admodum grati. Incolæ frequentissimis Arabum grauantur incursionibus: horum verò nonnulli apud Gnalatas negociantur.

## ¶ *Tegaza.*

TEgaza regio, vnde maxima effoditur salis copia, quod marmor candore superat. Extrahitur autem è quibusdam antris, ad quorũ ingressum tuguriola aliquot reperias eorum qui in eo exercitio suam insumũt operam. Hi autem exteri omnes sunt, atque effossum sal mercatoribus quibusdam vendunt, à quibus camelis ad Tumbuti regnum deuehitur, vbi summa est alioqui salis inopia. Neque quicquam ciborum salis effossores habent, pręterquam quod à mercatoribus illuc adportatur: sunt enim ab omni hominum commercio viginti ferè itinere dierum semoti, adeò vt sæpenumero multa fame mortui reperiantur, quoties nó satis tèmpori venire potuerũt mercatores: accedit ad illorum calamitatem, quòd ventus interdum ex Euroaustro miseros excæcat, ita vt non sine maximò periculo hic habitare queant. Ego totũ triduum apud hos victitaui, quo aquam salsissimam è puteis quibusdam non longe ab antris positis desumptam potandum fuit.

## ¶ *Augela.*

AVgela regio Libyæ deserti, distat à Nilo in quadringẽtesimo quingequasimo miliario : tria hic castra cum aliquot pagis re-

reperias. Satis bona hic dactylorum copia, frumenti autem summa est inopia, nisi huc à quibusdam mercatorib. ex Ægypto adferatur. Sita est hæc Regio ea via publica, quæ à Mauritania per Libyæ desertum ad Ægyptum ducit.

¶ *Serte.*

OPpidum antiquissimum ab Ægyptiis vt nonnulli volunt, à Romanis vt aliis placet, ædificatum: neque desunt qui ab Afris conditum esse malunt. tandem à Mahumetanis excisum fuit, quanquam Ibnu Racih Historiographus à Romanis destructum affirmet. Nunc nihil omnino relictum reperias, præter exigua admodum muri monumenta.

¶ *Bardeoa regio.*

BArdeoa medio Libyę deserto posita, distat à Nilo quingentis ferè miliaribus: tria hic sunt castra, quinque aut sex pagi dactylis optimis copiosissimi. Tria verò castra octodecim ab hinc annis à quodã Hamar reperta sunt, idq; hunc in modum: Mercatores quidam à recta aberrantes via, cæcũ habebant qui regiones omnes nouerat: hic camelo insidens præcedebat, atque singulis miliaribus arenam sibi dari iubebat, ad cuius odorem regionis situm dicebat: quum autem in quadragesimo tantùm ab hac regione abessent miliario, assumpta arena nõ procul eos esse à regione quadam pronunciauit: quod tamen aliis credibile non videbatur, sciebant enim se ab Ægypto ad quadringenta & octuaginta miliaria processisse, adeò vt se Augelæ viciniores arbitrati sint. Tertio tamen die tria castra inuenerunt,

runt,quorum incolæ exterorum aduentum admirantes,maximeq́ue ſibi metuentes,mox portas omnes occluſerunt, neque mercatoribus extremum ſitientibus aquam dare voluerunt. Illi tamen vi illata intrò tandem ſeſe coniecerunt, atq; vbi iam ſatis aquæ ſumpſiſſent, rurſum itineri ſe commiſerunt.

¶ *Alguechet.*

Regio eſt Libyæ quoque deſerti,in centeſimo & vigeſimo abÆgypto miliario poſita. Tria hic caſtra, rura frequentiſſima, dactylis copioſiſſima. Incolæ ſubnigri, viliores, atq; auariſſimi, ditiſſimi tamen; ſunt enim medij inter Ægyptum & Gaogam ſiti. Principem habent proprium, & tamen Arabibus vicinis tributum perſoluunt.

## Ioannis Leonis Africani deſcriptionum Africæ, rerumq́; in ea memorabilium,

### LIBER SEPTIMVS.

¶ *Nigritarum regionis in ſuas partes diuiſio.*

Vetuſtiſſimi rerum Africanarũ ſcriptores, quales fuerunt Bicri atque Meshudi, nihil in Nigritarum regione præter Gueget atque Cano nouerunt: nam antea adhuc incognita erant reliqua omnia loca. Hegiræ autem Anno trecẽteſimo octuageſimo,opera cuiuſdam Mahumetani, qui ad Barbariam venerat,reliqua

huius regionis pars inuêta eſt, cum maxima incolarum copia, qui beluinam prorſus ducunt vitam, nullum neque Regem, neque Principem, nullamq́; adeò Remp. habent, vix agriculturam nouerunt, pellibus quibuſdam veſtiuntur, proprias verò mulieres non habent: interdiu pecus cogunt: ſub noćtē in tuguriolis quibuſdam deni aut duodeni tam viri quàm fœminæ côueniunt, pellibus lećti vice vtuntur, ſibiq́ue eam ſumit quiſq; mulierem, quæ magis arridet. Nulli bellum inferunt, nec extra limites aliud regnũ quærunt. Horum nonnulli Solem ſimulatque exortus eſt, ſummè venerantur: alij ignem adorant, cuiuſmodi ſunt Gnalitæ populi: reliqui Ægyptiorum more ad Chriſtianã fidem propius accedunt, quales ſunt qui Gaogam incolunt. Paruerunt Nigritæ primò Ioſephi Regis imperio, qui Maroccum ædificauerat, deinde quinque Libyæ populis ſubiećti fuerunt, a quibus Mahumetanam legem aliasq́; ad vićtum neceſſarias artes edoćti ſunt: poſtea cùm Barbariæ mercatores ſuas merces in has regiones conuehere cœperũt, tum etiam linguam Barbaram introduxerunt. Quinque autem populi Libyæ hanc inter ſe regionem partiti ſunt, adeò vt eorũ quælibet pars tertia regionem vnam poſſideret. Qui nunc Regem agit Tumbuti (Abubacr Izchia vocant) natione Nigrita eſt: hic poſt Regis præcedẽtis obitum, qui ex Libya ortus erat, interfećtis Regiis filiis in regnum ſucceſſerat, eſtq́ue tum ad Nigritas deuolutum imperium. Hic poſtquã per quindecim annos bellum gerens ampliſſima ſibi re-

gna

gna deuicisset, composita cum omnibus pace ad Mecca proficisci voluit, quo in itinere omnia sua bona ita consumpsit, vt & ab aliis quibusdã prin cipibus aliquot aureorum millia sit mutuatus. Quindecim igitur hæc Regna nobis cognita ad Nigrum aliosq; fluuiolos qui in Nigrum fluunt sunt posita. Est autẽ media inter duo vastissima quædam deserta, ex altera enim parte desertũ ha bet quod à Numidia ad hanc vsque se extendit regionem : ex Meridie verò ei deserto adijcitur, quod inde ad mare Oceanũ protrahitur: in qua solitudine infinitę propemodum sunt regiones nobis incognitæ, idq; cùm propter nimiam locorum distantiam, tum propter linguarum Religionisq; diuersitatem. Nihil omnino cõmercij nobiscum habent, verùm eos cum maris Oceani accolis negociari sæpenumero intelleximus.

¶ *Gualatæ Regni descriptio.*

EST sanè hoc regnum, si alia respicias, angustissimũ: pagos enim tantùm tres cum aliquot vicis campisque dactyliferis complectitur: distat à Nun Meridiem versus trecentis ferè, à Tumbuto Septentrionem versus quingentis, à mari Oceano circiter centum miliarib. In hac Libye populi, dum adhuc eo Regno potirentur, regiam constituerũt, quo tempore ingens mercatorum Barbarorum huc confluebat copia: postea verò regnante Heli principe opulentissimò mercatores relicta Gualata ad Tumbutum atque Gago proficisci cœperunt, quę res summã attulit in regione rerum omniũ penuriam. Horum lingua Sungai appellatur, nigerrimi sunt

atq;

atq; erga exteros amiciſſimi. Noſtris temporib. fuit hæc Regio à Tumbuti Rege deuicta, fugatus inde princeps deſerta petiit, quod vbi Tumbuti Rex animaduertiſſet, metuens ne cum omnibus deſerti incolis rediret, iis conditionib. pacem dedit, vt ſingulis annis ingens quoddam numeraret tributum, remanſitque igitur in hunc vſque diem hic princeps Tumbuti Regi tributarius. Hi moribus ritibuſq; cum adiacentis deſerti incolis côueniunt. Prouenit hic minima tantummodo millij, necnon & cuiuſdam leguminis rotundi copia, cuiuſmodi nunquam in Europa vidiſſe memini, carnium verò ſumma hic eſt penuria. Tam viri quàm fœminæ caput hunc in modum obuoluunt, vt totam fere tegant faciem. Nulla hic eſt Reipub. adminiſtratio, nulli nobiles aut iudices, quin miſerrimam omnes hic viuunt vitam.

### ¶ *Gineæ regni deſcriptio.*

HOc Regnum eſt à noſtrę gentis mercatoribus Gheneoa, à propriis incolis Genni, à Luſitanis verò aliiſq; Europæ populis Ginea appellatum: eſt aũt medium inter Gualatam ad Septentrionẽ ac inter Tumbutum ad Orientem, habetq; Meridiem verſus coniunctũ Melli Regnum. Longitudine quingentorum ferè eſt miliarium: extendit ſe ad fluuium Nigrum per quingenta ferè paſſuum milia, mari Oceano adijcitur, eodem loco quo Niger in mare dilabitur. Regio eſt hordei, orizæ, pecudum, piſcium, atque goſſypij copia opulentiſſima: goſſypium autem Barbariæ mercatoribus vendunt, aut pan

nis

nis ex Europa aduectis, æneis vasis,armis,aliisq; huiusmodi rebus commutant. Horum moneta aurea est, nulla inscriptione insignita: est & alia quædam moneta ferrea, qua in rebus minutioribus vti solent, huius quædam libram vnā, alia semissem, alia etiam quadrantem pendet. Nihil in hac regione fructuum, præter dactylos reperias, qui huc aut ex Gualata aut Numidia adferuntur. Nullum omnino neque oppidum est, neque castrum:pagus tantùm quidam reperitur amplissimus,in quo Gineę princeps,sacerdotes, doctores,mercatores,omnesq; adeo regionis nobiles inhabitāt.Huius domus cretaceæ tecto stramineo copertæ,incolæ gossypio nigro aut cæruleo vestiuntur,quo & caput tegere solent: sacerdotes legisq; doctores candidum gestant gossypium. Remanet autem hæc regio tribus Anni mensibus,Iulio, Augusto, atq; Septembri,Nigri inundationibus ad Insulæ modum cincta: quo tempore Tumbuti mercatores lignis quibusdam ad scaphæ instar cauatis huc suas merces conuehere solent,interdiu nauigātes,sub noctem verò lintrem littori alligant,ac in terram pernoctant. Paruit quondam hoc regnum cuiusdam populi Libyæ imperio, postea Regi Sono Heli tributa persoluit, cui Soni Heli Izchia successit, qui huius regionis principem captiuum apud Gagum seruauit, vbi miserrimus vnà cum alio quodam viro nobili miserrimè vitam finiuit.

## ❡ *Melli regio.*

Extendit se ad flumen quoddam, quod ex Nigro effluit per trecenta ferè passuū milia,

In Septentrione iamdicto adiacet Regno, ad Meridiem deserta montesque aridissimos habet; in Occidente vastissimis quibusdam syluis iungitur, quæ ad mare vsq; Oceanum extenduntur: in Oriente verò Gago territorio confinis est. Reperitur in hoc regno amplissimus quidam pagus, qui sex millia, aut etiam plus familias continet, Melli appellant, vnde & regnum nomen habet. Hic se Rex cum omnibus suis continere solet. Regnum est frumento, carnibus, atque gossypio opulentissimum. Maxima hic vbique artificum ac mercatorũ copia: exteri tamen maximo semper apud Regem sunt in honore. Inhabitatores ditissimi, mercibusque copiosissimi. Frequentia hic templa, sacerdotes, atque prælectores, qui in templis tantùm prælegunt, quandoquidem collegia non habent. Nigritas omnes ingenio, ciuilitate, atq; industria antecedunt: primi omnium Mahumeticam assumpserunt legem, eo tempore quo Principē habuerunt Iosephi Regis Marocci auunculum, remansitq; penes huius successores imperium: tandem Izchia deuictum huius regni Principem sibi tributarium reddidit, adeoq; ingentibus vexauit exactionibus, vt vix tantum sit vnde familiam alere possit.

### *Tumbutum regnum.*

HVius Regni nomen nostris ferè temporibus ab eiusdem nominis oppido desumptum volunt, cuius conditorē fuisse dicunt quendam Mense Suleiman, Hegiræ anno sexcentesimo decimo: in duodecimo miliario à quodam fluuiolo sitũ fuit, quod è Nigro flumine

effluebat, cuius domus omnes in tuguriola cretacea stramineis tectis sunt mutatæ. Visitur tamen elegantissimum quoddam templum, cuius murus ex lapidibus atque calce viuo est fabricatus: deinde & palaciũ quoddam Regium à quodam Granata viro artificilsimo conditum. Frequentissimæ hic sunt artificũ, mercatorũ, præcipuè autem telæ atq; gossypij textorum officinæ. Huc mercatores Barbari pannum ex Europa adferunt. Huius quoque regionis mulieres faciem tegunt, ancillis tamen exceptis, iisq; quæ omnia ad victum necessaria vendunt. Incolæ, ac inter hos exteri præsertim sunt ditissimi, adeò vt qui iam Regem agit, vtramque filiam duobus mercatoribus ditissimis in vxores dederit. Frequentissimi hic putei, qui aquam prębent dulcissimã, ac quoties Niger flumen excrescit, eius aquam ductibus quibusdam in vrbem trahunt. Regio est frumentis, pecudibus, lacte, atque butyro copiosissima: salis verò summa est penuria. huc enim à Tegasa, quod oppidum in quingentesimo abest miliario, adferri solet. Ego cùm hic essem, vidi salis sarcinam vnam, quantum camelus ferre potuit, octuaginta emi aureis. Tumbuti Rex opulentissimus bracteas aliquot atq; sceptra habet, quorum nonnulla mille & trecentarum sunt librarum: magnificam optimeq; instructam alit aulam. quoties aliquò proficiscitur, camelo insidet, qui à nobilib. duci solet: idem euenit quoties ad bellum proficiscitur, milites verò omnes equites sunt. Hunc si quis Regem alloqui velit, ad pedes primùm procidit, deinde terram sumés

in caput atque humeros sternit: soletq; hic ferè mos ab illis seruari, qui nunquã antea Regi sunt locuti, aut qui ab alio Principe huc Legati sunt missi. Equitum semper tria millia habet, pedites propemodum innumeros, qui arcubus sagittas emittunt veneno infectas. Frequentissime cum his belligerantur, qui tributum persoluere recusant, & quotquot prælio capere possunt, Tumbuti mercatorib. vendunt. Magna hic est equorum paucitas, mercatores atque aulici pusillos quosdam alunt, quibus in itinere peragendo vti solent: præstantissimi autem equi è Barbaria adducũtur. Rex verò simulatque audit mercatores cum equis appulisse, mox numerum sibi adferri iubet, deinde omnium præstantissimum sibi deligit, preciumq; liberalissimè persoluit. Iudæis omnibus adeò se hostem atrocem præbet, vt nullos omnino in ea ciuitate admittat: si quos Barbaros aliquid cum Iudæis commercij habere intelligit, statim illorum bona proscribere iubet. Magna hic est iudicum, doctorum, sacerdotum, atque virorum doctissimorum copia, qui liberalissimis Regiis aluntur stipendiis. Infiniti hic libri manuscripti ex Barbaria adferũtur, è quibus multò plures pecuniæ, quàm ex reliquis omnib. mercibus colliguntur. Horum moneta aurea est, nullis figuris insignita: in rebus autem minutioribus cochleis quibusdam vtuntur, quæ huc ex Persarũ regione conuehi solent, harum quadringentæ aureo æquiualent: aureorum autem sex cum duabus vnius aurei tertiis vnciam vnã pendent. Homines natura sunt mites atque placidi,

à vi-

à vigesima quarta in primam vsq; noctis horam cantando atq; saltando omnes ferè ciuitatis partes ambiunt: mancipia vtriusq; sexus quamplurima alunt, estq; oppidum ignis iniuriç maximè obnoxium: vbi iam secundùm ad hos venissem, dimidia ferè oppidi pars quinque horarum spatio igni deleta fuit. Nullum in suburbio hortum aut fructibus consitum locum reperies.

### ¶ *Cabra oppidum.*

CAbra sic satis amplum absque muris ad pagi modum compositum oppidum, distat à Tumbuto ad flumẽ Nigrũ in duodecimo ferè miliario: hic mercatores ad Gineæ aut Melli regnum nauigare cupientes, naues conscendunt. Huius tam ciues quàm ædificia Tumbuti ædificiis atque ciuibus nõ admodum sunt inferiora: huc Nigritæ nauigio vndiq; confluere solent: in hac ciuitate Tumbuti Rex iudicem quendam constituit, qui lites inter eos componeret: molestum enim erat toties in anno eam ob causam eò proficisci. Ego hic Regis fratrem Abu Bacr cognomine Pargama noui hominem colore quidem nigrum, cæterùm animo atq; ingenio candidissimum. Frequentissimi hic exoriuntur morbi, qui Remp. mirum in modum minuunt. Idq; propter ciborum ineptissimã commixtionem: pisces enim lacte, butyro, atque carnibus commiscent. Estque hic præcipuus ferè Tumbuti cibus.

### ¶ *De Gago oppido atque regno.*

GAgo oppidum amplissimũ nullis quoque cingitur muris: distat à Tumbuto

Meridiem verſus quadringẽtis ferè paſſuum millibus, inclinaturque fere ad Euroauſtrum. Viliſſimas habet domos, præter eas quas Rex cum ſuis nobilibus occupat. Mercatores hîc ditiſſimi reperiuntur: magna quoque ſemper affluere ſolet Maurorum copia, qui hic pannum emunt è Barbaria atque Europa aduectum. Maxima in vrbe opulentiſſima reperitur frumenti atq; carnium abundantia: vini verò, arborum, atque fructuum ſumma inopia. Non hic melones, citreolos, neque orizam deſiderabis: frequentiſſimi hic quoq; putei, è quibus aqua hauritur dulciſſima. Eſt & hîc locus quidam ad quem mancipia venalia adducuntur, idq; iis præſertim diebus, quibus mercatores conuenire ſolent: quindecim annorum iuuenis ſex aureis vendi ſolet, tantidem etiam & pueri emuntur. Habet Rex quoddam ab aliis ſemotum palatium, in quo maximam alit fœminarum atque mancipiorũ copiam, quę & à quibuſdam ſeruantur Eunuchis: & quò omnia ſint tutiora, equitum atq; peditum ſatis bonam alit cuſtodiam. Inter portam priorem atq; interiorẽ palacij partem, locus eſt muris cinctus in quo Rex omniũ lites diffinire ſolet: & quanuis ipſe diligentiſſimus omnia propemodũ perficiat quę ad hanc rem pertinere videntur, habet tamen & ſuos conciliarios, aliosque quos habet à ſecretis, à theſauris, à negociis atque rationibus. Nõ dictu facilè quantum hic mercium quotidie adferatur, quamque precioſa atq; ſumptuoſa ſint omnia. Equi in Europa decem aureis empti, hic quadraginta, interdum etiam & quinquaginta

emun-

emũtur aureis. Nullus est tam vilis Europæ pannus, cuius vlna quatuor non hîc ematur aureis, qui verò aliquantulum subtilior est, quindecim: Venetus autem pannus, ostrinus, aut è Turcia aduectus, triginta ferè apud illos emitur aureis: ensis hic trib⁹ aut quatuor valet coronatis, quod & de calcaribus, frenis, aliisq; omnibus rebus, item & de aromatibus dici possent: omnium denique carissimum sal est. Reliqua huius regni pars nihil aliud quàm pagos atque vicos continet: hæc ab Agricolis & pastoribus occupatur, qui hyeme pellibus quibusdam membra tegunt, æstatis verò tempore adeò nudi incedunt, vt minimo tantùm panniculo pudenda tegãt: gestant & interdum ad pedis plantam soleas quasdam ex cameli corio consutas. Ignari sunt atq; rudes, neq; vix in centesimo miliario quenquã reperias, qui literas nouit. Maximis indies grauantur exactionibus, ita vt vix tantum his relinquatur, quo sibi victum parent.

## ¶ *Guber regnum.*

Distat à Gago Orientem versus trecentis ferè miliaribus, estque inter duas has regiones desertum quoddam, quod maxima laborat aquæ penuria, distat enim à Nigro circiter quadraginta miliaribus: cingitur hoc altissimis mõtibus, pagos cumplures habet, in quibus pastores atq; bubulci quamplurimi. Maxima hic est pecudum atque armentorum copia: verùm multo humiliori statura, quàm aliis locis. Infiniti propemodũ hic artifices atq; telę textores reperiuntur: calcei his inueniũtur, quales Ro-

mani priscis illis temporibus gestare solent: horum maxima pars ad Tumbutum atque Gagum confertur. Est & hic magna quoque oryzę, aliorumque quorundam leguminum copia, qualia nunquam in Italia vidisse memini. Verùm quibusdam locis apud Hispanos reperiri puto. Excrescente Nigro flumine sua inundatione agros omnes huius regionis tegit, quo tempore semen tantummodo in aquam proijciunt. Est in hac regione copiosissimus quidam pagus, qui sex ferè millia familiarum numerat, hic omnis generis mercatores inhabitant, fuitque quondam hic Regis cuiusdam aula, qui nostris temporibus ab Ischia Tumbuti Rege interfectus fuit, filioli captiui atque castrati inter Regios Eunuchos fuerunt constituti. Deinde rectores huc misit, qui ciues antea ditissimos frequentissimis vexarent exactionibus: incolarum aũt bona pars ab Ischia captiua atque mancipiorum loco seruata fuit.

¶ *Agades ciuitas atque regnum.*

AGades oppidum in Libyæ loco viciniori paucis ab hinc annis à quodam Rege muris cinctum. Huius incolæ inter omnes ferè Nigritas sunt candidissimi: domus omnes elegantissimæ ad Barbarorum modum ædificatæ. Maxima incolarũ pars exteri sunt mercaturam exercentes, reliqui omnes aut artifices sunt, aut apud Regem stipendia merent. Mercatorum singuli complures alunt seruos atq; mancipia, qui à Cano Bornum proficiscentes comitentur: in eo enim itinere à prædatorib. quibusdam Zinganis admodum incommodantur, adeò vt non ausint

se

ſe itineri committere, niſi optimè ad iter inſtru-
cti: noſtro tempore baliſtis vti cęperũt: mox vbi
mercatores in oppidum aliquot appulerunt, ſer
uos omnes variis exercent modis, ne quid ocioſi
deſideant: decem autẽ aut duodecim ſecum ſer-
uant, qui inſeruiant, quique merces obſeruent.
Habet huius oppidi Rex egregium ſatellitium,
eſtque ferè ſemper in quodam palacio medio ci-
uitatis poſito. Ille vtplurimũ eorum curam ge-
rit, qui in campis atque deſertis habitant: credi-
tur enim à Libyæ populo traxiſſe originem. Illi
verò nonnunquam poſt expulſum regem alium
quendam ſibi aſſumunt: adeò vt qui deſerti in-
colis magis arridet, totius Agades princeps con-
ſtituatur. Reliqua huius regni pars quæ Meridiẽ
ſpectat, paſtores atque bubulcos habet, hi in tu-
guriolis quibuſdam ex frondibus compoſitis ha
bitant, quæ ferè bobus circumferuntur, quoties
eſt aliquò migrandum. Caſulas ſemper eodem
campo ſtatuunt, in quo pecus paſcere decreue-
runt: quod & Arabibus quoq; in vſu eſt. Ingens
quotannis Regi enumerant tributum, qui mer-
ces ex alieno orbe huc conuehunt: ſumit autem
Tumbuti Rex ex hoc regno tributi nomine cen
tum ferè & quinquaginta aureorum millia.

¶ *Cano*.

CAno prouincia ampliſſima diſtat à flu-
mine Nigro Orientẽ verſus in quingen-
teſimo ferè miliario. Maxima incolarum
pars pagos inhabitant, alij pecus cogunt, alij agri
cultura ſeſe exercẽt. Naſcitur hic ſatis bona fru-
menti, oryzę atq; goſſypij copia. Frequentiſſima
hic

hic sunt deserta montesque maximè nemorosi, multisq; fontibus irrigui. prouenit in iis nemoribus satis bonà malorum citreorum atq; limonum syluestrium copia,qui sapore non multum à satiuis differunt. Medio autem regionis oppidum est eodem nomine appellatum, huius murus atque domus ex creta ferè sunt fabricata. Inhabitatores sunt mercatores ditissimi,ciuilitatis amantissimi. Illorum Rex fuit quondam potentissimus, maximoque equitum numero munitissimus,tandem Regi Zegzegę Regique Cassenę tributum numerare cœpit.Deinde Ischia Tumbuti Rex amicitiam cum duobus his Regibus simulans,per insidias vtrunque interfecit.Deinde Regi Cano bellum mouere cœpit,quem tandem longa obsidione victum filiam quandam quam habebat,in vxorem ducere coëgit, iisque conditionibus in regnum restituit,vt tertiam semper reciperet prouentuum partē: hic perpetuo aulicos quosdam habet, qui debitam sibi partem recipiant.

## *Casena regnum.*

IAmdicto Regno in Oriente coniunctum est, frequentissimis repletur montibus, agrū habet asperum,hordeo tamen atque millio fœcundissimum.Colore omnes sunt nigerrimi,maximè nasuti, labra autem prominentiora habēt: vilissimis quibusdam tuguriolis atque casulis se continent:neq; vix pagum reperias,qui plusquā trecentas numeret familias. Horum animi vilitati inedia quędam sese adiungit:Regem quondam habuerunt,qui ab Ischia quoq; interfectus fuit,

fuit, ex quo tempore tributarij eiusdem Ischiæ sunt effecti. ¶ *Zegzeg Regnum.*

AD Euroaustrum regione Cano est contiguum, distat à Casena centum ferè & quinquaginta miliaria. Huius inhabitatores ditissimi, maximè apud alias nationes negociantur: quædam huius Regni pars in planicie, reliqua in montibus est sita, quarum hæc frigidissima, illa verò calidissima est. Et quoniã hyemis sæuitiam egrè admodum ferre possunt, in mediis ædibus focum exstruunt luculentissimum, prunas deinde sub lecticis eminentioribus locant, atque hoc modo se somno componunt. Horum ager maximè irriguus, frugibus omnibus est felicissimus: domorum hic eadem est structura qualis in ante descripto regno. Proprium aliquãdo habuerunt Regem, quem ab Ischia interfectum antea diximus, cœpitque ab eo tempore hoc Regnum Ischiæ parere imperio.

¶ *Zanfara.*

ZAnfara Regio Zegzeg in Oriente coniungitur, huius populus vilissimus, atq; rusticitati addictissimus. Ager frumento, oryza, millio, atq; gossypio copiosissimus. Incolæ statura proceriores, colore nigerrimi sunt, faciem habent latissimam, estq; ingenium illis prorsus beluinũ. Eorum Rege ab Ischio veneno necato, illi iam tributarij fuerunt effecti.

¶ *Gnangara.*

COniungitur hęc Regio ad Euroaustrum cum Zanfara: incolarum multitudine ditissima, proprium habet regem, qui septé mi-

milium peditum sagittariorum, quingentorum verò equitum satellitium alit: amplissimos sibi quotannis recipit prouentus. Nihil hic præter vicos quosdam vilissimos reperias, vno tantùm excepto, qui magnitudine atque elegantia cæteros antecellit. Huius inhabitatores ditissimi ferè semper cum vicinis negociantur. In Meridie regioni cuidam coniungitur, in qua maxima reperitur auri copia. Nunc autem mercaturam nullo modo cum exteris exercere possunt, vtrinque enim hostem habent infestissimum. In Occidente Ischia sæuit, in Oriente verò Rex Borni miserrimè excruciat. Ego cùm quodam die in Borno essem, Rex Abraham copiosissimo collecto exercitu Gnangaræ principem regno expellere decreuerat, nisi ab Homar Gaogæ principe impeditus fuisset, qui iam Borni regnum oppugnare cœperat. Quare Borni Rex in patriã reuocatus, coactus est Gnangaræ regno cedere. Quoties Gnangare mercatores ad auriferam illam regionem proficiscuntur, quoniam viæ salebrosiores sint, quàm vt cameli introduci possint, merces mancipiis imponere solent. conficiunt autem grauissima tamen sarcina onerati, iter decem aut duodecim miliarium. Quin & quosdam vidi, qui vno die idem bis conficerent iter: incredibilè dictu quãtò miserrimi sint pondere pressi, nam præter merces cibum quoque pro dominis, deinde & pro militibus quoque, qui mercatores armati comitantur, circumferre solent.

### *Bornum regnum.*

Bor-

BOrnum amplissima prouincia Gnangaræ regioni in Occidente est contigua, extenditq; se Orientem versus ad quingēta ferè miliaria: distat ab eo loco vbi Niger fluuius originem habet, centum ferè & quinquaginta milia ribus: in Meridie deserto Set adiacet, in Septentrione verò illi ferè deserto coniungitur, quod Barca respicit. Inæqualis est huius regni situs, aliqua enim pars in montibus, reliqua in planicie est. Planicies autem pagos complures habet, mercatoribus, incolis ditissimis, atqui fruméti copia felicissimos. Totius huius regionis Rex maximũ quendam cum suis occupat pagum. In montib. bubulci habitant, pecudumq; pastores frequentissimi: hic millium, aliaq; quædam frugum genera nobis incognita proueniunt. Accolę per totam æstatem nudi incedũt, nisi quòd corio quodam pudenda tegant: hyeme verò pellibus vestiuntur, pelliceosque sibi sternunt lectos. Nullam omnino neque Mahumeticam neque Iudaicam neq; aliam denique fidem habent, quin beluino prorsus more viuentes, mulieres atq; proles cōmunes habent: & quãtum à quodam mercatore intelligere potui, qui longam cum his habuerat consuetudinem, nullum hic proprium nomen audias, sed omnes vel à longitudine, vel pinguedine, aut alio quouis accidente nomen habent. Horum Princeps potētissimus originem à quodam Libyæ populo traxit, Bardoa nuncupato, alit equitum plus minus tria millia, peditũ verò numerum reperit infinitum, quandoquidem omnes sibi adeò subditos habet, vt quoties impe-

rat

rat, mox ad arma prosiliant, ducemq; quocunq; velit sequuntur. Nullum omnino tributũ præter decimas frugum persoluunt: neq; alium habet hic Rex prouentum, q̃ quod frequentissimis incursionibus atque prædationib. vicinis adimit hostibus. Perpetuas alit cum populo quodam inimicitias, qui vltra desertum Seu habitant. Hi aliquando expeditissimo peditum exercitu per desertum ad Bornum venerant, bonamq; regni partem depopulati fuerant. Quare Borni Princeps Barbariæ mercatores ad se euocauit, mandauitq; vt maximam adducerẽt equorum copiam: solent enim illi equos mancipiis cõmutare, atq; pro quouis equo quindecim aut viginti interdũ mancipia recipere. Hac via inuenta est infinita propemodum equorum multitudo, mercatorib. verò tantisper expectandum fuit, donec è bello Princeps victor rediens captiuos secum adduceret, ac creditoribus de equis satisfaceret. Euenit autem sæpenumerò vt mercatores totum expectent trimestrem, priusquã Princeps redeat, interea Regiis viuunt sumptibus. Nonnunquam non satis mancipiorum secum adducit Princeps vt mercatorib. satisfiat: aliquando etiam in proximum illis est expectandum annũ, semel enim duntaxat in anno incursiones facere licet, idque statuto quodam anni tempore. Quin & complures hic repperi mercatores, qui de Rege omnino desperantes, eò quòd in annum integrum crediderant, apud se constituerant nunquam cum equis redire. Rex tamẽ opulentissimus videtur, stapedes enim, calcaria, frena, lances, patinæ, pocula,

cula,aliaq; quibus cibus aut potus ad eius mensam adferuntur,aurea sunt omnia: huiusmodi etiam sunt catenę omnes quibus venatici alligun tur canes. Rex tamen supra modum auarus est, adeò vt multò malit mancipiis quàm auro debitum soluere. Infinita propemodum in hoc regno inueniuntur Nigritarum aliorumque incolarum genera,quorum nomina(quandoquidem vnū tantùm hic egi mensem)adnotare nō potui.

## ❡ *Gaogæ regni descriptio.*

GAoga in Occidente Borno regno confinis est, extenditur Orientem versus ad confinia vsq; Nubiæ regni loca: in Meridie deserto cuidam adiacet, quod ad Nili gyrū quendam sitū est: in Septentrione deserto Serta atque Ægypti terminis clauditur. Patet in longum ex Occidente in Orientem quingentis, in latum verò totidem fere miliarib. Nulla hic humanitas, literarumque cognitio, habitatores agrestissimi,ijq; præsertim qui in montibus habitant, hi nudi incedunt,nisi quòd pellicula quadam pudenda tegant: horū domus ramulis atq; frondibus sunt compositæ, quæ facillimè igne consumuntur, copiosissimum habent gregem, cuius etiam maximam gerunt curam. Per multos annos in libertate vixerunt, quæ sibi à quodam Nigrita eiusdem regionis adempta fuit.hic cùm quodam die domino mercatori ditissimo concuberet,videretque se nō procul abesse à patria,herum iugulauit, omnia illius bona sibi occupauit,atque ad suos rediit.Vbi postquā equos aliquot sibi emisset,crebris incursionib. vicinos

po-

populos vexare cœpit, ac ferè semper victor euasit: ille enim equites ad bellũ instructissimos secum habebat, hostes verò inermes ferè pugnabant. Hunc in modum captiuos ferè innumeros habuit, hos equis commutauit, qui ex Ægypto huc adducti fuerant: ac sic tandem crescente in dies militum numero, ab omnibus tanquã Rex ac totius regni princeps habitus fuit. Huic filius successit, patri viribus animique audacia nequaquam postponendus: hic quadraginta annis regnum administrauit. Post hunc frater Moses, postremo omnium huius nepos Homara regnum suscepit, qui & in hunc vsque diem imperat. hic regnum multis partibus auxit, amicitiam cum Cairi Soldano iniit, à quo sæpenumero amplissima recipit munera, quæ maxima liberalitate pensat: permulti Ægyptij mercatores, alijque Cairi inhabitatores res quasdam preciosissimas, ac rariores huic Principi dono afferunt, maximamque illius liberalitatem laudant. Habet hic Princeps literatos omnes summo honore, eosq; præsertim qui à Mahumete originem traxerunt. Ego eodem tempore in huius aula fui, cùm nobilis quidam à Damiata elegãtissima offerret munera, equum elegantissimum, ensem, paludamentum, aliaq; quædam, quæ Cairæ centum & quinquaginta ad plurimũ aureis fuerant empta: pro his à Rege quinque recepit mancipia, totidemq; camelos, cum quingentis illius regionis aureis: deinde & centum ferè mirandæ magnitudinis elephantorum dentes.

¶ *Nubia regnum.*

Nu-

NVbia iam dicto regno in Occidente cõiungitur,extenditq; sese ad Nilum vsq;, in Meridie Goraniæ deserto,in Septententrione verò Ægypti finibus terminatur.Non tamen ex hoc regno ad Ægyptũ nauigari potest: nó enim quibusdam hic locis Nilus profundior est, quàm vt quis pedes facilè transire possit. Præcipuum regni oppidum Dangala vocant,incolarum frequentia est copiosissimum, familiarum numerat plus minus decem millia.Domus ferè omnes cretaceæ,tectum habét stramineum. Ciues ditissimi, ciuilitatisq; amantissimi,maximè cum Cairæ ac Ægypti mercatoribus negociantur. In reliqua huius regni parte,pagos tantùm ac vicos reperies ad Nilum fluuium sitos. Incolæ omnes agriculturam exercent.Est autem Nubiæ regnum frumento, saccaro, quo tamen vti nesciunt, opulentissimum. Reperitur & in Dangala maxima ciueti (vt vocant) ac ligni sandalici copia. Regio est multo ebore ditissima,eò quòd multi hic capiuntur elephantes. Reperitur & hic venenum præsentissimũ, cuius si granum vnum inter decẽ homines fuerit diuisum, ante quartam horæ partem omnes necat: si verò vni detur,confestim eodemq; instante interficit. Huius vncia centum aureis emitur, neq; cuiquã præterquam exteris huiusmodi venenum venditur,deinde emptorem iuramento astringunt, se eo in Nubiæ regno non esse vsurum.Qui autem venenum hic emere velit, tantum Regi quantũ mercatori persoluere cogitur: quòd si quis venenum Principe nesciente vendiderit,cõtinuò ca-

pite plectitur. Rex perpetuum ferè gerit bellum, nunc cum Gonaritis (hi ex Sindanorum familia orti deserta inhabitãt, neque quisquam illorum potest intelligere idioma) nunc cum aliis quibusdam populis, qui in eo deserto habitãt, quod vltra Nilum Orientem versus ad mare vsque rubrum extenditur, non procul à finibus Suachin. Horum (quantũ coniicere possum) idioma mixtum est, maximamq; habet affinitatem cum lingua eorum qui Suachin, aut eam Æthiopiæ partem inhabitant, vbi Prætum Ioannem habitare dicunt; hunc populum Bugiha vocant: vilissimi sunt homines, atq; miserrimi, lacte, carnibus camelinis, atque ferarum vescuntur, quæ in iis desertis capiuntur. Aliquando nõnihil tributi aut à Suachin, aut à Dangalæ Principe recipiunt. Oppidum quondam habuerunt opulentissimũ ad mare rubrum positum, Zibid vocabant, vbi portus erat frequẽtissimus, qui ex opposito portum Zidem habuit, in quadragesimo à Mecca miliario positũ. Ab hinc verò centum annis à Soldano deletum fuit, eò quòd huius incolæ quasdam sibi merces receperant, quæ Meccam aduectæ fuerant, quo etiam tempore Zibid portus frequentissimus deletus fuit, vnde maximum tamen quotannis colligebatur tributum. Incolæ inde fugati Dangalam atq; Suachin ꝓfecti sunt, atque tandem à Suachin Principe ingenti prælio victi sunt, interfectis vno die plus quàm quatuor millibus, mille captiuis Suachin introductis, qui à ciuitatis mulieribus atq; pueris occisi fuerunt. Hæc sunt Amice Lector quæ de Nigri-

gritarum regione dicenda habui: cuius quindecim illa regna, ritibus atque moribus inter se simillima, imperio quatuor tantùm Principum parent. Nunc ad Ægyptum pergamus.

# Ioannis Leonis Africani descriptionum Africæ, rerumq́; in ea memorabilium, LIBER OCTAVVS.

## ¶ *Ægyptus.*

Aegyptus clarissima Regio, ab Occidente desertis Barcæ, Libyæ, ac Numidiæ clauditur: ab Oriente desertis quæ Ægypto & mari rubro interiacent: à Septentrione mari Mediterraneo: à Meridie agro Bugiensi & Nilo terminatur. Patet in longitudinem à Mediterraneo adusq; Bugię prouinciam, circiter semiquingentis passuum milib. tam angustæ latitudinis, vt præter exiguum solum ad vtranque Nili ripam steriles inter mõtes prædictis desertis confines fluentem, nihil habeat interstitij, eo saltem loco exculta & inhabitata, quo Nilus à supradictis mon tibus distat: tametsi aliquatenus se extẽdat ver sus mare Mediterraneũ. Nilus enim octuaginta ab Alcairo passuum milibus in duas secatur partes, alueumque efficit, qui in Occidentem deflectens, redit vnde prius emanauerat, & Alcairo cir citer sexaginta passuum milib. præterlapsus, iterum in duos secatur ramos: quarum alter Pelusium quæ Damiata, alter Rosetum fertur. Ex eo

porrò quod Pelusium prçterfluit,alius deriuatur alueus, qui in lacum côuerſus anguſtis faucibus mari coniungitur, ad cuius ripam Teneſſe antiquiſſima ciuitas eſt condita : quæ Nili in diuerſas partes ſectio,exiguam, vt diximus, Ægypto latitudinẽ præbet. Vniuerſa hæc prouincia plana eſt, omniq; granôrum,ac leguminum genere fertilis. Lætiſſimȧ vbique ſunt paſcua:pulli & anſeres innumeri. Ruſtici potiori ex parte fuſcũ referunt colorem: ciuitatum incolæ candidum. Anguſta veſte ad pectus conſuta,atq; hinc in pedes diffluente veſtiuntur, manicis pari ratione anguſtis. Caput rotundo & faſtigiato tegmine, Dulipanum Itali vocant,operiunt. Calceamenti quodam genere vetuſtatẽ referente vtuntur, Æſtate goſſypinȧ telam variis coloribus intertextȧ geſtant:hyeme verò pannum goſſypio ſuffultũ, quẽ Chebre vocant: at ciues opulentiores quemadmodum & mercatores Europæis pannis veſtiuntur. Incolæ probi ſunt,feſtiui ac liberales. Frequentiſſimè in cibariis caſeo recenti & large ſalito, lacte item acido & certo artificio indurato veſcuntur: quem tametſi in deliciis habeant,exteri guſtare non poſſunt, ferèque ſingulis ferculis nonnihil acidi lactis commiſcent.

### ¶ *Ægypti diuiſio.*

QVO tempore Machumetani Regionis principatum occuparunt,Ægyptus trifariam diuiſa eſt. Ab Alcairo Roſetum, oram vocȧt Errifiam: Ab Alcairo ad Bugiæ confinia Sahid,id eſt,terreſtrem. Solum vero fluminis alueo qui Peluſum ac Teneſcam fertur adiacens

cens, Bechriam seu Maremmã nuncupant. Tota Ægyptus cũ sit fertilissima, Sahidica tamẽ prouincia reliquas partes, omnis generis leguminũ, animalium, pullorum, linique copia antecellit. Errifia fructibus & oryza: Maremma gossypio, & saccharo fœcundior. Errifiæ & Maremmæ habitatores, Sahidicos vrbanitate superant: quòd duæ hæ partes mari vicinæ ab Europæis, Barbaricis & Assyriis amplius frequententur: verùm Sahidici in Mediterraneis vltra Alcairum habitantes exteros nullos vident, præter raros quosdam Æthiopes.

¶ *Ægyptiorum genus & origo.*

Ægyptij, vt scribit Moses, à Mesraim filio Chus, filij Cham, filij Noæ, originem ducunt. Hebrei regionem & incolas pari vocabulo Mesraim appellant. Arabes Mesre: verũ incolas Chibith nominant. Chibith verò aiunt primum Regionis dominium vsurpasse, ac domos cœpisse cõstruere. Incolę autem seipsos huiusmodi vocabulo compellant: neque alij remanserunt veri Ægyptij, præter Christianos pauculos, qui hodie istic visuntur: reliqui Machumetano dogmati adhærẽtes, Arabibus & Africanis se commiscuere. Mansit huius regni principatus multis annis penes Ægyptios, nempe Pharaones, quos potentissimos extitisse, mirabilium ædificiorum vestigia testantur, præter luculenta Historicorum scripta, in quibus celeberrima fit Ptolemæorum regum mentio. Exinde in Romanorum potestatem redacta, post Christi natiuitatẽ Christianũ dogma percepit Romano

ſubdita imperio : à cuius declinatione, ad Conſtantinopolitanos imperatores tranſlata eſt, quibus magna cura hoc Regnum tueri ſtudentibus, à Machumetanis tandem occupatum eſt, Hamro duce Haſij filio exercitus Arabici Homar eius nominis ſecundi Pōtificis ſummo præfecto: qui in ſua religione quenq; dimittens, ab iis præter tributū nihil petiit. Is porrò ad Nili ripam exiguum oppidulum Arabibus Fuſtato dictum cōdidit, quod eorum lingua tabernaculum ſignificat: cùm enim huic ſe expeditioni pararet, loca inuenit omnino inculta & habitatoribus vacua, adeo vt illi ſub pellibus exercitum continere neceſſum fuerit. Vulgus Meſre Hatichi hoc eſt vetus oppidum appellare conſueuit, quod ad Alcairum collatum, nouum dici poteſt. Plurimi noſtra tempeſtate viri prçcellentes, tam Chriſtiani quàm Iudæi & Machumetani ſua opinione falluntur. Meſre enim putāt eo loco ſitum, in quo Moſes & Ioſephi Pharaones habitarunt: quod Pharaonis oppidū ea in Africæ parte exiſtimēt, qua Nilus ad Occidentem in Africam flectitur, vbi quoque viſuntur Pyramides : quod & ſacra ſcriptura innuere videtur in libro Geneſeos, vbi Iudæos Fabricationi Apthun oppidi à Pharone conditi, occupatos Moſis tempore fuiſſe meminit: ea nempe Africę parte qua Nilus in Africam curſum flectit, ab Alcairo in Meridiem circiter L. paſſ. milib., ad Nili alueum quem in Occidentē vergere ſuprà diximus. Aliud quoque proferūt indicium, Pharaonis oppidum eo loco fuiſſe cōſtructum, quod ad confluentiam Nili alueorum, ſtru-

ſtructura antiquiſſima ſit, quæ Ioſephi ſepulchrum nominatur, in quo repoſitus fuerit Ioſeph priuſquam ab Hebręis ad Patrum ſepulturam transferretur. Denique, nec Alcairum, nec vicina loca habent, quòd ſe Pharaonum regionem inhabitare contendant: hoc tamen loco ſciendū eſt, nobilitatem priſcorū Ægyptiorum, olim in Sahidica Regione ſupra Alcairum conſtitiſſe in oppidis Fium, Manfichmin, atque id genus cæteris celebrioribus. Verùm occupata à Romanis Ægypto, præſtantiores in Errifiam ſe reduxere, nempe ad oram maritimam, vbi Alexandria, Roſetum, aliæq; celebres vrbes Latinam appellationem hactenus retinentes, viſuntur. Quin & Romano imperio in Græciam trāſlato, nobilitas in maritima loca ſe recepit, Cæſaris oratore Alexandriæ reſidente: cæterum Machumetanis in Ægyptum perrumpentibus, in Mediterranea ſe reduxere, duplicem fructum eodem tempore parituros exiſtimantes. Alterum regni vtrinque pacificandi: alterum ſe tuendi à Chriſtianorum incurſionibus, à quibus metuendum illis fuiſſet, ſi in maritimis diutius conſtitiſſent.

¶ *Ægypti temperies.*

ÆGypti aër calidus eſt ac nociuus: neq; in ea regione vnquam vel raro admodum pluit. Pluuiæ autem cauſam frequentib. morbis præbent: alij nanq; catharro ac febribus obnexij ſunt: aliis mirum in modū tument teſticuli: cuius tumoris occaſionem medici caſeo ſalito & bubulę, qua veſci conſueuere, aſcribunt. Æſtate immenſo feruore ſolum exu-

ritur,in cuius remedium per ſingula oppida excelſas turres conſtruunt, quæ in ſuperiori ac infima parte oſtium ex aduerſo ædium habent, per quarum faſtigia dimiſſus ad infimã partem ventus, incolis nonnihil auræ exhibet: alioquin ob intolerabilem Solis ęſtum nõ liceret iſtic vitam agere. Sæuiente nonnunquam peſte, ingenti hominum clade, pręcipuè circa Alcairum afficiuntur, qua inualeſcente ſingulis diebus plerunque duodecim hominum milia occumbunt. Morbi verò Gallici nullam exiſtimo regionẽ tanto affectam incommodo, & nuſquam tot homines ea infectos lue datur cõſpicere. Sub Aprilis initium ſegetes ſuccidunt, ſuccisas confeſtim triturant: neque ſpicam ad vigeſimum Maij ſecandam relinquunt. Nili inundatio Idibus Iunij incipit, diebus excreſcit quadraginta, totidemque decreſcit: quo temporis interuallo, omnes Ægypti ciuitates & vici inſulas repreſentãt, quas accedere non licet, præterquã nauigio. Cæterum nauibus onerariis ferendis Nilus tũ temporis eſt percommodus, quarum nonnullæ ſex modiorum frumenti millia ſimul ac centum pecora capiunt: quibus ad hunc modum onuſtę, ſecundo ſaltem flumine nauigant: aduerſo ſiquidem vix redirẽt vacuæ. Ægyptij iuxta Nili incrementum præuident eius anni caritatẽ: velut latius dicturi ſumus, cùm de Nili inſula è regione Ciuitatis veteris in qua Nili mẽſura cernitur, ſermo inciderit. Tametſi noſtri non ſit inſtituti omnes Ægypti ciuitates deſcribere, quòd noſtri ſcriptores inter ſeipſos diſcrepent, alij ſiquidem Ægyptum Africæ

eæ negant annumerandam,alij contrariam tuentur ſententiam. Plurimi eam Ægypti partẽ,quæ ad Barbariæ,Numidiæ,ac Libyæ deſertum tendit, Africæ eſſe contendunt. Nonnulli quicquid ad præcipuũ Nili alueum excultum eſt,Africæ tribuunt: quod verò ad alium,velut Manf, Fium, Semmenud, Damanhore,Berelles,Teneſſe,ac Damiata,minimè: quam quidem opinionem multis rationibus fultus ſuſtineo. quare præter ciuitates ad præcipuum Nili alueum ſitas,nullas deſcribam.

*Boſiri ciuitas.*

BOſiri antiquiſſima ciuitas ab Ægyptiis ad mare Mediterraneum condita,diſtat ab Alexandria Occidentem verſus viginti circiter paſſuum milibus. Fortiſſimis olim cincta mœnibus,pulcherrimisq; ædificiis exornata exſtitit. Plurimis hodie cingitur dactylorum poſſeſſionibus: cæterum nullus eorum curam gerit: nam Alexandria à Chriſtianis occupata,derelicta ciuitate,incolæ ad lacum Buchaira profugerunt.

*Alexandria magna Ægypti ciuitas.*

ALexandria ampla Ægypti ciuitas, ab Alexandro Magno non abſq; conſilio nobilium & peritorum Architectorũ,pulcherrimo loco ac ſitu in extremitate maris Mediterranei cõdita,diſtat à Nilo Occidentẽ verſus quadraginta paſſuum milibus: quam ædificiorũ ſtructura & munitione nobilem exſtitiſſe,donec in Machumetanorum poteſtatem venit, plurimorum Authorum teſtimonio conſtat: exinde multorum annorum ſpacio collapſa,vetuſta ce-

le-

lebritas intercidit, quòd nullus ferè vel Græciæ vel Europæ mercatorũ in ea mercimonium exerceret, velut inculta remansit. Verùm astutus quidam Machumetanorum Pontifex ex Machumetis vaticinio amplissimas indulgentias concessas rudi populo cõfinxit, iis qui ciuitatem incolerẽt, vel certis diebus præsidio firmarẽt, quiq; eleemosynam in publicũ vsum conferrent: quo stratagemate breui tempore ciuitatẽ exteris hominibus vndiquaque conuenientibus oppleuit: à quibus plurimę domus ad ciuitatis mœnia extructæ sunt, multaque studiosorum collegia, & monasteria, in gratiam peregrinorum isthic religionis ergò confluentium. Sita est forma quadrangulari. Portæ sunt quatuor: prima quæ Orientem spectat ad Nilum cõstructa, altera quæ Meridiem ad lacum Buchiara, tertia versus Barcæ solitudinem ad Occidentem, quarta ad mare Mediterraneum, vbi est portus: cui adstant exploratores, & ministri telonij, qui exactissimè viatores ad ipsas vsq; vestes perscrutãtur: quandoquidem non pro mercibus saltem, verùm pro nummis quoque quippiam in singulum centenarium vectigalis loco persoluitur. Sunt & aliæ duæ iuxta mœnia portæ, ab inuicem ambulacro munitissimaq; arce distinctæ, quæ ad ripam portus Marsa el Borgi vulgò nuncupati, hoc est turris portus, sita est. In hunc se nobiliores ac celebriores naues recipiunt, cuiusmodi sunt Venetorum, Genuensium, Epidaurensium, cęteræque Europæorum naues. Eò namque Belgæ, Angli, Cantabri, Lusitani, omnisque generis Europæ ho-

homines mercaturæ gratia nauigare solent: verùm maiori frequētia visuntur Appuliæ, Siciliæ, & Græciæ, hoc est Turcica nauigia, quæ in hunc se recipiunt portum, à piratarum incursionibus & auræ intemperie tutiorem. Est & alius portus quem Marsa Essil Sela vocāt, hoc est, catenę portum, in quo Barbariæ naues, veluti Tunetanorū & Geluiensium, stationem habent. Christiani circiter decimā pro mercibus quas vel inuehunt vel euehunt persoluere coguntur, Machumetani vicesimam: tamen quicquid terrestri itinere Alcairum defertur, nullum pendit vectigal. Hæc est nostra tempestate ciuitatis pars celebrior, vtpote Alcairo vicina, ad quam omnis generis mercibus refertissimam, negociatores ex toto orbe conueniunt: reliquis partibus ciuilitatis expers, incolisque destituta: nam excepto vico longissimo, quo ab Orientali porta ad Occidentalem itur, eaque ciuitatis portione, iuxta maritimam portam mercatorum tabernis referta, atq; Christianis inhabitata, reliquum vacuum est & euastatū. Quod per ea tempora accidit, cùm Ludouico eius nominis quarto Gallorum Rege à Sultano in libertatem restituto, Cypri Rex classe partim Veneta partim Gallica instructus, ex improuiso Alexandriam adortus, magna hominum edita strage, cepisset ac depopulatus esset. Verùm Sultano adueniente, qui magnū exercitum recuperandæ Alexandriæ gratia conscripserat, Cyprij de tuitione desperantes, domibus incendio absumptis discessere. Sultanus mœnia, vt potuit, restaurauit: arceq; ad portum ędificata, paulatim in eum

quem

quę videmus ſtatum reduxit. Alexandriæ mons ſpectatur altiſſimus,ad ſimilitudinē teſtacei,qui Romæ viſitur,in quo,tametſi non habeat ſitum naturalem, antiquiſſima vaſa teſtacea reperiuntur. In montis faſtigio turricula exſtructa eſt,in qua perpetuò agit nauium aduentantium explorator,cui de ſingulis nauibus quarum telonij miniſtros admonuerit, certū præmium aſſignatur: & ſi fortefortuna dum vel dormit,vel uſquā inambulat,nauis appulerit,cuius publicanos prius certiores non fecerit,duplum luit:quæ multa ad Sultani fiſcum refertur. Cuiq; ferè ciuitatis domui,ingens ciſterna concamerata,craſſiſque innitens columnis & fornicibus ſubſtructa eſt: in quas exundans Nilus per aquæductum in planicie magno artificio extra Alexandriam conſtructum deductus, ſub eius mœnibus demittitur. Ciſternę porrò ſucceſſu temporis turbidæ ac cœnoſæ redditæ, plurimis æſtiuo tempore languoribus occaſionem præbent. Quod ad agri fertilitatem ſpectat,ciuitas in medio arenacei deſerti condita,hortis caret ac vitibus,ſolum habens ſemini capiendo incōmodum.Frumentum à quadraginta paſſuum milib.inuehitur. Iuxta aquæductum tamen per quem Nilus in ciuitatem tranſmittitur,exigui viſuntur horti,ſed quorum fructus ad maturitatem peruenti,accolas noxiis febribus, aliiſq; morbis afficiunt. Sexto ferè ab Alexandria miliari ad Occidentem,inter vetuſta ædificia columna viſitur ſpectandę altitudinis & craſſitudinis,quā Arabes Hemadnſlaoar,hoc eſt, Arborum columnam,vocitant.De hac fabula re-

cen

censetur, quendam ex Ptolemæis Alexãdriæ Regibus, columnam in portus extremitate cõstrui iussisse, qua ciuitatem ab hostium incursionibus tutam, ac proinde inexpugnabilem redderet, atque in eius fastigio ingens ex chalybe speculum apposuisse, cuius abdita virtute quotquot retecto speculo iuxta columnam præteruëherentur naues, euestigiò mirabiliter conflagraret: sed à Machumetanis vastato speculo, eius quoque virtutem euanuisse, atque illinc asportatam exstitisse. Ridicula profectò narratio, & quæ infantibus persuaderi debeat. Sunt & hodie inter antiquos Alexandriæ habitatores, plurimi Christiani quos Iacobitas vocant, mœchanici omnes, & mercatores: qui propriam habent ecclesiam, in qua D. Marci Euangelistę corpus olim requieuit, à Venetis clam sublatum, & Venetias importatum. Iacobitæ porrò Alcairi Principi tributum pendunt. Neque prætermittendum videtur, in medio Alexandriæ ruderum, ædiculam instar sacelli constructam adhuc superesse, insigni sepulchro, magno à Machumetanis honore affecto memorabilem, quo Alexãdri Magni corpus summi Prophetæ ac Regis, velut in Alcarano legunt, asseruari contendunt. Concurrit autem ingens eò peregrinorum vulgus à longinquis etiam regionibus, colendi ac reuerendi sepulchri gratia, cui quoque magnas frequenter largiuntur eleemosynas. Alia prætermitto notatu digna, ne in immensum excrescat volumẽ lectorum fastidio.

¶ *Bochyris.*

Fnis

FVit vetuſta hæc & exigua ciuitas quondam ad maris Mediterranei oram ędificata, octo ab Alexandria in Orientem paſſuum milibus: verũ noſtro ſeculo deſtructa, mœnium ſaltē veſtigia reſeruat. Hodie dactylis fere conſita eſt, quibus inopes coloni nutriuntur, exigua deſertaque tuguriola inhabitantes. Ciuitati imminet turris in periculoſo ſcopulo ædificata in quē plurimæ Syriacæ naues noctu impingentes, naufragium faciunt, quòd huc noctu appellentes, dum Alexandrinum portum capere nullus aſſequitur, prædicto ſcopulo illidāt. Circum ciuitatem nihil agrorum videas, præter campos arenaceos ad Nilum vſque fluuium.

¶ *Raſid quæ Roſetum Latinis.*

ROſetum ciuitas ad Nili ripam à parte Aſiæ tribus à Mediterraneo paſſuum milibus, vbi Nilus in Oceanũ effunditur ſita, ędificata eſt à mancipio cuiuſdam Pontificis Ægypti præfecti. Pulcherrimas ædes habet, & palatia ad Nilum extructa, forumq́ue ampliſſimũ mœchanicis operis & mercatoribus vndiquaque refertum: deinde & templum perelegās & amœnum, portis aliquot ad forũ & Nilum, in quem pulcherrimis gradibus deſcenditur, ædificatis. Sub templo portus viſitur in quem naues onerariæ merces Alcairum deuehentes ſe recipiunt: ciuitas enim nullis cincta mœnibus, vici potius quàm ciuitatis formam repreſentat. Ciuitatem cingunt plurimę caſulæ, in quibus oryzam certis ex ligno inſtrumētis triturare conſueuerunt: cuius in ſingulos menſes apparantur tria amplius

mo-

modiorũ millia. Paulo vlterius eſt locus pagum referens, in quo frequens alitur mulorum aſinorumq; copia in eorum vſum qui Alexandriã ire cupiunt: viatoribus autem hos conducentibus, nihil reliquum eſt laboris, quã beſtias iter ſuum proſequi deſinere, quod ad eam vſq; domum vehantur in qua relinqui debent: perpetuoq; tam veloci ferantur greſſu, vt à matutino tempore ad veſperam quadraginta paſſuum millia emetiantur: ſemper oram obſeruantes maritimam, adeo vt maris vndę nonnunquam animalis pedes feriant. Plurimæ ſunt circum ciuitatem dactylorum poſſeſſiones. Solum oryzæ producẽdæ percommodum. Incolæ feſtiui ſunt & comes erga exteros, eos præſertim qui genio libenter indulgent. Viſitur iſthic ſplendidi operis hypocauſtũ, diuerſis fontibus tam calidis q̃ frigidis irriguum: quod ſui elegantia & cõmoditate, reliqua totius Ægypti facile antecellit: velut ego obſeruaui, quum Selymus Turcarũ Imperator, Alexandria rediens illac iter faceret: qui ſpectato cum priuis & familiarib. aliquot ſuis hypocauſto, ſui commoditate plurimum oblectari viſus eſt.

¶ *Anthius ciuitas.*

HAnc Romanos ad Nili ripam ab Aſiæ parte condidiſſe, argumẽto ſunt plurimæ Latinæ inſcriptiones, quæ tabulis marmoreis inſculptæ in hodiernum vſque diem viſuntur. Ciuitas eſt pulchra & vrbana, mœchanicisq; opificibus referta. Solum habet oryzæ & frumẽto ferendo percommodum, multasq; dactylorũ poſſeſſiones. Incolæ mirum in modum feſtiui ſunt

ſunt & comes, atque ex oryza quam Alcairum deuehunt, opimum quæſtum faciunt.

¶ *Barnabal.*

CVm primum Ægyptus Chriſtianum dogma ſuſcepit, ædificari cœpta eſt hęc ciuitas, ad Nili oram quæ Aſiam ſpectat, pulcherrimo & fœcundiſſimo loco ſita. Oryza hic tanta prouenit abundantia, vt quadringentę amplius in ea ciuitate ſint domus, in quibus trituretur. Qui hanc verò operã incolis locant, exteri ſunt homines, potiſſimũ Barbaria oriundi, mollitiei & laſciuiæ adeò dediti, vt omnes ferè Ægypti meretrices eò conueniant, quæ abſque forficibus & nouaculis crines illis incidunt, raduntque ad oſſa.

¶ *Thebæ Ægyptiæ.*

QVis Thebas vetuſtam ciuitatẽ ad Nilũ qua Barbariam ſpectat condiderit, diſcrepãt noſtrates Chronographi. Aliqui ab Ægyptiis, nonnulli à Romanis, reliqui à Græcis ædificatã contendunt, quòd permulta in hodiernũ etiam diem viſentur antiquitatis monumẽta, partim Latinis, partim Gręcis, Ægyptiisq; inciſa characteribus. Noſtro tamen ſæculo, non amplius quàm trecentas familias numerat, pulcherrimis alioqui ornata ędificiis. Frumento, oryza & ſaccharo abundat, tum & fructibus quos Muſas vocant, abſolutiſſimi ſaporis. Plurimi in ea degunt mercatores ac mœchanici: cęterũ pars potiſſima ciuium ſolum excolit: & qui interdiu ciuitatem inambulat, nil ferè præter mulieres videt, non minus feſtinas quàm forma venuſtas.

Eius

Eius territorium dactylis abundat, quorum frequentia adeò consita est, vt eminus donec prope mœnia quispiam sit, cōspici nequeat. Vuas producit, ficus, & persica, quæ magna copia isthinc Alcairum deferuntur. Multa apparent extra ciuitatem antiquitatis vestigia, columnæ, inscriptiones, & muri crassissimis atque elaboratis lapidibus constructi, tamque frequentia rudera, vt maximam olim vrbem exstitisse appareat.

¶ *Fuoa ciuitas.*

DIstat à Roseto quadragintaquinque plus minus passuum milibus, à priscis Ægyptiis ad Nilum qua parte Asiam spectat Meridiem versus condita. Angustos habet calles, vrbana alioquin, & populo frequens, rerumque omnium copia referta. Pulcherrimæ mercatorū & artificum officinæ, tametsi incolæ quietis ac voluptatis sint studiosiores. Mulieribus tanta libertas permittitur, vt quo velint se interdiu cōferant, vesperi domum reuertētes absq; vlla maritorum contentione. Solum ferè dactylis vndiq; excultum, cui planicies adiacet saccharo & frumento accommoda: calami tamen præstans non exhibent saccharum, cuius loco mellis genus ceu sapam producūt, quo per vniuersam Ægyptū vti consueuerunt, quod parū mellis in ea reperiatur.

¶ *Gezirat Eddeheb, hoc est, Insula aurea.*

EX aduerso prædictę ciuitatis, Insulam Nilus efficit, quæ eminētiori loco sita, omnis generis fructiferas arbores præter oliuas, profert. Frequentia sunt in ea palatia, ædesque pulcherrimæ, in quas tamen ob arborum densi-

tatem nullus patet profpectus. Ager faccharo & oryzæ accómodus,cui excolendo incolę ferè oés vacant,reliqui fuis mercibus Alcairũ deferendis.

¶ *Mechella.*

MAchumetani noftro fæculo hanc ciuitatem ad Nilum ab Afiæ parte humili muro cinctam cõdiderunt. Ciuium in ea magnus numerus,fed quorum pars potior vel textrinam,vel agriculturam exerceat,humanitatis & vrbanitatis expers. Anferum ingentẽ alunt copiam, quos apud Alcairum diuendunt. Ager frumentum ac linum producit.

¶ *Derottis ciuitas.*

ROmanis Ægypto imperantibus, condita eft hæc ad Nilum ab Afiæ latere ciuitas: quæ vt bene exculta,ita pulchris quoque ædificiis,latis plateis,vtrinq; mercatorũ officinis refertis, exornata eft. Templum habet elegantia confpicuum, ciues ditiffimos: nam faccharum ager magna copia producit, cui apparando Refpublica centum milia aureorum ( Saraffios vocant) Sultano in fingulos annos enumerat. Maximæ vifuntur ædes ad arcis fimilitudinem, in quibus torcularia reponũtur & caldaria,faccharo tum excoquendo, tum præparando accõmoda. Nufquam porrò tantam eius artis opificum vidi copiam,in quorum ftipendium intellexi ex cõmunitatis miniftro,per fingulos dies ducẽtos Saraffios numerari. ¶ *Mechellat Chais.*

MAchumetani occupata Ægypto hanc ciuitatem in fublimi colle ad Nili ripam qua parte Africam alluit, condidere.

Hu

Huius agri cùm ſint eminentiores, vitibus conſerendis ſeruiunt, quas Nilus exundans nequit pertingere. Alcairo recentes vuas ferè dimidio anni tẽpore ſuppeditat: vrbanitatis expers, cùm incolæ potiſſima ex parte nauicularij ſint.

¶ *Alcairi maximæ & admirandæ vrbis deſcriptio.*

ALcairum è maximis ac memorandis totius orbis ciuitatibus, cõſtanti fama omnes aſſerunt: verùm ego poſtpoſitis mendaciis quæ diuerſis in locis ſparguntur, minutim formam quam noſtro tempore habet, exactè deſcribam: atq; vt à nominis etymo exordiar, Alcairum vocem Arabicam vulgari Europæorum idiomate corruptam dico: quòd rectè el Chahira, quæ vox coactricem ſignificat, nuncupetur. Fuit hæc porrò ciuitas retroactis ſeculis à Gehoaro Chetibo Dalmata cõditione ſeruo exſtructa, prout in huius operis initio me dixiſſe exiſtimo, affirmans Alcairi ciuitatem mœnibus cinctam familiarum octo millia nó excedere, in qua tum nobiles, tum mercatores, merces vndique conuectas diuendenres, reſident. Celeberrimum Alcairi templum vulgò Gemih Hashare, hoc eſt, illuſtre templum patria voce nuncupatum, idem ſeruus à quo ciuitatem conditam dixi, ædificari iuſſit, cui cognomen erat Hashare, hoc eſt, illuſtris, nomine à Põtifice ſuo Principe illi indito. Ciuitas in pulcherrimam planiciem Muccatim montis expoſita, duobus à Nilo paſſuum milib. diſſiti, perpetua mœnium ſerie, portiſque ferreis cincta eſt: quarũ quæ celebriores habentur, ſunt.

Babe Nanſre,hoc eſt,porta victoriæ,quæ Orientem mariſq; Rubri deſertum ſpectat: alterā,quę in veterem ciuitatem & Nilum vergit Beb Zuailam: tertiam, quæ in lacum & campos excurrit Bebel Futuli, hoc eſt,triumphorum portam cognominant. Quamuis Alcairum omnis generis alat tum mercatores, tum artifices, is præcipue tamen vicus qui à porta Nanſre ad Zuailæ portam ducit, cæteris omnibus præſtat, quòd per eum ſtructa ſint admirandi operis palatia & collegia,templáque maxima & elegantiſſima,inter quæ templum eſt Gemith Elhecim Sciſmatici tertij Alcairi Pontificis.Sunt & alia inſignis magnitudinis delubra, quæ ſigillatim recenſere ſuperfluũ duco. Plurima inſunt hypocauſta,ſummo architecturæ ſtudio elaborata. Deinde vicus Beinel caſrain,in quo cibariorum tabernę circiter ſexaginta, vaſis inſtructę ſtanneis: tum aliæ in quibus omnis generis fructuum, aquę venales,nobilium ob inſignem earũ pręſtantiam potus,quas elegantiſſimis vaſis,partim vitreis,partim ſtanneis affabrè compoſitis,reconditas aſſeruant: has alię inſequuntur, vbi varię ex melle & ſaccharo confectiones, diuerſę ab iis quę in Europa diſtrahuntur,proſtant: deinde fructuariorũ tabernę, qui exoticos è Syria fructus aduehunt, cuiuſmodi cydonia,mala Punica,atque id genus cętera,quę in Ægypto non proueniunt. His alię tabernæ cõmixtæ ſunt, eorum qui oleo frictum panem, oua, & caſeum vęnum exponunt. Has verò tabernas ſubſequitur vicus nobiliorum artificum officinis refertus. Vlterius collegium,re-

cens

cens à Sultano Gaurio exſtructum viſitur, qui in bello contra Selymum Turcarum Imperatorem à ſe geſto periit. Huic ſuccedunt pannariorũ mercatorũ diuerſæ pergulæ, quarum ſingula tabernas exhibet innumeras. Primo ordine præſtantiſſima exoticarum telarum genera venundantur, cuiuſmodi ſunt exquiſitiſſimæ goſſypinæ ex Balabach aduectæ, tum quas Moſal vocãt ex Ninonia, admirandæ vaſtitatis ac tenuitatis, è quibus nobiles induſia & ſudaria, quæ dulipanis annectunt, ſibi conficiunt. Sunt præter has & ſericariorum pergulæ, in quibus præſtantiores Italiæ panni, ſericei, damaſcenum, gauſapinum, holochryſum, atque id genus reliquos, diuendunt, quibus nec in Italia, vbi conficiuntur, me æquales vidiſſe memini. Hos ſubſequitur pergula laneorum pannorum qui ex Europa, cuiuſmodi ſunt Florentini, Veneti, Belgici, atque id genus cæteri, aduehuntur. Vlterius venundantur vndulata: hinc ad Zuailæ portam deflectitur, apud quam permagnus artificũ degit numerus. Circa hunc vicum eſt inſignis Canel Halili pergula, quã Perſæ mercatores inhabitãt. Eſt hæc quidem ad ſimilitudinem regalis palatij conſtructa, ternisq; in ſublime euecta cõtignationibus: inferius certæ ſunt manſiones, ad quas mercatores magnis de rebus permutationes inituri, conueniunt: eò ſiquidem, qui opibus ac mercibus præpollent, ſe recipere conſueuerunt: quorum merces ſunt aromata, gemmæ, telæ Indicæ, resque conſimiles. Eſt huic proximus omnis generis ſuffumentorũ vicus, cuiuſmodi ſunt Indicæ felis excrementa,

Zibettum vocant, muſchus, ambara: quæ tanta hic reperiuntur copia,vt ſi muſchi libras viginti quinque petieris,centum tibi protinus exhibituri ſint. Subſequitur chartaceorum vicus,charta pulcherrima egregieq́ue læuigata refertus: in quo rari valoris gemmæ venduntur, quas ex officina in aliam Proxenetæ auctionando deferűt. Hinc ad aurifabrorum itur vicum, maxima ex parte Iudæis conſtantem, qui maximarű opum negotiationes ineunt. Vlterius Interpolatorum vici ſpectantur,qui nobilium ac ciuium pannos precioſamq; ſupellectilem reuendunt, non quidem penulas,tunicas, aut lintea, ſed res ingentis valoris ac precij: inter quas me olim vidiſſe memini inſigne tabernaculum acu pictum, perpetuaq́ue margaritarum ſerie ad pondus librarum quadraginta quinque intextum, abſque margaritis aureorum ( Saraffios vocant ) decem milibus diſtrahi. Eſt quoque in ciuitate amplum xenodochium,à Piſtore primo Mamaluchorum Sultano conſtructum:quorum redditus ducenta ſupputant Saraffiorum milia. Huc liberum eſt valetudinario cuiq; ſeſe recipere, ſumma & Medicorum,& rerum omnium ægris conducẽtium affluentia, quorum,ſi hic mori contingat,facultates ad xenodochium redeunt.

*Beb Zuaila ſuburbium.*

PErmagnum hoc ſuburbium Alcairo adiacet,domuum habet circiter duodecim milia: initium capit à Zuailæ porta,& in Occidentẽ ferè ad ſeſquimiliare protenditur: à Meridie Sultani arcem contingit: à Septentrione ad ſub-

ſuburbium vſque Bebe Elloch vnius ferè miliaris ſpacium patet. Tanta ferè hic procerū ac nobilium multitudo, atq; in vrbe agit: eius autem ciues & hic & in vrbe officinas inſtruunt, quemadmodum & plurimi hoc ſuburbium incolētes, familiam in vrbe alunt. Inter varias eius ſtructuras, præcipuum obtinet locū celebre Heſen Sultani collegium, concamerationū altitudine, mœniumque vaſtitate adeò memorandum, vt rebellionem Sultano intentantes, ſe in eo contra vrbem communire audeant, Sultaniq; arcem tormentis impetere, à qua ſaltem dimidio baliſtæ iactu diſtat.

¶ *Gemeh Tailon ſuburbium.*

AMpliſſimum hoc ſuburbium, ſuperiori ab Oriente confine, verſus Occidentem ad certas iuxta veterem ciuitatē ruinas protenditur. Ante cōditam Alcairum à quodam Tailone Pontificis Bagadedæ ſeruo Ægypti Præſide, viro clariſſimo ac prudētiſſimo, extructum ferunt: qui ciuitate vetere derelicta, hoc ſuburbium incoluit, admirādiq; operis palatio ac templo ampliſſimo exornauit. Innumeri quoq; hic degunt mercatores & opifices, præcipuè qui Barbaria oriundi in eo pedem fixere.

¶ *Beb Elloch ſuburbium.*

SPacioſum & hoc ſuburbium ab Alcairi mœnibus vno circiter miliari diſtās, ferè tria domuum millia conficit, varij generis vt cætera, tum mercatoribus, tum opificibus refertum. Amplo iſthic loco maximum palatium, operiſq; memorandi collegium viſitur, Mamaluchi Iaz-

bach, cuiusdam Sultani consiliarij, à quo locum Iazbachiam vocāt, ædificium. Huc absoluta concione & precibus conuenire solet in singulos Veneris dies Alcairi vulgus, veluti caupones & meretriculæ. Multi præterea histriones, præcipuè qui camelos, asinos, & canes, saltare docent: quæ quidem saltatio res cumprimis visu iucunda est. Plerunque enim histrionum quispiam, vbi non nihil præsultauerit, ad asinū conuersus alta voce Sultanum magni operis ædificium meditari ait, proinde opus illi fore omnibus Alcairi asinis, calce, lapidibus, cæterisq; id genus necessariis rebus deferendis. Tum asinus repente in solum prolapsus, pedes in aëra attollit, ventrem turgefacit, atque oculos non secus claudit quàm si exanimis esset. Interim astantibus histrio asini casum conqueritur, obnixeque rogat alio recuperando ipsum adiuuent. Coacta viritim qua potest pecunia, Ne existimetis, inquit, asinum mortuum: helluo enim paupertatis domini sui cōscius, hoc dedita opera confingit, vt munusculis illi collatis, pabulum sibi emere queat. Deinde ad asinum conuersus, vt confestim exurgat monet: cęterum non se loco dimouens asinus, frequentib. fustuariis vapulat: quibus nec dum excitatus, fabulam repetit histrio, iterumque plebem adortus, Scitote, inquit, Sultanū edictum tulisse, vt luce crastina populus omnis triumphi spectandi causa ciuitatem exeat: fœminæque omnes venustęac nobiles pulcherrimos asinos inequitent, atq; iis auenam & præstantē Nili aquam potandam exhibeant. Vix hæc verba absoluit histrio, quando

asinus

asinus in pedes erectus prosilit fremẽs & lætitia exultans: tum fabulam prosequens histrio, Vici, inquit, nostri præfectus, à me commodato petiit elegantem hunc meum asinum, deformi ac vetulæ vxori suæ vtendum. Ad hæc verba asinus, tanquã humanę mentis compos, auriculas complicat, & altero pede claudicans luxatum se fingit. Tum histrio: tibi itaque arrident iuuenculę? Asinus caput inclinans annuere videtur. Agè, igitur, hic plurimæ sunt iuuenculæ, indica quę tibi magis placeat? Asinus spectatorum coronam circundat, & fœminam honestiorẽ seligens, eò contendit, capiteque contingit: spectatores verò alta voce ridentes, exclamãt, Heus, inquiunt, asini fœmina. Posthæc asino insiliens histrio, ad alium se locum confert. Aliud porrò genus est histrionũ, qui exiguas auiculas capsulæ in abaci formã constructæ annexas ostentant, quæ rostro sortium chartulas tam dextri quàm sinistri ominis extrahunt. Qui sortem suam optat scire, obulum auiculæ obijcit: quem rostro excipiẽs, in capsulam defert, deinde foras exiens eodem rostro respõsi chartulam profert. Mihi verò quondam sinistri ominis chartula obtigit, quam tametsi neglexerim, peius quàm inibi scriptum erat, euenit. Sũt & gladiatores, athletæ, & bellorum successus inter Arabes & Ægyptios gestorum incentores, quique id genus consimiles fabulas & ineptias vulgo præcinant.

¶ *Bulacum suburbium.*

BVlacum spaciosum ac vetustissimum Alcairi suburbium, à ciuitate murata duobus

bus paſſuum milibus,ad ripam Nili ſitum,quatuor familiarum millia ſupputat. Iter quod ſub urbio ac ciuitati interiacet, frequentibus ædificiis,ac molis quas beſtiarum ope agunt,conſtratum eſt. Varia in hoc ſuburbio exercentur tum artificia, tum mercimonia, præcipuè,grani,olei, & ſacchari. Quin & pulcherrimis templis,ædibus,& ſtudioſorum collegiis refertum eſt: quæ vero ad Nilum conſtructæ ſunt domus,cæteras elegantia antecellunt,quòd per eas latiſſimus pateat in flumen proſpectus, nauesque ſe eò recipiant quæ Nilo ad Alcairi ſtationem vehuntur hoc in ſuburbio ſitam: in qua plerunque naues amplius mille,meſſis præſertim tempore,cōſpicias. Huc publicani mercibus Alexandria & Damiata aduectis conſtituti, ſe recipiunt:quanquā exiguum pro iiſdem ſoluatur, vectigali prius in maritimo telonio exſoluto:tamen quæ ex Ægypto veniunt merces,integrū pendunt vectigal.

¶ *Caraſa ſuburbium.*

CArafa ſuburbium ad oppiduli ſimilitudinem exſtructū à Muccatim monte lapidis iactu diſtat,à murata verò ciuitate circiter duobus paſſuum milibus, fereque bina domuum millia cōtinet. Hodie potiori ex parte deſtructa eſt. Viſuntur plurimæ hominū ſepulturæ,quas elegantiſſimis altiſſimisq; fornicibus exſtructas, interiusque variis tum emblematis, tum coloribus exornatas,plebs ſtolida ceu ſanctorum monumenta colit, muris ac pauimento ſumptuoſis tapetibus obducto. Huc plurimi ſingulis Veneris diebus ex Alcairo,reliquisque ſubur-

ur-

turbiis matutina hora relionis ergò conueniunt, multasq́ue eleemoſynas largiuntur.

¶ *Ciuitas vetus quæ Miſrulhetich.*

Hanc ciuitatū omnium in Ægypto Machumetanorū tempore conditarum, primam aſſerunt: quæ ab Homar præfecto, ſecundo Pontifice ad Nili ripam exſtructa, nullis cincta mœnibus ſuburbij formā exhibet, atq; familiarum quinq; milia conficit. Celebrem reddunt frequentia palatia, nobiliumq́; ſtructuræ, pręcipuè quę ad Nilum ſunt expoſitæ: deinde nobile Hamri templum munitiſſimū, admirandæ tum amplitudinis, tum elegantiæ. Varij generis opificibus mediocriter inſtructa eſt. Hic celeberrimum viſitur Naſiſſæ (hanc Machumetani colunt) ſepulchrum, quę Zenulhebidin filia Machumetem tertio affinitatis gradu contingebat. Hęc familiam ſuam Pontificatu deſtitutam percipiens, Cufa Arabię fœlicis ciuitate exceſſit, atque in hac ciuitate moram traxit, cui partim quòd ad Machumetē referret originem, partim quòd moribus eſſet inculpatis, poſt mortem populus diuinos honores exhibuit. Quamobrem rerum potientib. apud Ægyptios hęreticis Pontificibus, qui cognatione hanc mulierem pertingebant, cœptum eſt Naſiſſæ fabricari pulcherrimum ſepulchrum, quod etiamnum lampadibus argenteis, tapetibus ſericeis, rebusq́; id genus preciosis adornatū viſitur. Tanta vero eſt huius Naſiſſę celebritas, vt nullus Machumetanus maritimo vel terreſtri itinere Alcairum venturus huic ſepulchro diuinos cultus non exhibeat, libationemq́;

nemq; offerat, quemadmodum & circumuicini omnes accolæ: adeò vt eleemoſynas centum Saraffiorum millia ſupputare afferant,quæ tūm in pauperum vſus Machumeticę familiæ,tum in ſacerdotes ſepulchri curam gerentes diſtribuuntur:qui ementitis fictiſque miraculis indies ſimplicium animos ad maiorem cultum , & liberaliorem in eorum cōmodum largitionem,accendunt. Deuicta à Selymo Turcarum imperatore Alcairo,Ianizari quos vocant, hoc ſepulchrū deprædati,aureorum Saraffiorum quingenta millia ſignatæ pecuniæ reppererunt,abſque lampadibus argēteis,cathenis,& tapetibus: tametſi Selymus magnam illis partem abſtulerit.Qui Machumetanarum vitę ſanctimonia illuſtrium vitas cōſcripſere,raram huius Naſiſſæ mentionem facientes,dicunt ex Heli familia nobili loco ortam,vitæ honeſtate & caſtimonia illuſtrem extitiſſe : verùm ſimplex popellus,& qui execrandi illius ſepulchri curam gerunt, tot miracula commenti ſunt . In hoc ſuburbio iuxta Nilum telonium viſitur mercium quę ex prouincia Sahidica cōnuehuntur.Extra muratam ciuitatem magnifica Sultanorum ſepulchra ingentibus fornicibus extructa ſpectantur. Noſtra verò memoria Sultanus quidam deambulacrum inter duos muros excelſos à ciuitatis porta aduſque ſepulchri locum conſtrui iuſſit : inque muri vtriuſq; terminis, geminas immenſæ proceritatis ſpeculas,in mercatorum gratiam qui ex portu montis Synai eò cōueniunt. Hinc ſeſqui plus minus miliario diſtat Amalthrię ſolum,in quo vnicę arbo

ris

ris balſamum ferentis hortus (in vniuerſo ſiquidem orbe præter hanc ſolam nulla alia eius arboris planta exiſtit) quę in medio lati fontis inſita, humilem truncum gerit, foliis vitem referés ſed breuioribus: quam protinus exarituram ferunt, ſi fontis aquá diminui contingeret. Hortus perpetuo muro ſeptus, nemini aditum prębet, abſq; præfecti licentia. Eregione ciuitatis veteris in medio Nili Michias hoc eſt menſurę videtur inſula, ex qua pro ratione inundationis Nili, eius anni prouētum per totam Ægyptum certiſſima ratione à priſcis Ægyptiis adinuenta colligunt. Inſula vtcunque habitata, mille circiter & quingentas domus continet: ad cuius finem, pulcherrimi operis Palatium à Sultano quodam noſtra memoria ædificatum cernitur, vnà cum templo ſpacioſo atq; ob Nili irrigationem cùm primis amœno. Alteram inſulę partem domus ab aliis ſeiuncta occupat, in cuius medio foſſa quadrangularis decē & octo cubitos profunda per aquæductum ſubterraneum aquam ex Nilo porrigit. In foſſę meditullio columna totidem cubitis ſignata & diuiſa ſpectatur: cumq; Nilus ad. XVII. Iunij exundare incipit, ſubitò per aquæductum aqua in foſſam effunditur, plerunq; vno die duobus digitis, plerunque tribus, aut dimidio cubito excreſcens. Huc ſingulis diebus concedunt certi homines Nili incremētis à Senatu conſtituti, & fluminis accretionem obſeruantes nōnullis pueris indicant, qui capite luteis mantilibus obuoluto, vicatim idipſum tam in Alcairo quàm eius vniuerſis ſuburbiis promulgāt, ac donaria à mœ-

cha

chanicis hominibus,mercatorib.& fœminis tantisper dum Nilus crescit,singulis diebus referũt. Nili porrò experimentum ita habet. Ad quintũ decimum columnę cubitum vbi peruenerit,annum colligũt fertilissimum: si inter duodecimũ & decimumquintũ constiterit, mediocrem indicant eius anni prouentum: si inter decimum ac duodecimũ,frumentum portendit aureis decem diuenditum iri in singula modia.Verùm si flumen in decimũ octauum euadere contingat,cladem ex inundatione denunciat: si superare, periculum est ne tota absorbeatur Ægyptus. Præfecti igitur huiusmodi indicium declarant: pueri autem (vt dixi) vicatim populo Dei timorẽ inculcant,aquam aggerum summitatem transcendere diuulgantes. Populus prodigiosa Nili accretione expauefactus orationi insistit & eleemosynis. Hac ratione Nilus dieb.quadraginta crescit, totidemque decrescit, quo temporis interuallo ob aquarum copiam nonnulla sentitur annonæ caritas, quod inter fluminis augmentationem & diminutionem eam pro cuiusque arbitrio vendere liceat: verùm octuagesimo die transacto cibariorũ præfectus annonæ precium indicit,prçcipuè frumento,quod varios regionis tractus iuxta fluminis incrementũ,pro diuersitate altioris humiliorisq; soli parcè, mediocriter,& nimium irrigatos apprime dinoscãt: quibus rite peractis, maxima per totam Alcairũ tanto tympanorũ ac tubarũ clangore celebritas initur,vt ciuitatẽ inuersam dixeris. Quæq; familia nauem exquisitis pannis ac tapetibus exornat,qua lautiss.cibariis,

con-

confectionib. & facibus instructa, populus oble ctatur. Quin & ipse Sultanus cũ vniuerso purpu ratorũ & satraparum cœtu ad aquæductũ cognõ mento Maiorem cõtinuo muro septum conten- dit, & arrepta in manus securi murum perfrin- git, purpuratis idipsum quoq; facientibus: adeo vt disiecta ea muri parte quæ aquam impedie- bat, subito Nilus magno impetu per aquæductũ feratur, & per alios aquæductus tam ciuitatis q̃ suburbiorum effusus, Alcairum eo die Venetiã- rum ciuitati persimilẽ reddat, quod per singula Ægypti loca eo die nauigio iter pateat. Septem vero dierum spacio totidemq́ue noctium durat hæc Ægyptiorum festiuitas, qua hebdomada fa cile mercatores vel opifices quicquid integro an no lucrifecerunt, facibus, suffimentis, confectio- nibus, musicisq; concentibus atque id genus cæ teris deliciis, priscorum Ægyptiorum ritu deco- quunt ac profundunt. Extra Alcairum in con- finio suburbij Beb Zuailæ, Sultani castrum in montis dorso constructum visitur, quod eminen tibus & vastis mœnibus cinctũ, elegantissimisq; palatiis exornatum, vix perfectè describi potest. Pauimentatio marmorea tessellata, laquearia au- ro intexta, pulcherrimis variegata coloribus, fe- nestræ vitreæ versicolores, cuiusmodi plerisque locis in Europa vidimus: portæ ligno præstan- tissimo incisæ, variis emblematis, tum aureis, tũ ceruleis exornatæ. Huiusmodi palatiorum non- nulla Sultani, nonnulla vxoris familiæ destinata erant: reliqua concubinis, eunuchis, & suæq; cu- stodiæ. Publicis conuiuiis aliam habebat Sulta-

nus

nus Regiam, aliam in qua exterarum gentium legatis & responsa dabat, & suas opes magna pompa ceremoniisque ostentabat: aliam rursus aulæ Regiæ satraparum domicilio constitutã: verùm hæc omnia nostro tempore Selymus Ægypto deuicta ad nihilum redegit.

¶ *Alcairi ciuium ritus, ac mores.*

QVI Alcairũ incolunt ciues, festiui cùm primis sunt homines, iucũdi, genialem agentes vitã, multa promittentes, tametsi pauca admodum præstent. Mercaturæ ac mœchanicis artibus dant operam, non tamen solo natali excedunt. Plurimi studio legũ incumbunt, artium paucissimi. Quamuis collegia perpetuò studiosis referta sint, exigui tamen ad frugem perueniũt. Ciues hyeme laneis pannis gossypio suffultis vestiuntur: æstate interulis telæ subtilioris, cui pleriq; lineam vestem sericeis coloribus variegatam, pleriq; vndulatam superinduunt, magno caput Indici veli tegmine operientes. Fœminæ preciosas induunt vestes, frontem & collum sertis gemmeis ornantes superbæ prodeunt, caput magni precij calantica angusta & longa ceu tubo vnius palmi altitudine cõtegentes. Pallas gestant laneas segmentatas, perangustis manicis, artificiose acu insignitas, quibus obducunt linteola exquisitissimæ telæ gossypinæ Indicæ. Caput velant panniculo nigro ac subtili, atque nonnihil hirsuto, sub quo viros conspicientes, à viris ipsæ videri nequeant. Pedes ocreis vrbanis, pulcherrimisque crepidis Turcico more calceant. Tantũ verò ambitionis & pompæ

pæ hæ mulieres præ se ferunt, vt nulla vel nere, vel coquinari dignetur: quare maritum ab obsopæis cibaria cocta emere conuenit: paucissimi enim præter eos qui numerosam alũt familiam, culinariam domi exercent. Plurimum quoque vxoribus facultatis permittunt ac licentiæ: marito enim in tabernam cõcesso, vxor sumptuoso vestium apparatu exornata, preciosisque suffita odoribus, ciuitatem animi gratia obambulat, cũ parentibus vel amicis confabulatura. Asinis libentius quàm equis vtuntur, qui molliter incedere edocti, gradarios equos incessu facilè antecedunt. Hos pannis elegantissimis conuestiunt, ac mulieribus in vecturam locant, vnà cum puero ductore & plerisque cursoribus. Hanc ciuitatem, velut alias plerasq;, magna hominum vicatim res esculentas vænum portantium turba obambulat. Plurimi item aquam vænalem camelorum dorsis vtribus superimpositam circumferunt: ciuitas enim (vt dixi) duobus passuum milibus à Nilo diffidet. Alij vtrem perelegantem cum æreo ad foramen calamo gestant, & manu pateram murrhinam ferentes, aquam vænalem proclamant, quam potores in singulos haustus terũcio exsoluunt. Alij pullos gallinaceos vænales certis mensuris vicatim emetiuntur, quos admirando enasci procurãt in hunc modum artificio. Ingentem ouorum numerum certis imponunt furnis per diuersa solaria exstructis, quibus modico igne calefactis, post diem septimum magna copia pulli enascuntur. Mensuræ porrò fundis carent, quas in emptoris sporta positas,

pullisq́; gallinaceis refertas, ſubleuant, pullis intra ſportam remanentibus. Cæterum qui pullos emunt, vbi pluſculis diebus aluerunt, pari modo vænales circumferunt. Opſopæorum tabernæ in multam vſque noctem apertæ ſunt: reliqui verò artifices officinas ante horam vigeſimamtertiam occludunt, atque ex ſuburbio in aliud animi gratia deambulant. Ciues vt plurimum in familiari colloquio verbis obſcœnis ac fœdis gaudent: atq;, vt cætera ſilentio prætercam, nó raro euenit vxorem coram Iudice de raris mariti congreſſibus expoſtulare, vnde perſæpe & naſci diuortia, & aliis iungi maritis (quod Machumetano licet dogmate) vidimus. Inter manuarios artifices, ſi quis in ſuo opificio noui quidpiam & ingenioſi primus adinuenerit, caſacco holochryſeo veſtitur, ac diuerſo per ſingulas officinas tibicinum genere comitatus ceu triumphans deducitur, ab omnibus nónihil pecuniæ gratis accipiens. Huiuſmodi olim vidi magno inſtrumétorum muſicorum apparatu ceu triumphantem deduci, quòd pulicem quem in charta demonſtrabat, catena vinxiſſet. Cæteris in rebus ciues ignauiſſ. ſunt: nullum enim armorũ genus domi habent, imò nec vix cultellum quo caſeum diſſecare queant. Quòd ſi plerunq; rixari contingat, mutuò ſe pugnis adoriuntur, numeroſa hominũ turba eò accurrente conflictus videndi gratia, nó diſceſſura priuſquam recóciliati fuerint. Bubali carne, magnaq́; leguminum copia vtplurimum veſcuntur: conuiuium apparaturi ſi familia ſit exigua, mantile breue ac rotundum diſtendunt:

ſi

si copiosa, longum, veluti in Principum aulis. Inter varia quę isthic profitentur dogmata, Maurorum secta viget, Chenefiam vocant: hi equina vescuntur, quorum lanij vbi equum claudicantem aut luxatum resciuerint, confestim emunt, & saginatum mactant, magnoq́; vulgi concursu carnes distrahunt. Huiusmodi sectam Turcæ, Mamaluchi, maiorq́; Asiæ pars sustinēt, & quanuis eam ipsam rem Turcis impunè facere liceat, non tamen consueuerunt. Quatuor Ægyptus & Alcairum sectas ab inuicem tam in canonicis q̃ politicis legibus differentes, fouet, tametsi ex Machumetano dogmate trahant principium. Quatuor enim quondam fuere eruditione ac doctrina præstantes viri, qui ingenij acumine modum inuenerunt particularia determinandi sub vniuersalibus à Machumeto descriptis. Horum singulo pro arbitrio licuit Machumetanum dogma interpretari, atque ad propria sensa pertrahere, quare opinionib. inter se meritò dissident: qui propter eorum canones plurimū apud plebem existimationis nacti, initium quatuor prædictis sectis dedere: quarum vnam quisque Machumetanorum tuetur, quam postea deserere, alijq́; insistere nequit, nisi vir fuerit doctrina cùm primis præcellens, quiq́; rationes & causas dinoscat. Quatuor sunt item apud Alcairū Iudicum præfecti, qui de grauioribus saltem causis sententiam ferunt: his innumeri subsunt per omnes vrbis vicos Iudices, qui de leuiusculis contentionibus discernunt. Quòd si litigatores diuersæ religionis esse cōtingat, qui primus aduersarium

coram sui vici Iudice in ius vocauerit, eò côtendunt: cæterum alteri de illius sententia ad quendam supra quatuoruiros cōstitutum, prouocare licet, Eslafichiæ (vt vocant) sectæ Præsidem: cui quatuoruirorum & inferiorum Iudicum placita pro sua in eos autoritate abolere permissum est. Verùm si quispiam contra suæ religionis præceptiones quidpiam intentare audeat, à suæ religionis Iudice grauiter plectitur. Similiter & prędictarum sectarū sacerdotes, cùm in orandi norma velut & in aliis ab inuicem differant, ob eam rituum discrepantiam, mutuo se odio non prosequuntur, nec fouet inimicitias incōdita vulgi multitudo; ast homines scientia & ratione præditi, quique studiis incubuere, persæpe sermones inter se conferunt, & priuatis in rebus quisque quam fouet sectam vt præstantiorem asserit, ita solidis quoq; argumentis confirmare audet, nemine quatuor præfatos doctores conuiciis lacerare, grauissima mulcta constituta, præsumente: tametsi eandem omnes fidem sustineant, nempe Hashari Machumeticorum Theologorum canones, qui vniuersa Africa, potioriq; Asiæ parte obseruātur, præterquam in Sophi Persarum Regis dominio, quem hos canones côtemnentem hæreticum scismaticumque reputant. Vnde porrò tanta opinionum differentia inter quatuor pręfatos doctores dimanarit, tædiosum ac prolixum recensere esset; verūm qui his afficitur, mea legat de Machumetis lege ac fide commentaria, iuxta Malichi disciplinam, magnæ eruditionis virum, Medina Taluabi, vbi Machumetis corpus visitur,

ori-

oriundum: quam quidem diſciplinam vniuerſa Syria, Ægyptus, & Arabia ſuſtinet: qua ſi quis oblectabitur, abundè ſibi ſatiſfactum in iis comperiet. Sceleratis hominib. grauia & crudelia infligũt, præcipuè in curia Regis, ſupplicia. Furem damnãt ſuſpendio. Homicidium proditoriè perpetratũ, hunc in modum plectunt: Tortoris miniſtri reum alter pedibus, alter capite cõprehendunt, tortor vibrato enſe corpus in duas partes diſſecat, & partem capiti annexam cõfeſtim foco calce viua referto ſuperimponit: res verò admiratione digna ac relatu cumprimis horrenda eſt, huiuſmodi truncum ad quartum horæ ſpacium ſingulis tũ loquens, tum reſpõdens ſuperuiuere. Graſſatores verò ac ſeditioſos viuos excoriant, ac pellem furfure oppletam donec hominis formã referat conſuunt, quam camelo impoſitam per ſingulos vrbis vicos flagitium ab eo commiſſum promulgantes circumducunt: quo ſupplicij genere nuſquã gentium vllum vidi crudelius, quod difficulter ſpiritum effundere poſſit reus: verùm ſi ferro carnifex vmbilicum tangit, cõfeſtim exhalat animam: quod tamẽ abſque præfecti iuſſu facere non poteſt. Qui in carcere ob æs alienum ſeruantur, ſi minus ſint ſoluendo, carceris præfectus creditoribus pro illis diſſoluit, ac miſeros ergaſtulo recluſos, ſingulis dieb. catenis vinctos, nonnulliſq; pueris comitatos, eleemoſynæ corrogãdæ gratia vicatim deduci iubet, quæ ad præfectum redit, tantum iis relinquens quantũ vitæ admodum tenuiter tranſigendæ vix ſufficiat. Vrbem quoq; circumeunt nonnullæ vetulæ cla-

 mi-

mitantes, quibus,tametsi intelligi non possint, cura incumbit, mulieres iuxta Machumetis præscriptum incidere: quem ritum in Ægypto saltem & Syria obseruant.

¶ *Sultanum creandi ritus, deque eius magistratuum ratione.*

SVltani dignitas & potētia mirabilem olim in modum excelluit, verùm à Selymo Turcarum Imperatore anno, ni fallor. M. D. XVII. euersa est, immutatis Sultani vniuersis institutis ac legibus: at quoniam statim ab ea rerum & fortunæ vicissitudine ter mihi Ægyptū peragrare contigit, non abs re facturus videor, si de Sultani aula quæ compertissima habui, nonnihil dixero. Ad hunc dignitatis gradum eligi solebat nobiliorum Mamaluchorum vnus. Mamaluchi porrò oēs ex Christianis constabāt, in pueritia apud Circassiam Ponti Euxini prouinciā à Tartaris furto sublatis, & Caphæ Tauricæ Chersonnesi oppido diuēditis, vnde Alcairum à mercatoribus abducti, à Sultano emebātur, quos baptismo confestim abiurato, in Arabico ac Turcico idiomate militarique disciplina institui procurabat, vnde paulatim per singulos honorū gradus euehebantur, donec ad Sultani dignitatem pertingerent. Huiusmodi verò consuetudo, qua Sultanum & Mamaluchū & conditione seruum esse cauetur, semitrecentis ab hinc annis initium cepit, nempe cùm potentissimi illius Saladini familia, cuius nomen Christianis adeò formidolosum extitit, ad paucos iam redacta intermoreretur. Cùm vltimus Hierosolymorum Rex de Al

cairo

cairo occupanda cogitaret, quæ propter Califæ aut Pontificis qui solus præ erat ignauiam, ei se tributariam facere meditaretur, Legisperiti ac Iudices Pontificis consensu Azedudin principem Asiaticum ex Cordis gentibus, qui vt Arabes in tentoriis habitabant, cum Saladino filio & .L. equitum milibus euocarunt. Saladinum verò tametsi ætate inferiorem ob insignem eius fortitudinem, atque in re militari præstantiam, exercitus imperatorem crearunt: facultate permissa, vt cuncta Ægypti vectigalia & reciperet, & pro suo arbitrio expenderet. Facta tandem in Christianos expeditione, incruétam de iis victoriam adeptus, Hierosolyma, totáque Syria exegit. Saladino autem Alcairum reuerso in menté subiit, eius dominium vsurpare: quamobrem trucidatis Pontificiæ custodię præfectis, penes quos rerum summa apud Ægyptios versabatur, Califam seu Pontificē è medio sustulit, quòd is præsidio destitutus, venenum illi propinandum curasset, seque confestim in Califę Bagaded legitimi Pontificis clientelam dedit: quo tempore Alcairi Califæ principatus, qui Pontificatū annis. CCXXX. perpetua successorum serie protraxerat, intercidit, ac penes Bagadedæ Califam legitimum Pontificem remansit. Sublato hoc Califarū aut Pontificum schismate, exorta est inter Bagadedę Sultanum & Saladinum discordia, qui Alcairi principatū inuaserat, quod Bagadedæ Sultanus olim Mazandraniæ & Euarizíniæ prouinciarum ad Gangem princeps, Asiatica quadam gente ortū trahens ius in Alcairi dominium referret, qui Sa-

ladino bellum inferre cogitans, à Tartaris in Corasana Regione excursiones facientibus detinebatur. Saladinus viciſſim veritus ne Chriſtiani acceptam à ſe iniuriam vlturi, expeditionem in Syriam pararēt, copias perpendens ſuperiori bel lo magna parte tum occiſas, tū peſtifera lue prę ter nonnullos qui Regni gubernationi præerant ſublatas, mancipiis in Circaſſia coemendis, quos Armeniæ Reges tum temporis rapiebant & Alcairū vendendos mittebant, intentus eſſe cœpit: quos abiurata fide, militari diſciplina, Turcicoq; idiomate, nempe Saladini proprio, imbui faciebat: quæ quidē & fortitudine & numero in tantum excreuerunt, vt & ſtrennui militis, & periti militiæ ductores, regnique adminiſtri euaſerint. Saladino in fata cōceſſo, principatus penes ſuam familiam annis. CL. remanſit, ſucceſſoribus eandem emendorum mancipiorum cōſuetudinem obſeruantibus: at collapſa Saladini familia, ſerui Piperem magnæ fortitudinis Mamaluchū conſentientib. ſuffragiis in ſuum principem ac Sultanum cooptarunt: quam exinde conſuetudinē adeò inuiolatè obſeruarunt, vt nec Sultani filius nedum Mamaluchus eum dignitatis gradum cō ſequi potuerit, niſi olim Chriſtianus & fidem ab iuraſſet, & linguas Circaſſiam ac Turcicam exactè loqui didiciſſet. Multi autem Sultani ſuos in pueritia filios in Circaſſiam morum ruſticorum ac linguę perdiſcendę gratia ablegarunt, vt principatui aliquādo forent accommodi, ſpe ſemper tamē ſua Mamaluchis diſſentientibus eluſi. Hæc obiter de Mamaluchorum Regno, eorumq; prin

cipe

cipe Sultano patria voce ad hæc vſque tempora nuncupatō, dicta ſufficiant: de honorum ordinibus pauca compendioſe dicturi.

¶ *Eddaguare.*

HVius erat ſecunda poſt Sultanum dignitas, cuius partes erant Sultani vices gerere, & quemque in Magiſtratu vel intrudere, vel amouere. Familiam alebat ferè adeò numeroſam, atque ipſe Sultanus.

¶ *Amir Cabir.*

TErtium à Sultano honoris locum obtinens, ſummi exercitus imperatoris officio fungebatur. Copias in hoſtes & vicinos Arabes conſcribebat, arces ac ciuitates præſidio firmans, cui liberum erat Regios theſauros neceſſariis in rebus pro arbitrio expendere.

¶ *Nai Beſſan.*

SYriam quartus nomine Sultani adminiſtrabat, & Aſſyriæ vectigalia pro libito tum exigebat, tum neceſſariis in rebus impendebat, tametſi arcibus & propugnaculis ipſe Sultanus præſidia imponeret. Hic Sultano ſingulis annis aureorum, quos Saraffios vocant, aliquot millia exoluere tenebatur.

¶ *Oſtadar.*

QVintus erat Palatij magiſter, cui tum Sultano veſtes curare, tum familiæ vniuerſæ annonam resq; neceſſarias ſuppeditare incumbebat. Solebant porrò Sultani huic officio prouectæ ætatis hominē ex magnificentiorib. ſuis virtuteq; excellentioribus præponere, ſub cuius tutela ipſe olim educatus fuiſſet.

Lini-

¶ *Amiri Achor.*

SExtus curiæ tum equos & camelos, tum eorum phaleras & cõmeatum prouidebat: quos inter aulæ familias pro cuiusque dignitatis gradu partiebatur.

¶ *Amiralf.*

SEptimus è certis cõſtabat ſatrapis, cuiuſmodi in Europa Tribunos, vulgo Colonellos vocamus. Quiſq; mille Mamaluchis præficiebatur, quibus tum acies cum hoſtibus conflicturas dirigere, tum Sultani armis præeſſe incumbebat.

¶ *Amirmia.*

OCtauo honoris gradu cõſtituebantur nonnulli Mamaluchorum Centuriones, qui Sultanum tum equitantẽ, tum aliquo armorum genere ſe exercentem, perpetuò comitarentur.

¶ *Chazendare.*

QVæſtor nonum tenebat locum, qui vectigalium rationes ad calculũ reuocabat, ac Sultano conſignabat, & nummos in quotidianos ſumptus neceſſarios, apud menſarios collocans, reliquum in Sultani arce reponebat.

¶ *Amirſileh.*

PRæficiebatur decimus armorũ Sultani cuſtodiæ, quæ magno incluſa atrio tum expolienda, tum renouanda curabat, cui multi ob id officium ſuberant Mamaluchi.

¶ *Teſtecana.*

HVic Sultani veſtibus à magiſtro palatij conſignatis præeſſe iubebatur, quas pro voluntate principis diſtribuebat, quod quẽ Sultanus dignitatis ornaret gradu, eum pariter

riter vestiret. Vestiméta porrò ex auro intextis gausapinis vel sericeis constabant: & quocunq; pedem ferret, magna Mamaluchorum turba comitatus incedebat. Amplior erat magistratuum numerus: veluti quē Serbedare nominabant, cui Sultani potus cura deferebatur, perpetuò aquas præstantissimas tum sacharo dilutas, tum ex aromatibus compositas, apud se habēs. Præterea Farralini, hoc est, diuersi cubicularij, qui Sultani Regiam non minus pannis sericis ac tapetibus, quām necessariis facibus ac cereis exornatā continebat, qui ambra commixti tam odoriferis suffitibus q̄ lumini edendo deseruiebant. Adhæc quos Sebebathias, hoc est, præcursores, & Taburchanias, nempe stipatores vocant, qui Sultano equitanti & in foro causas dicenti assistebant. Adauiæ, quos dicunt, impedimentis sicubi proficisceretur Sultanus, præerant: è quibus tortor eligebatur, & quoties de flagitiosis supplicium sumendum esset, oēs tortorem artificij condiscendi gratia comitabātur, partim homines viuos excoriandi, partim torturam vt delictum faterētur admouendi gratia. Esubæ, literis Alcairo in Syriā deferendis vacabant, ac pedes in singulos dies sexaginta passuū millia conficiebāt, quòd inter Ægyptum & Syriam, nec montuosum, nec vliginosum iter pateat, sed sabulo referta planicies: at qui seriis de rebus literas deferebant, camelos inequitabant. ¶*Sultani militia.*

SVltani porro militum quatuor erant ordines. Primus ex equitibus viris bellica virtute præstantibus constabat: è quibus ciui tatum

tatum arciumque præfecti à Sultano creabátur. Stipendium plerisq; ex Sultani ærario in prompta pecunia, plerisque in vicorum & arcium vectigalibus assignabatur. Secundus erat pedestris militiæ ordo, nulla præter ensem gerens arma, quibus pariter è Sultani fisco stipendium persol uebatur. Tertius ordo gratis militabat, nihil præ ter victum referés: verùm concedente in fata Mamalucho quopiam, ex eorū munero quibus necessariis de rebus ad vitam prouisum esset, hi in eius locum succedebant. Vltimo ordini Mamaluchi tyrones inscribebantur, Turcici aut vernaculi idiomatis adhuc ignari, & qui nullū suæ dexteritatis adhuc specimen ediderant.

*Magistratus præcipuis Regni curis constituti.*

¶ *Nadheasse.*

HVius erat ceu ærarij præfecti dignitas: nam totius Regni vectigalibus ac teloniis redimendis præerat, & censūs quæstori consignabat. Quin & ipse apud Alcairum Publicani officio fungebatur, ex quo ingentem sibi vim pecuniarum conflabat: tametsi hanc nemini functioné administrare liceret, nisi Sultano centum prius aureorum Saraffiorum quos vocant milia persoluisset, quę postea intra semestre recuperabat. ¶ *Chetebeessere.*

PRæterquā quòd Sultano hic à secretis foret, cuius partes erant Regis nomine literas dictare ac respondere, incumbebat etiam censuum rationes omnium Ægypti agrorum subducere, eamq; pecuniam à suis pręfectis colligere. ¶ *Muachih.*

Erat

ERat hic pariter Regi à secretis,sed inferioris conditionis, tametsi Sultano fidelior. Huic onus imponebatur alterius scripta, tum recognoscere,tum si iuxta Sultani mẽtem essent animaduertere,quib. Sultani nomine tandem subscribebat. Verùm alter tot amanuenses scribendi vsu peritos habebat, vt rarò Muachih quidpiam cancellandum contingeret.

¶ *Muhtesib.*

HVic tum frumẽto,tum annonæ precium designare committebatur : quod partim pro Nili incremento,partim pro ratione nauigiorum ex Errifia & Sahidica prouincia aduentãtium aut deprimebat,aut extollebat,præuaricatores multis à Sultano constitutis afficiens . Cum Alcairi agerem, intellexi per singulos dies hunc exigere circiter mille Saraffios: non solum ex Alcairo verùm ab omnibus Ægypti ciuitatibus & locis, quibus suos præficit administros sibi tributarios.

¶ *Amir el Cheggi.*

HVnc nõ minoris oneris quàm summę dignitatis gradũ, Sultanus in Mamaluchorum tum dexterrimum, tum potentissimum collocabat: cui præfectura dabatur profectionis, quæ singulis annis Alcairo Mecam fiebat,quam is absq; magno Rei familiaris dispendio peragere nequibat,quod Mamaluchorum cohorte stipatus, solenni pompa incedẽs genio indulgeret, & trimestris spacio grauissimos sumptus, absq; vlla Sultani & viatorum repẽsatione toleraret. Aliis alij ornabãtur dignitatibus,quas sigil

ſigillatim recenſere ſuperuacaneum duxi.

¶ *Geza ciuitas.*

GEza ciuitas ad Nili ripam è regione Ciuitatis veteris exſtructa, à qua per Nili Inſulam ſeparatur,populo tum frequēti tum vrbano exculta eſt. Pulcherrimam reddunt crebra à Mamaluchis Alcairi turbam ac ſtrepitū vitantibus fabricata palatia,artificum quoque & mercatorū copia,maximè pecoris ex Barcæ mōtibus acti, cuius ductores Arabes,ne flumen lintribus traiiciant,mercatorib.& Alcairi laniis eam ob cauſam huc accurentibus,diuendunt. Ciuitatis delubrum & elegātiora ædificia ad Nili ripam conſtructa ſunt. Circum horti patēt dactyliferi. Qui ex Alcairo mœchanici quæſtus faciendi gratia matutino tempore adueniunt, ſub veſperam domum reuertuntur. Hàc per deſertum arenaceum itur ad Piramides,nempe ac priſcorum Ægypti Regum ſepulchra, quo in loco Memphin olim exſtitiſſe aſſerunt. Iter licet ſtagnis ac frequentibus puteis Nili incremento confectis ſit permoleſtum, paruo tamen negocio experti ac fidi comitis auxilio ſuperari poteſt.

¶ *Muhallaca.*

MVhallaca exigua ad Nilum ciuitas, priſcorum Ægyptiorū ſæculo conſtructa, tribus diſtat à Ciuitate veteri paſſuum milibus. Viſitur in ea prope Nili ripā templum ſtructuræ magnificæ,& varia pulchri operis ædificia . Dactylis abundat & ficubus quas vocant Ægyptiis. Incolæ verò eoſdem ferè ſeruant ritus, quos Alcairi ciues.

¶ *Chancha.*

CHancha ciuitas ampla in deserti initio, quà ad Synai montem itur, sexto ab Alcairo miliari constructa, pulcherrimis ædificiis, delubris, & collegiis referta est. Quicquid agri inter hanc & Alcairum interiacet, creberrimis dactylorum possessionibus excultũ est: cæterum à Chancha ad montem Synai, centum & quadraginta miliarium intercapedine, nulla reperitur habitatio. Incolæ mediocriter opib. pollent: cùm enim profectio in Syriam paratur, huc populi caterua ex Alcairo conuenit, res ad iter necessarias coemptura, quòd in eius agro præter dactylos nil proueniat. Duæ hic viæ patent publicæ, quarum altera in Arabiá, altera in Syriam ducit. Aquam nõ habet hæc ciuitas, præter eam quæ intra canales exundante Nilo remanet: qui si disrumpantur, aqua excurrẽs in planiciem exiguos lacus efficit, quæ per certos aquæductus in ciuitatem fluens in cisternas effunditur.

¶ *Muhaisira.*

EXigua hęc ad Orientem supra Nilum trigesimo circiter ab Alcairo miliari exstructa ciuitas, magnam sesamæ producit copiam plurimis referta molis, quib. è sesamæ granis oleum exprimunt. Incolæ potissimum agriculturam exercent, præter nonnullos qui mercaturæ dant operam.

¶ *Benisuaif.*

BEnisuaif angusta ciuitas, altera Nili parte quæ Africam spectat ædificata, centum viginti distat ab Alcairo passuum millibus.

Pla-

Planiciem habet lino & cannabi cóferendo cùm primis accommodam,quod isthic adeò prçstans colligitur, vt Tunetum vsq; Barbariæ oppidum exportetur,Hęc ciuitas vniuersæ Ægypto linum suppeditat:ex quo telam exilem ac solidam conficiunt. Huius agrum Nilus exundationis tempore continuò arrodit & imminuit, nostra præcipue tempestate,qua agros dactyliferos dimidia sui amplius parte auulsit. Incolæ vt plurimum variis lini operibus seipsos occupant. Vlterius crocodili inueniuntur humanam carnem deuorantes, velut in nostra animalium historia tractabimus. ¶ *Munia.*

IN eadem Nili ripa spectatur Munia elegantissima ciuitas, Machumetanorum sæculo, à Chasib prçfecto pontificis Bagadedæ domestico edito loco cõstructa. Vnis optimis omniq; fructuum genere abundat,qui tametsi Alcairum deferantur,recentes tamen propter loci distantiã peruenire nequeunt,quod hæc ciuitas. CLXXX. passuum millibus ab Alcairo sit dissita. Pulcherrimis abundat ædificiorũ structuris ac delubris: Visuntur in ea crebræ priscorum Ægyptiorum ruinæ. Incolæ opibus valent, nam quæstus gratia Goagam, vsque Nigritarum Regnum proficiscuntur. ¶ *Bl Fijum.*

HAnc vetustam ciuitatem Pharaonum vnus ad exiguum Nili alueum sublimi loco condidit iis temporib. quibus Hebræi Ægypto excessere,quos lapidibus expoliendis aliisque seruitutibus misere affligebat. In hac sepultum ferunt Ioseph Israelis filium,atq; à Mose

fu

gientib. deinde Hebræis effossum. Magnam fructuum & oliuarum producit abundantiam, quæ esui accommodæ, oleo exprimendo prorsus habentur inutiles. Ciuitas vrbana est & populo referta: plurimi in ea artifices, præcipuè vero textores agunt.

¶ *Mansf Loth.*

AMplissimam hanc & vetustissimam ciuitatem, Ægyptij condidere, à Romanis verò destructa Machumetanorum tempestate restaurari cœpta est, verùm ea neutiquam qua prius magnificentia. Visuntur in ea nostro sæculo crassæ & eminẽtes columnæ ac porticus, insculptis Ægyptia lingua versib. Iuxta Nilum rudera sunt insignis cuiusdam ædificij, quod olim delubrum fuisse constat, è quibus ciues nonnunquã aurea, argentea, & plumbea numismata effodiunt, altera parte hieroglyphicis notis, altera priscorum Regum effigiebus insignita. Ager cùm sit fertilis, vehementi Solis æstu aduritur, & à crocodilis plurimum infestatur, cuius rei occasione ciuitaté à Romanis derelictam coniiciunt. Incolæ porrò mediocris sunt fortunæ, mercaturam enim in regione Nigritarum exercent.

¶ *Asioth.*

VEtustam hanc ciuitaté, Ægyptij ad Nili ripam ducẽtis & quinquaginta passuum milibus ab Alcairo construxère. Admirandam reddit eius vastitas, & antiquorum ædificiorum & epitaphiorum notis ægyptiis inscriptorum varietas, licet potiori ex parte euastata. Quo tempore Machumetani ciuitatis dominiũ vsurparunt, plurimi eam heroes incolebant, nobili-

bilitate & diuitiis ad nostra vsque tempora illustris. Centum fere in ea supersunt Christianorũ Ægyptiorum familiæ, templa tria aut quatuor: extra ciuitatem verò vnũ visitur monasterium, à centum amplius monachis inhabitatũ, qui carne aut piscibus nequaquam vescuntur, sed oleribus, pane, & oliuis. Adipe quamuis nõ vtantur, cibaria tamen satis lauta conficiunt. Monasteriũ verò opibus pollet, exterisq; illac iter facientib. cibum & hospitium triduo suppeditat, magnam alens pro hospitibus columbarum, pullorum, animaliumque copiam.

¶ *Ichmin.*

ICHmin vetustissimam totius Ægypti ciuitatem, Ichmin filius Misraim, qui à Chus filio Hen ortũ duxit, ad Nilum qua parte Asiam irrigat, trecentis ad Orienté ab Alcairo passuum milibus condidit. Hanc Machumetani cùm primùm Ægypti dominium vsurpassent, propter causas in historia relatas adeò deuastarũt, vt præter fundamenta ac rudera nihil in ea reliquerint: nam columnis & præstantiorib. lapidibus ad alteram Nili parté asportatis, Munsiam, vt statim dicemus, ex eius reliquiis ædificarunt.

¶ *Munsia.*

MVnsiam itaque ab altera Nili parte condidit cuiusdam Pontificis Præfectus, verùm nulla nec venustate nec elegantia, nam vici omnes angusti sunt. Æstate verò tantum pulueris excitat solum, vt per eam ambulare non liceat. Frumento abundat & pecore. Huius dominium possidebat Princeps quidam

Afri

Africanus ex Barbaris gentibus, cui nomen fuit Haoara, cuius antecessores Haoaræ principatum obtinuerunt. Quam ciuitatem consecutũ ferunt ratione singularis beneficij, quo seruum Dalmatam Alcairi conditorem affecisset: non possum tamẽ adduci vt principatum credam penes eam familiam tam longo temporis spacio remansisse. Solimanus verò nonus Turcarũ Imperator, nostra memoria ei hunc principatum eripuit.

¶ *Georgia.*

Georgia amplissimum olim fuit ac opulentissimum Christianorum monasterium, D. Georgij appellatione celebre, sexto à Munsia miliario dissitum. Monachi inhabitabant amplius ducenti, qui innumeros agros & pascua possidentes, exteris pariter cibum præbebant, & quod è redditibus illis supererat, ad Alcairi Patriarchã transmittebant, qui inter pauperes Christianos hæc distribui procurabat: verùm anno abhinc circiter centesimo, pestifera quædam lues Ægyptũ inuasit, eiusq; monasterii monachos omnes extinxit. Quamobrem Munsiæ Princeps monasterium perpetuo muro cinxit, domosq; fabricari instituit, quas diuersi generis tum artifices, tum mercatores inhabitarunt. Ipse quoque pulcherrimorum hortorum colliculis quibusdam adiacẽtium amœnitate tractus, eò habitaturus perrexit: verùm Patriarcha Iacobitarum apud Sultanum querimoniam faciente, Sultanus aliud monasterium eo loco construi iussit, quo olim Ciuitas vetus ædificata fuerat, tantumque pensionis illi assignauit, qua facillimè

triginta poſſet alere monachos.

¶ *Chian.*

CHian exiguam ad Nilum ciuitatem Machumetani olim condidere, quam tamē nullus eorum inhabitat, ſed Chriſtiani Iacobitæ, qui vel agriculturam exercent, vel pullorum, anſerum, & columbarum nutritioni intenti ſunt. Superſunt in ea pleraque monaſteria Chriſtianorum, qui exteris pariter miniſtrāt alimoniam. Ex Machumetanis verò præter præfectum, eiusq; familiam, nullum in ea reperire eſt.

¶ *Barbanda.*

BArbandam priſci Ægyptij ſupra Nilum quadringentis circiter ab Alcairo paſſuum milibus exſtruxerunt. Hæc à Romanis vaſtata præter ruinas nihil exhibet, quæ potiſſimū Aſnā perlatæ ſunt, de qua nobis ſermo erit paulò inferius. Inter ruinas plurima reperire licet auri argentíque numiſmata, multa item Smaragdi fragmina.

¶ *Chana.*

CHana vetuſta ciuitas ad Nili ripam ex aduerſo Barbandæ ab Ægyptiis condita, mœnibus quidem cincta eſt, ſed è crudo lapide conſtructis. Incolæ vilis conditionis homines agriculturæ vacāt: ciuitas autem frumento abundat. Huc merces conuehuntur, quæ Alcairo Mecam aduerſo Nilo ferūtur: à mari enim Rubro per deſertum centum & viginti ſaltem paſſuum milibus diſtat, qua locorum intercapedine nihil prorſus aquæ reperire licet. In maris autem Rubri littore ad Choſſir portum, frequen

tia

tia sunt tuguria in quibus exonerantur merces: portus verò domunculæ storeis contectæ sunt. E regione Chossir ab Asiæ parte situs est Iambuh maris Rubri portus, ad quem viatoribus Medinā sepulchro Machumetis nobilem iter faciētibus, conuenire oportet. Chana porrò frumentū suppeditat Medinæ ac Mecæ, quibus in locis maximam perpetuò patiuntur inopiam.

¶ *Asna.*

ASnam antiquitus Senam vocitarūt: quæ nominis immutatio ab Arabibus dimanauit, quorū idiomate Sena rem fœdam ac turpem significat. Asnam igitur appellarunt, hoc est, pulchram & elegantem, quòd situ peramœno iuxta Nilum ab Africæ parte constructa sit: quæ tametsi à Romanis propemodū vastata exstiterit, Machumetanorum tamen sæculo ita restaurata est, vt eius incolæ tam frumenti & pecoris, quàm nummorum ditissimi euaserint. In Regno siquidē Nubiæ partim aduerso Nilo, partim per deserta mercaturam exercent. In huius ciuitatis ambitu, maxima visuntur ædificia, operisque admirandi sepulturæ, cum epitaphiis tam Ægyptiis notis q̄ Latinis characterib. insculptis.

¶ *Asuan.*

ASuan amplam, vetustam, populoque refertam ciuitatem, Ægyptij ad Nilum octuagesimo circiter ab Asna miliario Orientem versus condidere. Solum habet frumēto cumprimis accommodum. Ciues mercimoniis exercendis deditissimos facit Nubiæ Regni propinquitas, in cuius confinio hæc sita est ciuitas,

vltra quam Nilus in exiguos lacus per subiectas planicies diffusus innauigabilis fertur. Est quoq; deserto cõfinis, quo ad Suachin Rubri maris portum itur, & in limitibus Æthiopiæ sita: in qua tempore æstiuo immenso Solis æstu torrent incolæ, fusci potissimum coloris, Nubiis hominib. & Æthiopibus commixti. Plurimas hic spectare liceat priscorum Ægyptiorum structuras, altissimas item turres, quas patrio nomine Barba vocitant. Vlterius nulla nec ciuitas, nec memoratu digna reperitur habitatio, præter exiguos aliquot hominum fuscorum vicos, quorum idioma Arabico, Ægyptio, ac Æthiopico permixtum est. Hi Bugis gentibus subditi, in campis ætatem degunt more Arabum, Sultani iugo liberi, apud quos eius finitur dominiũ. Hæ sunt præcipuæ vrbes ad magnum Nili alueum sitæ, quarũ nonnullas vidi, nõnullas ingressus sum, reliquas prçterij: de quibus mihi semper ab incolis, & à nautis qui me Alcairo adusq; Asuan cõuexêre, facta exstitit certa narratio, quibuscum Chanam reuersus, per desertum ad mare Rubrum perueni, quod ad Iambuh & Ziddem Arabiæ desertæ portus traieci, de quibus cùm ad Asiam spectent, ne extra Africam nostram digrediar, loqui supersedeo: si Numine tamẽ aspirante vita mihi largior obtigerit, Asiæ regiones à me perlustratas describpturus sum, velut Arabiam Desertam, Fœlicem, ac Petream, Ægyptum Asiaticam, Babyloniam, Persiæ, Armeniæ, ac Tartariæ partẽ, quas in ætate iuuenili, & vidi & percurri. Tum vltimam quoq; meam à Fessa Constantinopolim profectionem,

hinc

hinc in Ægyptum,atque inde in Italiam, in qua plurimas conſpexi Inſulas: quas omnes meas peregrinationes ab Europa fauente Dominò in patriam reuerſus particulariter deſcribam: operis initio præſtantiores Europæ & Aſiæ à me luſtratas regiones collocans,quas Africa hæc mea ſubſequetur,vt ſtudioſos qui rerum cognitione oblectantur,meis peregrinationibus adiuuem.

# Ioannis Leonis Africani deſcriptionum Africæ, rerumq́ in ea memorabilium,

## LIBER NONVS.

*In quo de præcipuis Africæ fluminibus, animalibus,ac fruticibus agitur.*

### ¶ *Tenſiſt flumen.*

TEnſiſt fluuius , vt à Barbaria occidua Africę Regione ſumamus exordium,ex Atlantis montibus qua Hanimmeę ciuitati ſunt proximę,hòc eſt in Marocci territorio verſus Orientem exoritur , & in Septentrionem per planicies diffuſus in Azafi Duccalæ Regionis vico plurimis fluminibus auctior ſe in Oceanum effundit. In hunc Sifelmel & Niffis magna flumina confluunt,quorũ alterum è Hanteta Marocci colle ſcaturit:alterum Atlante prope Maroccum exortum, per planiciem circum Maroccum fertur. Tenſiſt autem licet profundum ſit flumen, pleriſque tamen in locis vado tranſmeari poteſt,

quanuis aqua stapedes superet: at qui pedes est, nudus oportet traijciat. Iuxta Maroccum pons cernitur à Rege Mansore cõstructus, & quindecim fornicibus distinctus: qui inter elegantiora totius Africæ ædificia recensetur. Tres porro arcus ab Abu Dubus vltimo Marocci Rege ac Pontifice, quò transitum Iacobo primo Marinæ stirpis Regi impediret, disrupti sunt: cuius tamẽ conatus inanes fuisse temporũ successus ostendit.

¶ *Teseuhin.*

TEseuhin duo eiusdem nominis flumina, ex monte Gugigidemo scaturiunt ternis ab inuicem passuum milibus, & Hascoræ tractus planiciem irrigantes, in Lebich amnem se exonerant. Hæc flumina ex eodem monte, vt dixi, originem ducunt: quorum alterum singulari numero Teseut, vtrumque verò plurali Teseuhin appellitant.

*Guadelhabit, hoc est seruorum fluuius.*

NAscitur ex Atlante, inter excelsos ac gelidos montes, & per angustas ac scabrosas valles delabens Hascoræ ac Tedletis confinia præterfluit, deinde in planiciem versus Septentrionem extensus, in Ommirabih flumẽ collabitur. Mediocris est magnitudinis verno præsertim tempore, cum niues liquefieri solent.

¶ *Ommirabih.*

OMmirabih fluuius maximus, ex Atlante inter altissimos montes qua Tedles prouincia Fessano Regno confinis est, scaturiens, per certas planicies Adachsun dictas fluit, deinde in angustas valles coartatus, pontem elegan

gantiſſimæ ſtructurę ab Ibulhaſen quarto Marinorum ſtirpis Rege fabricatum alluit: hinc Meridiem verſus planicies irrigat, quæ Regionibus Duccalæ ac Temeſnæ interiacent, donec ad Azamuri mœnia in Oceanum ſe exoneret. Hyberno ac verno tempore tranſuadari non poteſt, verùm adiacentium locorum incolę, merces ac viatores quibuſdam ceu raſtris, vtribus ad vtranq; ripam ſuperimpoſitis traijciunt. Sub Maij finem, magnam copiam piſcium quos Itali laſchas vocāt, in eo piſcantur, quibus Azamuro ſatiata, naues plurimas ſalitis piſcibus onuſtas in Luſitaniam abducunt.

¶ *Buragragus.*

NAſcitur Buragragus ex vno montium ab Atlante procedentiū. Plurimas tum valles, tum ſyluas præterfluit, exinde certis è collibus prodiēs, in quandam planiciem extenditur, atque ad oppida Salam & Rabatum Feſſani Regni terminos ſe in Oceanum exonerat. Hæ porrò ciuitates alium portum non habent, præterquā in eius fluminis faucibus, eumq; ingreſſu adeo difficilem, vt niſi loci qualitatem optimè ſit edoctus nauta, facile in arena naufragium paſſurus ſit: quod vtriuſq; oppidi eſt vallum & munitio aduerſus claſſes Chriſtianorum.

¶ *Bat.*

BAt fluuius ex Atlante ſcaturiēs, in Septentrionem per ſyluas & montes extenditur, tum certis collibus egrediēs, in planiciem Azgaris prouinciæ ſe diſpergit, atque hinc in paludes, lacus & valles aquaticas deſinit, in quibus anguillas innumeras, & maximas quas vocāt laſchas

chas piſcantur. Accolę pecuariam exercentes ex pecore & piſcatione victum quærunt, atque ex magna lactis, piſcis, ac butyri, quibus veſcuntur copia, morphææ morbo plurimũ ſunt obnoxij. Perpetuò hic fluuius vadari poteſt, præterquam dum imbrium frequentia & liquefacta niue turgidior grandeſcit.

¶ *Subu.*

SVbu fluuius in Selilgo monte Cheuz prouinciæ Regni Feſſani exoritur. Scaturit ex maximo fonte in horrida ſylua, plurimosq; montes & colles præterfluit: hinc in planum extenſus, ſex à Feſſa miliaribus planiciem irrigans Habat & Azgar Regiones diſterminat, tandem iuxta Mahmoram locum Salæ propinquum in Oceanum prouoluitur. In hunc plurimi fluuij ſe exonerant, inter quos Guarga & Ador ex Gumeræ montibus originẽ ducunt, reliqui ex montibus qui in Tezæ ſunt principatu, proueniunt. Licet aquoſus ſit, multis tamen in locis vadari ſe permittit, verùm Hyeme ac Vere tranſmitti nõ poteſt niſi periculoſis quibuſdam lintribus. Qui porrò Feſſanam vrbem fluuius præterfluit, hunc pariter ingreditur, patrio vocabulo Margaritarũ flumen appellatum. Subu autem piſcium maximam præbet copiam, præſertim laſcharum, quæ iſthic viliſſimæ ſunt. Quâ in Oceanũ ſeſe exonerat lato ſimul ac profundo oſtio diffuſus, magnas etiam naues admittit, vt à Luſitanis & Hiſpanis comprobatum eſt: poſſet quoq; nauigari ſi accolarum inſcitia id perciperet, quin ſi Feſſani mercatores grana quæ per Azgaram Regionẽ

ve-

vehunt,nauigio deferenda curarent, Feſſæ dimidiò minoris vænirent.

¶ *Luccus.*

LVccus ex Gumeræ montibus originẽ ducens ad Occidentem per planicies Habatę & Azgaræ Regionum diffunditur, deinde Caſarum El cabirum præterfluens,iuxta Haraidem Azgareæ ciuitatem ad Habatæ confinia in Oceanũ labitur: in cuius oſtio eſt ciuitatis portus ingreſſu difficillimus.

¶ *Mulullus.*

MVlullus flumen ex Atlante inter limites Tezæ ac Dubdu ſcaturiens, per planicies Terreſtam & Tafratã aſperas ac ſteriles fluit, deinde in Muluam fluuium ſe exonerat.

¶ *Mulua.*

MVlua inſignis fluuius, fontes habet in Atlante,in Regione Cheuz,vigintiquinque plus minus à Gerſeluin oppido paſſuum milibus,& aſperas ſterileſque planicies irrigans, per medium deſerti Angad & Gared labitur,dein Beni Ieznatem mõtis radices alluens, in mare Mediterraneum non procul ab oppido Chaſaſa ſeſe effundit. Hic fluuius æſtiuo tempore ſemper tranſuadatur, in cuius oſtio ſeleƈtiſſimi capiuntur piſces.

¶ *Za.*

ZA fluuius in Atlante exortus, per certam planiciem in deſerto Angad ad Feſſæ & Telenſin Regnorum limites diffunditur: quẽ licet maximè profundum, nunquam tamen turgidum vidi. Piſcibus abundat, verùm

ac-

accolæ piſcandi apparatu deſtituti, iis inſidiari non poſſunt, aquis lucidis exiſtentibus iiſque piſcationi incommodis.

¶ *Teſne.*

TEſne amniculus in montibus ad limites Numidiæ exortus per deſertum Angud Septentrionem verſus perpetuo curſu in Oceanum quindecim à Telenſino paſſuum milibus fertur, neque in eo quicquam præter exiguos piſciculos inuenitur.

¶ *Mina.*

MIna fluuius mediocris, ex vicinis Tegdent montibus labens, Bathæ ciuitatis campos irrigat, inde ad Septentrionem in Oceanum prouoluitur.

¶ *Selef.*

SElef magnus fluuius ex Guanſeris montibus originem ducens, per incultas planicies ad confinia Regnorum Tenez ac Telenſin labitur, atque hinc Mezagranum à Muſtugani diſterminans, mare Mediterraneum ingreditur, in cuius faucibus ſelecti omnis generis piſces capiuntur.

¶ *Seſſaia.*

SEſſaia amniculus ex Atlante proueniens ac Metegia planiciem Algerię vicinam alluens iuxta vetuſtum oppidum Temendefuſt in mare Mediterraneum fluit.

¶ *Flumen quod Magnum dicitur.*

NAſcitur ex montibus prouinciam Zab attingentibus, & per montium præcipitia deſcendens, tertio à Bugia miliari

in

in Oceanum fertur. Non exundat præterquam imbrium ac niuium tempore: neq; solent in eo piscari Bugienses, mari licet proximi.

¶ *Sufmare.*

NAscitur in montibus Auras montē contingentibus, & per steriles cāpos labens in territorio Constantinæ ciuitatis egreditur, cuius ripam alluens, fluuiolum exiguum in se recipit, deinde Septentrionem versus, per colles & mōtes fertur in Oceanum, vbi rus Chollo oppidi à rure Gegel castri disterminat.

¶ *Iadog.*

IAdog fluuiolus, ex montibus Constantinæ proximis scaturit, & per eosdem montes Orientem versus prolabens, iuxta Hipponam in Oceanum effunditur.

¶ *Guadilbarbar.*

IN montibus oritur, agrum Vrbs ciuitatis attingentibus, & per colles & montes labens, adeò flexuose fertur, vt iis qui Hippona Tunetum iter faciunt, amplius vigesies traijciendus sit, absque vllo pontium aut lintrium adminiculo. Tandem in Oceanū sese iuxta desertum Tabracæ portum, quindecim circiter à Bege ciuitate passuum milibus exonerat.

¶ *Megerada.*

MEgerada fluuius maximus in montibus Tebessæ ciuitati vicinis, ad cōfinia prouinciæ Zeb oritur, ac Septentrionē versus perpetuo fertur cursu, donec ad Garil Meleh locum à Tuneto quadraginta passuum milibus distantem in Oceanū se exoneret. Imbrium tem-

pore

pore adeò excreſcit, vt viatoribus nonnunquam biduo aut triduo ad eius ripam donec decreuerit exſpectandum ſit, quòd nec cymbarũ, nec pontium vſum habeant, præcipuè ſexto à Tuneto miliari. Perſpice quantum & animi & ingenij vigore ab antiquis Afris degenerarint noſtri, qui toties populo Romano tremorem & pauorem incuſſerunt.

¶ *Capis.*

IN Meridionali quodam deſerto exoritur, ac per certas planicies arenaceas currens, iuxta eiuſdem nominis oppidum in Oceanum labitur. Aquam habet ſalſam adeóque calidam, vt qui ex ea potare voluerit, horæ ſpacio donec tepeſcat ſit abſtinendũ. Hæc ſunt inſigniora Barbariæ flumina, quare hinc ad Numidiæ deſcriptionem properandum eſt.

## ☞ FLVMINA NVMIDIÆ.

¶ *Sus.*

SVs magnum flumen ex Atlantis montibus qui Heha à Sus terminant, ſcaturit: & Meridiem verſus inter eoſdem montes labitur in prædictæ Regionis campos prodiens, deinde in Occidentem effuſus, ad Gurtueſſen locum Oceano proximum ſe exonerat. Hyeme exundans plurimum agri euertit, æſtate alioquin exiguus.

¶ *Dara.*

DAra ad confinia Haſcorę in Atlante exortus, in Meridiem fluẽs Dara prouinciam alluit: hinc per deſertum labens in certos campos & prata diſpergitur, in quibus propter herbæ copiam Arabes ſuos camelos pabulantur. Æſtate adeo exiccatur, vt neque calceos in eius tran-

transitu madefacias: hyeme autem ita excrescit, vt nec lintribus traijci possit: feruente vero Solis æstu, eius aqua gustu amara est.

¶ *Zis.*

ZIs in Atlantis montibus à Zanaga populo habitatis nascitur, ac per montes plurimos in Meridiem labens, Gerleluin ciuitatem præterfluit, deinde rura Chenegæ Metgaræ & Retebæ irrigans, territorium Segelmessæ ciuitatis ingreditur, cuius quoque possessiones alluit; hinc in desertum iuxta Sugahila castrum profluit, atq; exinde lacum in medio arenæ format omni habitatione vacuum, quē tamen obire solent Arabes venatores, quod hoc in loco maximam prædam agant.

*Gir.*

GIR flumen in Athlante pariter exortum per deserta aliquot Meridiem versus labitur, & Benigumi populos irrigans, in medio deserti lacum pariter efficit.

In principio nostri operis, cùm de Nigro flumine in Africæ diuisione mentionem habuerimus, superfluum erit hic repetere: quare ad Nili descriptionem transeamus.

¶ *Nilus.*

MIrabilis est profectò Nili cursus, stupendis animalibus ac monstris refertus, cuiusmodi sunt equi & boues marini, crocodili, atque id genus aliæ crudeles feræ, vt inferius recensebimus, quæ nec Romanorū nec Ægyptiorum sæculo tam noxiæ erant vt hac tempestate: verùm deteriores effectæ sunt, ex quò Machu-

chumetani Ægyptum occuparunt. Scribit Meſ-
hudius in opuſculo rerum memorabilium ſui
temporis, inuētam eſſe Humethi Thanlonis filij
ſæculo, qui Giſaris Mutanichil Bagadedæ Pon-
tificis in Ægypto Suppræfectus Anno Hegiræ
CCLXX. extitit, plumbeam ſtatuam magnitu
dinis crocodili, in ruderibus delubri Ægyptiaci,
notis hieroglyphicis inſignitam, certiſque con-
ſtellationibus aduerſus crocodilum obnoxiam,
quam cum Supræfectus diſrumpi iuſſiſſet, cro
codilos hominib. inſidiari cœpiſſe. Verùm qua
ratione crocodilos ab Alcairo ad mare vſq; Medi
terraneum non eſſe perinde noxios eueniat, pe-
nitus ignoro: cùm ij qui aduerſo flumine ferun
tur, plurimos homines occidant ac deuorent.
Sed vt ad Nilum reuertamur, quadraginta dieb.
vt diximus, creſcit, hoc eſt, ad decimumſeptimū
menſis Iunij: ac totidem decreſcit. Nam in ſu-
periori Æthiopia cùm in Maij initio denſiſſimè
pluat, aquę curſus per integrùm Maium & Iunij
partem priuſquam Ægyptum perueniat, retar-
datur. De origine verò huius fluuij variæ ſunt
opiniones, omneſq; incertæ. Nonnulli in Lunæ
montibus ortum ducere affirmant, alij ex incul-
tis planicieb. ad radices prædictorum montium,
ex plurimis fontibus magno interuallo ab inui-
cem diſſitis ſcaturire. Cæterum priores affirmāt
Nilum maximo impetu ex montibus præcipi-
tem in ſubterraneos meatus ferri, eoſque fontes
efficere. Vtraque harū opinionum falſa eſt: neq;
enim quiſquam vidit vnde Nilus trahat originē.
Mercatores Æthiopes, qui in Dancala oppido

ne-

negotiantur,afferunt Nilum Meridiem verſus in maximum lacum ita diſtendi,vt quà curſum ferat, dinoſci nequeat: atque hinc in plurimos ramos ſecari, qui per diuerſos alueos diſcurrentes, ad Occidenté & Orientem extenduntur, & viatores ne varios flexus poſſint circumire, impediunt. Affirmant quoque multi Æthiopes planicies pariter vt Arabes incolentes, eorum pleroſque nonnunquam camelos quo tempore in Venerem feruntur amiſſos,Meridiem verſus circiter mille paſſuum milib. quæſiiſſe,perpetuoq; eodem modo Nilum vidiſſe,hoc eſt,in frequẽtes lacus ramosq; diſperſum, atq; plurimos montes deſertos ac ſteriles inueniſſe, in quibus Meshudius reperiri ſmaragdos ait: quod mihi veriſimilius habetur,quàm de ſyluestrib. hominibus, eodem teſte, velut capreolis oberrantibus,atque in deſerto herbis more ferarum veſcentib. Quod ſi omnia referrem,quæ noſtri Hiſtorici fabuloſè de Nilo dictarunt, Lectori tædium incuterem.

## ☞ DE ANIMALIBVS.

DE animalibus tractaturus,ſingularum hiſtoriam quę in Africa habẽtur me recenſiturum non polliceór,ſed eorum ſaltem quæ vel non fert Europa, vel ab iiſdem vlla ratione differunt: ex ordine deſcripturus tam terreſtria quàm aquatica & volatilia,multa à Plinio raræ doctrinæ viro tradita prætermiſſurus,tametſi in minutulis Africæ rebus,Authorũ qui ante eum ſcripſere vitio, nonnihil errauerit: verùm exiguus næuus omnem pulchritudiné elegantis ac venuſti corporis tollere non poteſt.

## ¶ *Elephas.*

Elephas animal docile ac ſyluaticum, magna copia in ſyluis Nigritarum regionis inuenitur. Solent magno numero confertim incedere,& ſi quenquam obuium habuerint, vel deuitant, vel illi cedunt: at ſi quenquam iniuria afficere velit, proboſcide ſublatum in terrã deiicit, pedibus deculcans donec mortuum reliquerit. Tametſi animal ſit ingẽs ac ferox, magno tamen numero à venatoribus Æthiopis in hunc ferè modũ capiuntur. Hi in denſis ſyluis vbi animalia quieſcere norũt, inter multas arbores ſeptũ frequentium ac robuſtarũ frondium conficiunt, parum interualli ab altera parte vacuum relinquentes, cui portam quæ tunc leuari poteſt in plano inſtar raſtri diſtenſam affigunt, paruoq́ue negotio paſſum occludunt. Elephas itaque ſub frondib. quietem capturus, ſeptum ingreditur, quem attracto fune conſtrictum, venatores ex arboribus deſcendentes ſagittis confodiunt, denteſq́ue extrahunt ac vendunt. Cæterum ſi elephantem ſeptum euadere contingat, quotquót reperit homines, interficit. Alio modo in Æthiopia ſuperiori & India elephantibus inſidiantur, quem, ne lectori tædium ingeram, prætermitto.

## ¶ *Giraffa.*

Animal eſt adeò ſyluaticum, vt raro videri poſſit, nam inter ſyluas ac deſerta, vbi alia non ſunt animalia, ſe recondit, atque homines videns in fugam fertur, tametſi non ſit multæ velocitatis. Capite camelum refert, auribus bouem, pedibus : neq; à venatoribus vlla

vlla capiuntur,præterq̃ parua ac recens nata.

*Camelus.*

CAmelus animal blandum ac domesticum maxima copia in Africa inuenitur, præsertim in desertis Libyæ, Numidiæ, & Barbariæ, ex quibus Arabes suas diuitias ac possessiones æstimant: & siquando de diuitiis Principis aut nobilis cuiusquam sermo fiat, possidere aiunt tot camelorum, non aureorum milia. Qui porrò camelos possident Arabes, heriliter viuunt ac liberè, vtpote cũ quibus in desertis agere possint, ad quæ propter ariditatem nec Reges nec Principes peruenire valent. Huius generis animalia in omnib. orbis partibus visuntur, nempe in Asia, Africa, & Europa. Iis in Asia vtuntur Tartari, Cordi, Dalemij, & Turcomani. In Europa Turcici Principes, clitellis ac sarcinis deferendis, quemadmodum & in Africa vniuersi Arabes, tũ qui deserta Libyę inhabitant, Regesq́; omnes camelis annonã & impedimentã vehenda curant: verùm Africi cameli Asiaticos excellũt, inædiam enim quadraginta vel quinquaginta diebus perferentes, pabulum serotino tempore non attingunt, verùm exonerati in proximis campis herbam, vepretes, vel arborum frondes pabulantur, quod Asiatici præstare non valent, quos profectionem quandam auspicaturos, obesos & saginatos esse cõuenit. Experientia comprobatum est, camelos onustos iter quinquaginta dierum absque pabulo confecisse, quibus primò gibbi, deinde abdominis, postremò coxæ obesitate attrita, vix centum libris gestandis sunt accõmodi.

Aſiaticis verò camelis mercatores pabulum porrigunt,& ſingulis ſingulum pabulo onuſtum circumducunt, turmatim onuſti euntes & redeuntes: qua ratione & pingues conſeruant, & quæſtum conduplicant. Verùm Africani mercatores in Æthiopiam nundinarum gratia proficiſcẽtes, de reditu, quòd vacui reuertantur, neque res magni ponderis iſthinc reportent, parum ſoliciti, vt camelos macilentos dorſíque vulneribus ſaucios in Æthiopiam perduxerunt, vili precio desertorum incolis ſaginãdos diuendunt. At qui in Barbariam vel Numidiam reuertuntur, pauciſſimis egent camelis: vtpote quibus ad equitationem, annonam, aurum, reſque ſaltem leuiores perferendas vtantur. Camelorum tres ſunt ſpecies, quarum primi Hugiun nuncupati, craſſi ſunt, ac proceræ ſtaturæ, clitelliſque gerendis aptiſſimi, verùm ante quadriennium inutiles: quo exacto, mediocris quiſq; camelus mille libras Italici ponderis geſtat. Cùm ſarcinis oneratur, genibus & collo virgula ictus in ſolum recubans, dum pondus ſufficiens agnoſcit, ſeipſum erigit. Solent porrò Africani caſtrare quos oneribus geſtandis ſeruare cupiunt, decem fœminis maſculum vnicum miſcentes. Alterum camelorum genus (Bechetos vocant) duos habet gibbos, oneribus geſtandis & equitationi pariter accommodos: cuiuſmodi Aſia ſaltem producit. Tertium genus, patria lingua Ragnahil dictum, gracilibus, exiguæque ſtaturæ camelis conſtat, qui ſarcinis gerendis inferiores, reliquos tanta ſui pernicitate ſuperant, vt diei vnius ſpacio amplius centum

paſ-

passuum milia conficiant, iter modico viatico ad dies octo vel decē per deserta perpetuantes, quibus nobiliores Numidiæ Arabes & Afri Libyci vti solent. Cùm Rex Tombuti magna celeritate alicuius momenti negotium Numidis mercatoribus indicare cupit, nuntius camelo istiusmodi insidens, Tombuto Daram vel Segelmessam nōgentis passuum milib. dissitam, octidui ad summum spacio procurrit: verùm ea negotia obeuntes, viros itineris per deserta expertos esse cōuenit, qui infra quingétos aureos in singulas profectiones non exigent. Sub Veris initium in Venerem propensi, nō modò se mutuò offendunt, verùm homines à quibus iniuria olim affecti fuere, leuiorum etiam ictuum reminiscentes, capitaliter insectantur: & si quenquam dentibus arripere possint, in aërem erigunt, ac humi deiectū pedibus proculcant, atque in hoc furore diebus quadraginta permanent. Famis patientes, adeò sitim tolerant, vt potu absque incommodo diebus quindecim abstinere possint: nociturus alioquin si camelarius triduo absoluto aquā illis porrigat, quòd singulis quinis aut nouenis diebus consueto more potentur, vel vrgente necessitate quindenis. Sunt & cameli natura benigni, & humano sensui aliquatenus participant: nā siquando inter Æthiopiam & Barbariam diei iter solito diutius protrahatur, camelos defatigatos flagris incedere non vrgeant, verùm certas cantilenas occinunt, quarū suauitate demulsi, iter tanta velocitate prosequūtur, vt nec illos cursu insequi valeant. Vidi ego in Alçairo camelum ad sonumq

pani ſaltare, quã artem à magiſtro edoctus paucis referre libet. Camelus ſeligitur iuuenculus, quem per horæ dimidium in loco inſtar hypocauſti præparato, cuius pauimentum igne calefactum ſit, conſtituunt: tum pulſante quodam foris tympano, camelus nõ ſoni, ſed ignis gratia, quo pedibus offenditur, tum crus vnum, tum alterum modo ſaltatorum erigit, cui exercitio per annum vel menſes decem aſſuetus, in publicum deductus, audito tympano, temporis quo calorem ſub pedibus ſentiit reminiſcens, confeſtim ſaltat, ac ſupra idem pauimentũ conſiſtere exiſtimans ſe in pedes erigit, & ſaltare videtur: atque ex vſu naturã formans, perpetuò hoc obſeruat. Alia pleraq; de hoc animale narrare poſſem, quæ breuitatis gratia omitto.

¶ *Equus Barbaricus.*

EQuis Barbaricis hæc appellatio per Italiam totamque Europam indita eſt, quòd ex Barbaria proueniant, ſintq; cuiuſdam equorum generis, qui in iis regionibus generantur: verùm qui eam opinionem ſuſtinent, fallun tur: equi enim Barbarici ab aliis nullatenus differunt: ſed equi tam pernices & agiles, Arabico idiomate per Ægyptũ, Syriam, Aſiam, Arabiam Deſertam, ac Felicem, dicuntur equi Arabici: aiuntq; Hiſtorici hoc genus equorũ ſylueſtrium, per Arabię deſerta oberrantium, ab Iſmaelis tempore ab Arabibus perdomitũ, tanto numero accreuiſſe, vt Africam ferè totam oppleuerint: quæ opinio vera dinoſcitur, quum & nóſtro ſæculo perplurimi ſylueſtres equi in Africæ, & Arabiæ

 de-

desertis reperiantur. Quin & ipse pullum equinum in deserto Numidię pili albi,crispisque supra collum crinibus vidi. Potissimum de eorum bonitate experimentũ capiunt,dum cursu Lant feram vel Struthium consequi valent:quo si superiores euaserint,mille aureis vel centum camelis æstimant. Paucissimos verò Barbaria producit,sed qui deserta incolunt Arabes,populiq; Libyci cùm plurimos enutriant,non tamen ad iter vel militiam sed venationibus assuefaciunt,nec alium præter camelorum lac, noctu & interdiu binis vicibus cibum præbẽt,quo agiles & elegantes,& potissimè macilentos conseruant,& graminis tempore herbam pascere sinunt: verum non inequitant. At quos alunt Barbariæ principes, non sunt eiusdem velocitatis, sed quod pabulo cibentur, elegantiores & corpulentiores,quibus vrgẽte periculo, cùm hostium furorem euadere conuenit,vtuntur. ¶ *Equus Syluaticus.*

HAbetur inter feras equus syluaticus, qui rarò se conspiciendum præbet. Ab Arabibus desertum incolentibus capitur & comeditur,asserentes istiusmodi carnem eò pręstantioris esse saporis, quò magis iuuencula est: verùm rarò equis vel canibus cõprehendi potest. In aquis vbi animal versatur,certos nectunt laqueos, quibus arena obductis pede super imposito innexus capitur & occiditur.

¶ *Lant siue Dant.*

LAnt similitudine bouem refert, minor tamen cruribus & cornibus elegantius. Colorem albũ gerit,vnguibus nigerrimis, tan

tæq; velocitatis, vt à reliquis animalibus præter quàm ab equo (vt diximus) Barbarico superari queat. Facilius æstate capitur, quòd arenæ æstu cursus velocitate vngues dimoueantur, quo dolore affectus cursum remittit, quemadmodum cerui & capreoli. Huius tergore clypei fortissimi conficiuntur, quos nulla ratione prçterquam sphærulæ ictu traijcere licet, verùm carò admodum distrahuntur.

*Bos syluaticus.*

BOuem refert domesticum tametsi statura minor, leucophæi coloris, ipseque velocissimus. In desertis saltem, vel desertorum confiniis reperitur. Carnem aiunt absoluti sapo ris esse.

*Asinus syluaticus.*

REperiuntur in desertis vel desertorum cõfiniis maxima frequentia leucophæi pariter coloris. Velocitate equis tantum Barbaricis cedunt, atque hominem videntes, magnis clamoribus vlulantes recalcitrant, firmique donec illis adeò proximus sit, vt manibus attingi possint, persistunt, tum in fugam se conijciunt. Ab Arabibus deserta incolentibus, decipulis, aliisque huiusmodi machinationibus capiuntur. Confertim incedunt cùm vel pabulantur vel potant. Carnes calidæ fœtent, sapiuntque syluaticum: verùm refrigeratæ ac biduò elixæ, absoluti sunt saporis.

*Boues Africæ montium.*

BOues domestici quotquot in Africç montibus nascuntur, adeò sunt exigui, vt aliis collati, vituli biennes appareant: monticolæ

colæ tamen illos aratro exercentes, tum robustos tum laboris patientes asserunt.

*Adimain.*

ADimain animal domesticum, arietem forma refert, statura asinũ. Aures habet oblongas & pendulas. Libyci his animalibus pecoris vice vtuntur, quorum lacte maximã casei & butyri copiam cõficiunt. Lanam tametsi curtam gerant, habent mediocrem. Fœminæ saltem cornua gestant. Ego quondam iuuenili feruore ductus, horum animalium dorso insidens ad quartam miliarij partem delatus fui. In desertis Libyæ frequenter reperiuntur, alioquin rari: licet plerunq; in agris Numidię videantur, quod prodigij loco habent.

*Aries.*

NEque his arietibus vllum ab aliis discrimen, præterquam in cauda, quam latissimam circumferunt: quæ cuiq; quò opimior est, eò crassior obtigit, adeò vt nonnullis libras decem aut viginti pendeat, cùm sua sponte impinguantur: verùm in Ægypto plurimi farciendis veruecibus intenti, furfure ordeoq; saginant: quibus adeò crassescit cauda, vt seipsos dimouere nõ possint: verum qui eorum curam gerũt, caudam exiguis vehiculis alligantes gradum pmouere faciunt. Vidi in Asiota Ægypti ad Nilum ciuitate, centum & quinquaginta passuum milib. ab Alcairo sita, huiusmodi caudam libras octuaginta ponderare, aliis se vidisse affirmantibus quæ semiducentas libras expendissent. Omnis itáque horum animalium pinguedo in cauda

con-

cōſiſtit,nec vſquã niſi Tuneti & in Ægypto repe riuntur. ¶ *Leo.*

LEo animal ſyluaticam, cæteriſque animalibus noxium,robore,animo,& crudelitate omnibus antecellit, nec feras tantùm, ſed homines etiam deuorat. Nonnulli autē pleriſq; in locis ducentos equites inuadere audent: Armentorum greges intrepide aggreditur, & quos capit in proximum nemus ſuis catulis defert: equites verò, vt dixi, eſt qui quinos aut ſenos interficiat. At qui mõtes frigidos incolunt leones, minus habent atrocitatis & ferociæ:cõtrà quanto plus æſtui participant, tanto ſunt rabidiores & audaciores,velut in Temeſnę & Feſſæ Regnorum confiniis,Angad deſerto iuxta Telenſinum, quique inter Hipponam & Tunetum degunt, quos inter celebriores, ac truculentiores totius Africæ Leones referunt. Vere dum in venerem propẽſi ſunt, cruentam inter ſe exercent pugnã, octo aut duodecim vnà leęnam inſequentes. Ex multis intellexi tum viris tum mulieribus, ſi fœmina in leonem incidat,eiq; verenda monſtret, magno clamore edito demiſſis oculis diſcedere. Credat qui volet.quicquid leo tamen prendit etiam ſi camelus foret,roſtro aufert. Parũ abfuit quin binis vicibus à leonibus deuoratus fuerim, Dei tamen bonitate ambabus euaſi.

¶ *Leopardus.*

DEgunt in ſyluis Barbarię,neque homini cùm robuſti ſint & crudeles,nocent,niſi (quod raro contingit) in anguſto calle obuij,illi aut cedere non poſſint, aut redarguantur,

tur,

tur,fastidioq; afficiantur: in quem irruentes vnguibus vultum comprehendunt, tantumq; carnis auferunt, quantum prendunt, & plerunque cerebrum homini perfringũt. Gregem inuadere non solent,canibus alioqui infestissimi quos occidunt ac deuorant.Monticolæ Constantinæ regionis equestrem venationem aduersus illos instruunt exitus viarum occludentes . Leopardus autem hac illac fugiẽs dum via equitibus obsessa se nequaquam euasurum perspicit,in crebros flexus gyros confodiendum se præbet. At si leopardum effugere contingat, qui incautius eam partem obseruauit,conuiuium cæteris venatoribus recepta consuetudine præparare tenetur.

¶ *Dabuh.*

DAbuh Arabica appellatione Africanis Iesef dicitur : Animal & magnitudine, & forma lupum refert, pedes & crura homini similis. Reliquo bestiarum generi non est noxius , sed humana corpora sepulchris euellit ac deuorat,abiectum alioqui ac simplex animal. Venatores antrum in quo degit edocti,tympanum cantantes pulsant,cuius harmonia technas non animaduertens demulsus,solido fune crura constrictus extrahitur ac interficitur.

¶ *Felis excrementum emittens.*

SVnt hi feles natura syluatici,atq; in Æthiopiæ syluis reperiuntur. Mercatores catulos saltem comparant,quos lacte,furfure & carne nutrientes in caueis alunt. Excrementũ verò bis vel ter singulis diebus excipiunt, quod quidem animalculi sudor est : nam virgula crebris icti-

ictibus percussum frequenter per caueam agitatur donec erumpat sudor, quem sub coxis, brachiis, collo & cauda excipiunt: quod quidem excrementum vulgo zibettum dicitur.

*Simia.*

SImiarum variæ sunt species, quarum quæ caudam gerunt, Mónæ dicuntur: aliæ verò Babuini. Reperiuntur in Mauritaniæ syluis, Bugiæ & Constãtinæ montibus. Humanam faciem non pedibus modò & manibus, sed vultu etiam referunt, admirando ingenio astutiaque à natura dotatę. Herbis & grano nutriuntur, & spicas pasturæ magno comitatu incedũt, quarum vna ad limites campi excubans, si percepto agricola clamorem ediderit, reliquę in fugam maximis saltubus in proximis arboribus insilientes, aguntur. Fœminę catulos humeris gestant, cum quibus pariter ex arbore in aliam desiliunt. Quę ex iis edoctæ sunt, res patrãt incredibiles, verùm iracũdæ sunt & crudeles, tametsi facile placẽtur.

*Cuniculus.*

CVniculorum syluestrium maxima est in Mauritania & Gumerę montibus abundantia, qui licet syluestres habeãtur, mea tamen sententia domesticorũ speciem retinent: quod caro indicat, quæ neque sapore, neque colore differt à domesticis.

## DE PISCIBVS.

*Ambara piscis.*

AMbara piscis prodigiosæ formæ & magnitudinis, videri non potest, nisi cùm emoritur è mari in littus eiectus: quorum

rum ſunt qui cubitos viginti quinque in longi-
tudinem expleant. Capitis duritie ſaxum refert.
Qui Oceani ripam inhabitant, hunc piſcem Am
bram quam vocant effundere aiunt: cæterum an
ſperma vel excrementum ſit, inter ſe diſſident.
Vtvt ſeſe res habeat, piſcis portentoſa ſui magni
tudine Balænæ appellationem meretur.

¶ *Hippopotamus.*

NIger ac Nilus flumina hiſce beluis refer
ta ſunt. Quæ forma equum, magnitu-
dine aſinum, depiles tamen repręſentāt.
In aquis perinde ac in terra degit, nocturno ſal-
tem tempore in terrá enatans. Cymbis inſidia-
tur quę mercib. onuſtę ſecundo Nigro feruntur,
quas dorſi frequentib. gyris agitatas demergit.

¶ *Bos marinus.*

DVriſſima pelle circūdatur Bos marinus,
terreſti omnino ſimilis: cęterum ſtatura
inferior, vitulųm ſemeſtrem refert. Re-
peritur in vtroq; flumine Nilo ac Nigro, & à pi-
ſcatoribus captus diu extra aquam viuus perma
net. Vidi in Alcairo catena publicè collo dedu-
ctum, quem ad Aſnam Nili ciuitatem quadrin-
gentis paſſuum milibus ab Alcairo diſſitam ca-
ptum aſſerebant.

¶ *Tartaruca teſtudo.*

POterat referri inter animalia terreſtria,
quòd in deſertis vitam degat. Plurimę in
deſertis Libyæ reperiuntur, quæ ad ma-
gnitudinem dolij accedant. Tradit Bicris geogra
phus in deſcriptionum Regionum & itinerum
Africę, hominem itineris tędio defatigatum, ſub

ve-

vesperam eminens in deserto saxum, ne à venenosis animalibus infestaretur conscendisse, qui ad lucem grauiter dormiens, tribus ferè passuum milibus à quo reclinauerat loco traductus, intellexit quod subiisset saxum testudinẽ fuisse, quæ interdiu firma, noctu rependo pabularetur, verũ adeo lentè, vt vix præcipi posset. Huiusmodi testudines vidi quæ mediocris vasculi amplitudinem attingerent, nullas autem tam prodigiosæ magnitudinis. Carnes aiũnt lepram curare, si septennium non excedant, quibus septem diebus continuo vescendum sit.

¶ *Crocodilus.*

Crocodilus animal malignum pariter ac noxium, abundè in Nigro ac Nilo præcipuè offenditur, longitudine duodecim cubitos & amplius excedit, cauda verò corporis residuum prolixitate adæquat, tametsi rari sint eius magnitudinis. Quatuor pedibus fertur lacertæ persimilis, neq; altitudine sesquicubitum excedit. Cauda multis ceu nodulis implicata, pelle verò adeò dura circundatur, vt nec balista mediocri traiici possit. Plerique piscibus saltem, nonnulli animalibus & hominibus vescuntur. Circum littora reconditi, magno astu homines vel propinqua animalia obseruant, quos subitò cauda inuolutos in aquã pertrahunt ac deuorãt. Nonnulli tamen natura sunt mitiores: alioquin ad Nili vel Nigri ripam habitari non posset. Edentes maxillam tantummodo superiorem mouent, inferiori cum pectoris osse coniuncto. Superioribus annis ab Alcairo Ægypti superioris

Ca-

Canam quadringentis paſſuum milibus diſtantem, aduerſo Nilo vectus, nocte quadam in medio itineris curſu, Luna nubibus obducta, nautis & viatoribus altum dormientibus, expanſis velis nauigâs, atq; in ſecretiori cubiculo ad lychnum ſtudens, à probo ſene vigiliis & orationib, incumbente vocatus, Excita, inquit, ex noſtris aliquem, qui lignum annatans me in nauem trahere adiuuet, quod cras coquinæ parandæ deſeruiet. Libet ne, inquá, potius ipſe veniam, quàm ex noſtris aliquẽ nocte intempeſta expergiſcam? Ad quæ ſenex: Tentabo, inquit, num ſolus poſſim extrahere. Naui ligno vt exiſtimabat propinqua, manu diſtenta funiculum in aquam iaciendum explicans, ſubitò longa cauda proſilijt, qua cinctus mométo temporis ſub Nilum pertractus fuit. Repentè ad meos clamores omnes qui nauigio ferebantur ſubſilierunt, & demiſſis velis gradum ſiſtentes, circiter horæ ſpacium cõſtitimus, multis interim hominem inueſtigaturis in aquam fruſtra deſilientibus: omnes hunc affirmabant crocodilum exſtitiſſe. Vlterius nauigantes, quàplurimos ad Inſularum ripas in medio Nili ad Solem aperto rictu apricantes conſpeximus, quos auiculę turdi ferè magnitudinis inuolantes, poſt breue temporis ſpacium euolabant. Mihi porrò eius rei occaſionem inquirenti reſponſum fuit, faucib. ac dentibus crocodili ex continua animalium ac piſcium voratione perpetuò remanere defixæ carnis reliquias, quæ putrefacta vermiculos creat, à quibus magno cruciatu afficitur. Auiculæ autẽ vt inter volandum ver-

vermes conſpiciunt,iis ventrem expleturæ rictũ inuolitant. At crocodilus vt vermes exeſos percipit,contracto rictu volucres abſorbere nititur, ſed acuta quam ſupra caput gerunt ſpina punctus, rictum diducit, ſimul ac dimittit. Crocodilus oua in ripam mittit, arenaq; cooperit: catuli confeſtim in flumen inſiliunt.Nonnulli,ſed venenati,à flumine aberrantes in deſertis agunt: at Nilum habitantes veneno carent. Plurimi in Ægypto Crocodili carne veſcuntur,boniq́ue ſaporis aſſerunt.Adeps magno apud Alcairum venditur, quem aiunt vetuſtis vulneribus & carcinomate infectis cõducere.Crocodilum hoc modo capiunt: Piſcatores craſſum & prolixum funem altera parte validæ arbori vel columnæ ad Nili ripam ea de cauſa ſtructæ, firmiter alligant: altera hamum ferreum cubitalis longitudinis,ac digitalis craſſitudinis,cui vel arietem,vel capram nectunt, cuius balatu crocodilus ineſcatus,in ripam proſiliens, hamũ cum ariete abſorbet, quo internè tranſfixus miris ſe modis agitat,ſolumq́; diuerberat, piſcatoribus interim funem tum remittentibus,tum cõtrahentibus, donec tandem victus ceu exanimis concidat: tum certis haſtis gula,lacertis,coxiſq́ue, qua pellem habet tenerrimam perforatis,cõfodiunt. Dorſum habet adeò durum & craſſum, vt minoris tormenti globo vix traiici poſſit.Harum beluarum amplius trecenta capita Canę mœnibus diducto rictu affixa vidi, adeò magnæ ac ſtupendæ amplitudinis,vt vaccam integram capere potuiſſent,dentibus acutis & prægrandibus. Solent autem Ægyptij piſca-

piſcatores Crocodilo caput præſcindere, oppidorumq́ue mœnibus, quemadmodum venatores ferarum capita, affigere.

¶ *Draco.*

IN Atlantis ſpecubus craſſiſſimi plurimiq́ue dracones reperiuntur, qui corpore graues difficulter mouētur, quòd media ſui parte ſint denſiſſimi, cauda verò & collo gracili. Sunt virulenti admodum, & ſi caſu quenquam vel contingant, vel mordeant, carnem emolliunt ac debilitant, neque eſt qui mortem poſſit euadere.

¶ *Hydra.*

HYdra ſerpens curtus, cauda tenui, & circa collum gracili, in Libyæ deſertis agit. Virus habet perniciosiſſimum, neque aliud morſui remedium ferunt, quàm eam membri partem excindere, priuſquam virus in reliqua membra penetret.

¶ *Dub.*

DVb animal in deſertis agens, forma ſtellionem refert, aliquanto tamen denſior, longitudine brachium, latitudine quatuor digitos explet. Aquam non potat, & ſi quis aquam in os infundat, eueſtigio moritur. Oua excludit ad modum teſtudinis, atq; veneno caret. Ab Arabibus in deſertis capiuntur: Quin & ego à me comprehenſum iugulaui, parum tamen emittit ſanguinis. Aſſatus pelle detracta comeditur, ſaporem ac guſtum ranunculæ exprimens. Lacertam velocitate repreſentat, & ſi inter venandum, in ſpecum ſubterraneum cauda foris remanente pellatur, nullis viribus ex-

trahi poteſt, verùm ligonibus dilatato foramine à venatoribus capitur. Triduo mactatus dum igni apponitur, non ſecus mouetur ac ſi recens necatus foret.

### ¶ *Guaral.*

ANimal prædicto ſimile, verùm paulò grandius, in capite pariter & cauda venenum gerit, quibus partibus exciſis Arabes eo veſci ſolent, alioquin deforme ac tetri coloris, cuius carnem eam ob cauſam guſtare ſemper inhorrui.

### ¶ *Chamæleon.*

CHamæleon animal figura & magnitudine lacertæ, deforme, gibboſum ac macilentum, cauda prælonga & inſtar muris tenui, lentè progreditur. Aëris alimento ac Solis radiis nutritur, ad quorum exortum rictu diducto ſe voluit, corpusq; ad Solem girat ac flectit. Coloré pro loci quem videt varietate facile commutat, modò viridis, modò niger, quod & ipſe vidi, effectus. Venenatis ſerpentibus admodum inſidiatur, & ſi quem ſub arbore dormientem conſpiciat, eam ſubitò conſcendit, & locum capiti ſerpentis aduerſum diſpiciens, ex oris rictu mucoris filum cuius extremitati guttula margaritæ ſimilis appendet, vibrat, quem ſi obliquè cadere animaduertat, loco pedes amouet, donec mucoris extremitas ſerpentis caput contingat, cuius virtute penetratus eueſtigio moritur. Noſtri ſcriptores plurima de huius animalis proprietate occultisque virtutibus in ſcripta retulere, quę memoria nobis exciderunt.

¶ *Struthiocamelus.*

DE auibus quoq; pauca dicturi, Struthiocamelus anserē forma refert, verùm collo & cruribus adeò longis, vt nonnulli bicubitalem altitudinem excedant. Corpus habet densum, & in alis pennas grandes albi & nigri coloris, quibus volatu inutilis, ad cursum crebra alarum & caudæ agitatione iuuatur. Habitat in desertis inaquosis, atque oua numero decem aut duodecim in arena emittit, quarum singula tormentarij globi magnitudine plus minus quindecim libras pendent, ac breuissimæ cùm sit memoriæ, loci confestim obliuiscitur. Quare fœmina in hæc oua incidens, siue propria, siue aliena, excubat & calefacit: pulli verò quamprimum nati sunt, per campum escam quæsitiuri vagantur: & priusquam illis nascantur pennæ, cursu adeò valent vt consequi vix possint. Struthiocamelus animal est simplex & surdum, & quidquid inuenit, absque vllo delectu ad ferrum vsque deuorat. Carnes habet præcipuè circa coxam viscosas ac fœtidas; quibus vescuntur Numidæ, nam iuuenculos capiunt & saginant. In aciem compositi deserta obambulant, quos qui eminus conspicit, totidem se equites videre existimat, quod persępe fremitum ac timorem viatorum turbis incutit. Cùm in Numidia degerem, eius carnibus vescebar, neque mihi harum gustus omnino displicuit.

¶ *Aquila.*

HArum diuersæ circa proprietatem, magnitudinem, & colorem, sunt species: maio-

res Arabico idiomate Nesir vocantur. Aquilas docent Afri vulpibus ac lupis insidiari, quibus cum prælium ineunt: verùm edoctæ aquilæ vnguibus dorsum,& caput rostro compræhendũt, vt dentibus morderi nequeant. Cæterum si animal dorsum in terram voluat,aquila non desistit,donec vel interimat,vel oculos illi effodiat. Asserũt plurimi ex nostris Historicis masculum aquilam plerunque cum lupa coire, & grauidare, quo coitu mirum in modum tumefacta crepat,prodeunte hinc dracone,qui rostrum & alas volucris,caudam serpentis & pedes lupi, pellem verò serpentis versicolorem gestat. Non potest supercilia erigere,atque in speluncis degit. Hoc monstrum tametsi non viderim, publica tamen fama certum est in Africa inueniri.

¶ *Nesir.*

NEsir maxima Africæ volucrum,corpore gruem excedit,rostro tamen,collo,& cruribus breuior. Inter volandum adeò excelsè in aërem se attollit,vt conspici nequeat, & si quod animal mortuum videat, subitò se demittit. Longissimam ducit vitam, plurimosque vidimus propter senium implumes: quare pennis decidentibus,ad nidum tanquam recens nati redeunt, & à iunioribus aluntur. Itali vulturis appellatione nuncupandum censent, cuius tamen diuersum sentio. Habitant in altissimis rupibus & summitatibus incultorum montium,præcipuè in Atlante: capiuntur tamen ab iis qui locorum notitiam habent.

¶ *Bezi, seu Accipiter.*

Bezi

BEzi qui Latinis Accipiter, in Africa magno numero reperitur. Cæterum præstantiores sunt candidi, quos in certis montibus deserti Numidici capiunt, quibus gruibus insidiantur. Horum diuersæ sunt species: nam aliis perdices & coturnices, aliis lepores præhendunt.

¶ *Vespertilio.*

FOEdas has volucres, lucisque osores per totum orbem inuenire licet: in certis tamen Atlantis specubus plurimos reperias ad columbæ & amplius magnitudinem accedentes, præcipuè in alis: quas licet ipse non viderim, audiui tamen ab innumeris isthic haberi.

¶ *Psittacus.*

IN Æthiopię syluis frequentes sunt Psittaci varij coloris: cæterum præstantiores & qui perfectius humanos accẽtus exprimũt, sunt virides. Qui columbæ magnitudinem referunt, diuersis coloribus vestiuntur: nempe rubro, nigro ac cinericio, sed ineptiores verbis exprimendis, licet vocem habeant suauem ac dulcem.

¶ *Locustæ.*

LOcustarum plerunque tanta conspicitur in Africa frequentia, vt volantes instar nebulæ Solis radios operiant. Arbores ipsas pariter cum frondibus ac fructu esitant. Discessuræ oua relinquunt, quibus aliæ (tametsi nonvolent) pullulant, & quibus in locis offenduntur, omnia ad cortices arborum exedunt, magnamque annonæ caritatem præcipuè in Mauritania relinquunt. Verùm Arabiæ desertæ &

Libyæ populi, locuſtarum aduentum pro fœlici habent omine: nam vel elixas, vel ad Solem deſiccatas, in farinam tundunt atque comedunt.

Hæc habui quæ de auibus & animalibus in Europa non exiſtentibus, aut ab iis aliquatenus differentibus, in ſcripta referrem: quare vbi nonnihil de mineralibus, nonnullisq; Africæ arboribus & fructibus attigero, operi colophonem imponam.

## ☞ DE MINERALIBVS.

### ¶ *Sal.*

AFrica potiori ex parte aliud ſal nō habet, prȩter id quod ex ſpecuum ſalinis, velut marmor aut geſſum, candidi, rubei, & cinericij coloris, effoditur. Barbaria ſale abundat: Numidia mediocriter: Nigritarum autem regio, præcipuè Æthiopia interior, vbi dimidio aureo libra venditur, ſale caret. Harum autem regionum populi, ſal ſupra menſam imponere non conſueuerunt: ſed fruſtulum ſalis manu continentes, in ſingulas panis buccellas, ne multū abſumant, lingunt. In aliquot Barbariæ lacubus & paludibus æſtiuo tempore ſal congelatur, planum & candidum, velut in locis Feſſanæ ciuitati vicinis.

### ¶ *Antimonium.*

NAſcitur pleriſq; in Africæ locis, in plumbi fodinis, & ſulfure à plumbo ſeparatur. Maxima porrò copia ad radices Athlantis effoditur, iis præcipuè vbi Numidia regno Feſſano confinis eſt. Sulfur quoque aliis in locis magna prouenit abundantia.

¶ *Euphorbium.*

EVphorbium eſt cuiuſdam herbæ liquor, quæ in modum capituli ſylueſtris cardui naſcitur, inter cuius ramos fructus quidã prodeunt, craſſitudine viridis cucumeris: ad cuius etiam ſimilitudinem grana quædam perparua emittunt, longitudine quidem alij vlnam excedunt, alij paulo etiam amplius. Atque hi quidem fructus non oriuntur ex plantæ ramis, ſed velut ſtipites ex humo procedunt, & ex vno ceſpite ſæpe viginti, nonnunquam etiam triginta naſcuntur. Agreſtes eius regionis homines, vbi maturuerunt fructus cultello pungũt, vnde exit liquor lactis perſimilis, qui ſenſim craſſeſſit & viſcoſus efficitur. Hinc cultello ita craſſum liquorem tollunt, & in vtres mittunt, atq; ſic exſiccatur. Planta eſt vndique ſpinoſa.

¶ *Pix.*

DVo ſunt picis genera, alterum naturale, ex fontium aliquot lapidibus colligitur, quorum aqua plurimũ fœtet, eundemq́; guſtum retinet. Alterum artificiale, ex iunipero vel pino eruitur, quam in Athlantis montibus vidi confici. Fornacem conſtruunt profundam ac rotundam, quæ foramen ab inferiori parte in foſſam ceu vaſculum ſtillantem habet: in hac virides arborũ ramos minutim conciſos iniiciunt, & fornace occluſa tepidum ignem ſubſtruunt, cuius calore diſtillans lignum in foſſam per foramen manat: atque in hunc modum colligitur & vtribus imponitur.

¶ *Muſa fructus.*

NAscitur ex planta exigua, foliis magnis, latis,& cubitalis longitudinis. Amœnitate & suauitate præter modum excellit, ad magnitudinem paruorum cucumerorum assurgens. Ferunt Machumetani doctores huius fructus comestionem Deum primis parentibus interdixisse, quod vbi comedissent, retecta verenda eius fructus foliis, ei rei inter plantas reliquas aptissimis, operuere. Magna copia Selę Fessani regni oppido proueniunt: verùm in Ægypto, maiori: præcipuè Damiatæ.

¶ *Cassia.*

ARbores Cassiam producentes sunt crassissimę, habentq; folia Moro persimilia. Florem gestant latum & candidum, tantumque fructuum producunt, vt plurimos ante maturitatem, ne disrumpantur, tollere oporteat. In Ægypto saltem proueniunt.

¶ *Terfez.*

TErfez, radicis potius quàm fructus appellatione dicenda venit, tuber similitudine refert, cęterum aliquantò crassior. Album gestat corticem, calidis arenosisque in locis proueniens. Quo in loco iaceat, ex tumore soli aliquantùm disrupti cognoscitur.. Nonnulli magnitudine iuglandem, nonnulli malum citreum referunt. Medici, quibus camha nuncupatur, fructum refrigeratiuum affirmant. Prouenit abundè in desertis Numidiæ, quo Arabes æquè libenter vescuntur atque saccharo. Prunis assatam, deinde emundatam, pinguiq; iusculo decoctam, in deliciis ponunt. Arabes aqua aut lacte elixam co-

comedunt. Nascitur quoque vbertim in arena iuxta Selam oppidum. De dactylo cùm affatim in Segelmessa Numidiæ dixerimus, nihil impræsentiarum tractaturi sumus.

*Ficus Ægyptia, quæ Ægyptiis Giumeis.*

CÆteras refert ficulneas tum arbore, tum foliis, verùm sunt proceræ & altissimæ: fructus verò ramis inter folia non innascuntur, hoc est, in gemmarum extremitatibus, sed ipsius arboris trunco, vbi folia non nascuntur. Aliarum ficuum saporem retinent, multo crassiori cortice, & coloris punicei.

¶ *Ettalches arbor.*

ARbor est excelsa & spinosa, foliis iuniperum referēs, liquorem emittit masticħæ persimilem, quo Africani pharmacopolæ mastichē adulterare solent, nam colorem eundem habet, & nonnihil odoris. Reperitur quoque similis in desertis Libyæ, & Numidiæ, & Nigritarum regione: verùm Numidiæ arbores cùm secantur in medio, ligni eundem candorem quem cæteræ arbores referunt Libyæ, punicei: Nigritarum verò regionis arbores intus nigerrimę sunt. Ea porrò nigra medulla Italis Sangu appellatur, ex qua fiunt instrumenta Musica. Punicea Medici Africani in morbi Gallici curationibus vtuntur, vnde & Gallici morbi lignum vulgariter appellitant.

¶ *Tauzarghenta radix.*

REperitur ad Occidentalem ripam Oceani. Odorem emittit odoriferum. Eam Mauritani mercatores in regionem Nigrita

gritarum exportant,qua ceu præſtantiſſimo ſuffimento vtuntur, quod nec deflagrare, nec igni admouere conuenit: nam in ædibus aſſeruata, ſpontaneum ex ſe ipſa reddit odorem. Eius radicis ſarcinã apud Mauritanos ſeſquiaureo vendunt, quæ in regionem Nigritarum exportata, octoginta aut centum aureis, & pluris nonnunquam venundatur.

¶ *Addad radix.*

HErba eſt amara,eiusque radix adeò venenata,vt vnica eius aquæ diſtillatæ drachma hominem intra horę ſpacium necare poſſit,quod fœminis ipſis in Africa notiſſ. eſt.

¶ *Surnag radix.*

ESt quoque & hæc radicis genus in Athlantis Occidentalib. locis proueniens, cui vires ineſſe aiunt earum regionum incolæ, membrum virile tum confortandi, tum qui ea in electuario vtatur, coitum augendi. Affirmant quoque ſi caſu radici immeiere quenquam contingat,ſubitò membrum erigi. Non prætermiſſurus ſum hoc loco,quæ communi ſententia omnes Athlantis incolæ aſſerunt, plurimas puellas ex earum numero,quæ animalia pèr eos mõtes paſcunt, virginitatem alia occaſione non amiſiſſe, quàm quòd vrinam ſupra hanc radicem emiſiſſent: quibus ego ioco reſpondebam, me probare quicquid de eius radicis occulta virtute euentus comprobaſſet. Aiebant quoq; inueniri nonnullas, quæ adeò infectæ eſſent,vt nõ modò virginitatis florem amittere facerent, ſed corpus vniuerſum quoque turgere.

HÆC SVNT QVÆ MEMOranda & cognitione digna, ego Ioannes Leo in vniuersa Africa tum vidi, tum obseruaui, quam penitus omni ex parte circundedi : & quicquid in ea memoratu dignum obtigit, vt vidi, ita diligenter continuò in scripta retuli : & quæ non vidi, à viris fide dignissimis, qui ea conspexerant, mihi ad plenum declaranda procuraui, ac deinde occasionem nactus, has meas vigilias in vnum volumen redegi.

Romæ, Anno restitutæ salutis M.D.XXVI. V. Idus Mart.

DESCRIPTIONIS AFRICÆ *Ioannis Leonis Granata oriundi, & in Barbaria educati,*

*FINIS.*